UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595


urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

Visual Library

Th. 1361.

FV
35.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Antidota APOSTOLICA

contra nostri temporis hæreses.

In quibus

Loca illa explicantur, quæ Hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda, callidè et impiè deprauarunt.

In Acta Apostolorum: to. primus

Collog. Soc. Iesu Paderborni

AVTHORE

THOMA STAPLETONO ANGLO S. Theolog. Doctore et S. Scripturarum in Academia Louanienſi profeſſore Regio.

1597

ANTVERPIAE
Apud Ioannem Keerbergium
Anno M.D.XCV.

Anton. Wierx fecit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI, ROMAnæ & Catholicæ Eccleſiæ Pontifici Optimo Maximo, Clementi VIII. ad humillima pedum oſcula.

NIsi ea eſſet diuinæ ſapientiæ altitudo (Beatiſſime Pater) vt ex ipſis malis bona facere, & impiorum conſilia in ſuam gloriam ſuorumque ſalutem conuertere ſciret; humano genere, in tanta iniquitatis abundantia, nihil infelicius, nihil

calamitosius foret. Illa enim iusta & perpetua piorum querela esse posse videretur, *Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas*, & quæ in Propheta sequuntur. Sed quum in hoc sapientiam suam Deus maximè illustret, non quòd nulla mala permittat, sed quòd ex ipsis malis plurima & maxima bona faciat; nec quòd impiorum conatus impediat, sed quòd ad sua altissima exequenda consilia illos conuertat; suauissima hac dispositione factū est, vt in medijs quasi malorū fluctibus perpetuò agitati electi, perpetua quadam tamen sere-

Psal. 72.

nitate,

nitate, pace, ac consolatione perfruantur; atque ex horridis istis alienæ improbitatis spinis ac labruscis suaues atque vberes fructus percipiant. Quum enim Deum suam in illis glorioſam iustitiam exercere aduertũt, *vt in operibus manuum suarum comprehendatur peccator, & in verticem ipsius iniquitas eius descendat*; Dei sapientiam laudant, qui *perdit sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobat*. Quum autem in illa maxima impiorum frequentia cautiùs ac vigilãtiùs pij ambulant, sicuti acerba grassante peste valetudinem diligentiùs curant qui vitæ cousultum cupiunt;

Psal. 9. & 7.

1. Cor. 1.

ex aliorũ vulneribus ſibi me-
Rom. 8. delam adferunt, fitque *vt diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum.* Iſtud porrò quũ in omni malorũ genere locum habeat, tũ verò vt in hæreſi, malorum pænè maximo, pręcipuè obtineret, diuina ſapientia effecit. Magnas ſanè ſtrages & clades Eccleſiæ Dei hæreſes adferre vidẽtur; & quę hodie latiſſimè graſsantur, maximas attuliſſe videri poſſunt. Sed ſi rectè aduertimus, vix ab aliquot ſeculis maior Dei gloria, aut ipſius Eccleſię vtilitas, quã noſtris tẽporibus eluxit. Dei ſanè gloriã magis hodie eluceſcentẽ, multarũ Gentiũ poſt exortas hęreſes ad

ſes ad Chriſti fidem cõuerſio, multorũ martyrũ pro Chriſti fide (vbi eam perſequũtur hęretici) effuſus ſanguis, ipſa inter medios dominãtes hæreticos Catholicorũ Chriſtianorũ conſtantia, aliorũ quoque, qui hęreticorũ voces nõ audierũt, aucta plurimũ in Deũ pietas, cultuſque feruẽtior, manifeſtè loquuntur. Oportebat quippe *hæreſes eſſe, vt qui probati* in Ecclesia Dei *erant* (δοκιμοι) verè probi & ſinceri cultores Dei, *manifeſti omnibus eſſent*: vtique ad Dei gloriam, & vt Deus in illis glorificaretur. Oportebat *repellentibus Euangelium* tot veterum Chriſtianorum populis,

1. Cor. 11

Act. 13.

Ioan. 10. *ad alias conuerti gentes, alias oues adduci*, quæ nondum fuerãt de ouili Christi, & fractis atque
Rom. 11 excisis aliquot ramis (propter incredulitatem) qui in oliuam inserti fuerant, alios de nouo inseri, donec plenitudo Gentium intraret. Oportebat de-
Ioan. 6. nique, vt multis abeuntibus retrò, nec cũ Christo ampliùs ambulantibus, quia durus illis sermo Christi videbatur, non in vno illo tantùm verbo de manducanda carne & bibẽdo sanguine eius, sed & in alijs multis sanæ doctrinæ capitibus, cum B.Petro aliisq; Apostolis, cum Sede B.Petri, alijsque Catholicæ Ecclesiæ Præpositis,

positis, arctiùs Christo adhærere; Christi fidem à maioribus acceptam studiosiùs complecti; & Christo in sua Ecclesia perpetuò præsenti, *omnibus sanè diebus, vsque ad consummationem seculi)* alacriter dicere: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Verba porrò *quæ dedit tibi Pater, dedisti Apostolis tuis,* & successoribus eorum; *& ipsi acceperunt, nosq; per verbum eorum credidimus in te, vt omnes vnum simus.* Hęc hodie inter medios hæreticos fortissimorum Catholicorum vox, hic sensus est; his maximè modis Dei gloria, vtcumque tam multis, tã fœdis tam latè grassantibus hæresibus, nobi-

Matth. 28.

Ioan. 6.

Ioan. 17.

nobiliùs ac ſplendidiùs eluxit.

Iam ad ipſos pios & conſtantes Eccleſiæ Catholicæ filios vberrimus etiam ex hodiernis hæreſibus fructus acceſſit. Omnia quippe Catholicæ fidei dogmata, propter oblatrantes hæreticos in iurgium ac rixã vocata, & acriùs defenſa, & accuratiùs pertractata, & luculentiùs explicata, magnum ſacroſanctæ Religioni noſtrę decus, maiorem credentibus conſolationem, maximum infirmis in fide robur attulerũt. De ſuorũ temporum hæreſibus B. Auguſtinus in hæreticorũ pugnis exercitatiſſimus ita ſcribit: *Nunquid*

Enar. in Pſal. 54.

quid perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de Pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani? Nunquid perfectè de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores? Idem de quamplurimis hodie fidei dogmatibus, de tota Sacramentorum doctrina, de tota Iustificationis ac salutis humanæ ratione, de tota Ecclesiæ Dei potestate, authoritate, natura verissimè dici potest, perfectè de illis tractatū non fuisse, donec tot hodie sectæ ac sectarij ea dogmata in controuersia ponerēt, donec obsisterēt Lutherani, donec oblatra-

trarent Caluiniſtę, donec contradicerent etiam nunc foris poſiti rebaptizatores. *Multa quippe ad Catholicã fidem pertinentia* (ait idem ſapiẽtiſsimus Doctor Auguſtinus) *dum hæreticorum callida inquietudine exagitãtur; vt aduerſus eos defendi poſsint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtãtiùs prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio.* Hic eſt ex parte multiplex ille & vberrimus fructus, qui ex ipſis hęreſibus ad veros Eccleſiæ filios redundat. Ad hunc fructum capeſſendum hortatur diligẽter idem clariſsimus Doctor. *Vtamur*, inquit, *hoc diuinæ prouidentiæ*

De Ciuit. Dei lib. 16. c. 2.

Lib. de vera relig. c. 8.

dentiæ beneficio, vtamur hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus. In hoc enim prosũt, quòd ad verũ quærendum carnales seu paruulos *Catholicos, ad verum aperiendum spirituales* & exercitatos *excitent.* Cuius ego cõsilium sequutus, vt paruulus adhuc verùm studiosè quærebã, ita exercitatior postea factus ad verum aperiendum excitatus fui.

Cæterùm quum horũ temporum sectarij, non ipsa tãtùm orthodoxę fidei dogmata longis tractatibus ac disputationibus

bus pænè innumeris grauiter ſunt inſectati, ſuas vt dementiſſimas hęreſes apud indoctos atq; inſtabiles probabiles rederent, ſed & ipſas quoque diuiniſsimas Scripturas integris & numeroſis commentarijs fœdiſſimè contaminarint, vt ex ipſo Dei verbo (quo ſolo gloriari, ſuaque omnia firmare videri volunt) profanas & impias opiniones ſuas ſtabilirent, (quo hæreticæ corruptelæ genere nec Auguſtini nec vlla alia hactenus ætate ſic infeſtatam Eccleſiam fuiſſe, vllis maiorum monimentis apparet) ad iſtam fallaciam atque impoſturam omnium maximam

mam maximeq. noxiam aperiendam, eique pro modulo meo occurrendum, animum iam dudum applicui. Nam & de hoc genere S. Augustinum ita scripsisse memini: *Hæreticorum inquietudine, vt Scripturas vigilantiùs perscrutemur, vnde, ne ouili Christi noceant, illis possit occurri, tanquam de somno ignauiæ nostra excitatur industria. Ita per multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adiutorium.* Epist. 105.

Scripturas igitur diuinas, maximè totius noui Testamenti, ab hæreticorum hodie indignissimis corruptelis sedulò perpurgare dum contendo, (vt quod illi in perniciem

machinati ſunt, ego Dei beneficio in aliorum ſalutē conuertam, aduerſus eorum venena ſalubria Antidota conficiens) & huius operis primis quidem lineis (Sacroſanctis quatuor Euangelijs) ſuperiori anno euulgatis, Apoſtolica ſcripta ordine aggredior; huius partis prolixioris, quiq; fructus (ni fallor) multò vberiores adferet (certè difficultates multò plures & grauiores habet) primos Tomos duos, veluti gemellū fœtū, ad Apoſtolicæ Sedis tuæ (Beatiſs. Pater) pedes deponere, grauiſsimoq. ac ſupremo in terris iudicio tuo ſiſtere volui. Argumēti ipſius indo-

indoles, tuęq. admirabilis pietatis celeberrima fama, istud à me qualecumque officium efflagitare videbantur. Acta Apostolica, quæ B. Petri prædecessoris S. tuæ in ædificãda Christi Ecclesia primas operas, primas & felicissimas structuras, prima certamina; B. quoque Pauli, qui pariter cum B. Petro Põtificatus vestri vrbem, suo illic fuso sanguine, suo relicto corpore, consecrauit, primos similiter sudores, primas peregrinationes complectuntur; quæ vtriusque varias ac diuinissimas conciones commemorant; hoc in opere à varijs Nouatorum inquina-

mentis vindicata, Apoſtolicæ Sedi tuæ non ingrata fore exiſtimaui. Epiſtolã verò Beatiſſimi Pauli & nobiliſsimam & difficillimã ad Rom. datam, in qua vna ſtudioſiſsimè cõſpurcãda omnia hodie hæreticorũ ingenia certatim laborauerũt, ab eorũ ſpurcitijs & corruptelis ſtudiosè ac diligenter aſſertã atque expurgatam, S. tuæ Romanæ vrbis & orbis Pontifici ſummo veluti propriam dicare, pænè neceſſarium iudicaui: certè æquum & conſentaneũ eſſe nihil dubitaui. Eſt quidem omnibus Chriſtianis Catholicis commune, non ſolùm *epiſtolam ad Romanos in lectione*

Auguſt. de vnit. Eccleſ. cap. 10.

ne &

ne & fide, ſed etiam *Eccleſiam Romanam in cõmunione tenere*; quum prius tantùm horũ (ſi tamẽ & illud) hodie teneant hæretici, quod de ſuis olim Donatiſtis notauit Auguſt. V. autem B. ſic vtrũque hoc arctiſſimè tenet, vt non niſi in perſona veſtra vtrũque teneatur. Neque enim vel epiſt. ad Roman. veram lectionẽ ac fidẽ tenet, qui præter Catholicæ & matricis Eccleſiæ veſtræ ſenſum ac iudicium eam intelligit; nec Eccleſiæ Romanæ communionem tenere poteſt, niſi qui cum S.V. communicat. Hanc igitur epiſtolæ ad Romanos, adeoque Actorum omnium,

Apoſtolicorum, quatenus ea Lucas deſcripſit, ab hęreticorum hodie corruptelis repurgationem meam Sedi V. Apoſtolicæ inprimis & ante omnia ſiſti oportere, eiąue deberi, arbitratus ſum.

Acceſſit ingentis ſtimuli loco Beatitud. V. non ſolùm pro fide Catholica tuenda ac propagãda zelus & ardor Petri ſucceſſore dignus, maximè aduerſus hæreticos ac politicos magnates (qui ſub pietatis larua rem ſuam agunt, Eccleſiæ hoſtes ſunt) ſpiritus planè Apoſtolicus, & Paulo dignus, qui hominibus placere neſciuit; verùm etiam in Gentem noſtram,

noſtram, tot annis vnius orthodoxæ fidei cauſa afflictiſſimam, paterna admodum & feruens dilectio; quorum illud omnes toto orbe Catholicos, iſtud me magis inter cæteros, in S. V. admirationem & cultum rapuit. Nec diffiteri aut diſſimulare poſſum, ad hoc officij & obſeruantiæ genus (ſi tamen obſeruantia, nõ præſumptio, iſtud eſt) ex eo quoque capite impulſum me eſſe, quòd & piæ ac celebris memoriæ Gul. Cardinalem Alanum, & Audoënum Ludouicum Reuerendiſsimum Epiſcopum Caſſanenſem, ſumma pietate, prudentia, eruditione

præstantissimos viros, meos quoque amicos coniunctissimos, & veteres collegas Academicos, sic in precio habuerit, vt illum, dum viueret, intimè admodum ac tenerè dilexerit, huius superstitis operâ in Ecclesiasticis grauissimis negotijs, proprieque Episcopalibus, frequenter vtatur. Sperabam quippe, & horum quoque intuitu, hoc obseruantiæ meæ qualecumque testimonium Sanctitati tuæ nec absurdum videri posse, nec ingratum fore. Quod vt in optimam partem accipere, & pro sua clementia benignè complecti, suaque benedi-

ctione

ctione labores hosce meos ac me clementer impertiri dignetur, ad Beatitud. V. pedes supplex rogo. Louanij, Cal. Septembr. 1595.

Beatitud. V.

humillimus orator

Thomas Stapletonus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO

ad Lectorem.

AD epistolas Apostolicas (Christiane Lector) ab hæreticorum hodie corruptelis vindicandas, & ad Antidota nostra venenatis eorum depravationibus opponenda, post Euangelica iam in lucem data Antidota, priùs descendere nolui, quàm seruato noui Instrumenti ordine, ipsorum quoque in Acta Apostolica commentarios, vt ab Augustino Marlorato in vnum corpus collecti sunt, examinassem, & ad orthodoxæ veritatis regulam exegissem. Quod eò alacriùs feci, quò facilius ac breuiùs hoc veluti interuallum me superaturum confidebam; eoq; aliquot hebdomadarum opere traiecto, vt epistolis Paulinis ordine explicandis (quæ prima nostra in hoc opere

opere longo intentio fuit) deinceps absque vlla remora incumberem, futurũ sperabam. Sed hõc vallum ingressus, vastius illud & spinosius expectatione mea inueni. Aduersariorum quoque in eo omnibus modis contaminando, perturbando, ac deprauando, maiorem solito industriam, laborem, & contentionem deprehendi. Sanè vnus Caluinus (in cuius tandem integros commentarios incidi) in Acta Apostolorũ & prolixiùs, & accuratiùs, & vehementiùs scripsit, quàm in vllam aliam noui Testamenti partem: siue quia hunc librum à paucioribus hactenus interpretibus explicatum, siue quia negligentiùs discussum, siue denique quia ad schismatis dogmatumq; suorũ causam probabiliùs & apparentiùs ornandam varia hîc sibi argumenta suppeditari cernebat. Hic quippe Actorum liber vt Christianæ Ecclesiæ exordia & primos progressus narrat; ideoq; non doctrinam modò variam ex Petri ac Pauli diuinis concionibus facilè hauriendam, sed & quæ ad praxin Ecclesiæ Christianæ tunc in herba ac nouella faciebant, plurima annotanda complectitur; ita in vtroque hoc genere latum Caluino campum disputandi præbuit.

Caluinus in Acta Apostol. solito prolixior.

præbuit. Qui sanè in neutro aut frigidus, aut indiligens, nihil planè prætermisit, quod vel ad aliquod fidei dogma hodie controversum (aut in suæ hæresis favorem aut in Catholicæ doctrinæ præiudicium faciens) vel ad aliquam Ecclesiæ praxin, politiam, ac cultum, (ad suæ quoque novellæ sectæ patrocinium aut antiquæ Catholicæ Ecclesiæ detrimentum pertinens) quoquo modo trahi, torqueri, inuerti potuit. Neque verò materias occurrentes leuiter attingit, aut obiter quasi digito commonstrat, sed illis singulis diu immoratur, longas in permultis disputationes texit, planeq; prolixioribus suis in Institutione concertationibus hîc veluti in compendium redactis, earum quasi medullam ac summam lectori exhibet; ac per hoc venena sua non guttatim instillat, sed plenis poculis seu vasis potiùs haurienda porrigit. Sic de Sacramentis in genere, de baptismo Christi & Ioannis, de Confirmatione, de Pœnitentia, de Confessione peccatorum, de Ordine sacro, de Diaconis, de Presbyteris, de Episcopis, de vocatione ad ministerium verbi legitima, de fide, de charitate, quòd sola fides iustificet, sola Christum appre-

Dogmata fidei in hoc opere defensa.

apprehendat, sola gratiam recipiat, sola operibus pretium adferat, de electionis & gratiæ certitudine, de prædestinatione, de legis ac mandatorũ impossibili obseruatione, nulla obligatione, de bonorũ operũ nullo merito, nulla mercede, nulla iustitia, de gratia eiusq; varijs effectibus, de libero arbitrio, de Sacrificio Christianorum, de ceremonijs, de Imaginum ac Sanctorum cultu & inuocatione, de Reliquijs, de Ecclesiæ antiquitate negligenda, authoritate proculcanda, legibus despuendis, de Concilijs, de Scripturarum vsu & tractatione, de Christi vita, morte, redemptione, de Dei potentia, voluntate, decreto, longas hîc habes vnius Caluini disputationes, astutas, acutas, accuratas: ita sanè vt nihil omittat quod causam suam iuuare, pleraque etiam repellere conetur quæ contra ipsum facere posse videri queant. Porrò Rom. Pontificem, clerum Catholicum, Monachos, atque ipsos adeò in vniuersum Christianos, maledicus iste Timon, & canis Rhetoricus, idq; in Iudæorum ac Paganorum fauorem, sæpe admodum acerbè & virulenter taxat, mordet, traducit, varijs & fœdis criminationibus lacerat. His omnibus

nibus dum pro meo modulo occurrere contendo; aduersus tot ac tanta venenata eius spicula salutares herbas porrigere dum laboro; singulis eius toxicis singula antidota adhibere, pariq; diligentia hostem tam infensum repellere ac retundere dum desidero; tametsi breuitatem in omnibus, quantam licuit, affecto; opus ipsum expectatione maius creuit, & remoram mihi diuturniorem iniecit. Cæterùm quantò vel hostis acrior & accuratior, vel nostra refutatio prolixior ac productior est; tantò erit tua (Lector) institutio vberior, consolatio maior, varia vtilitas copiosior. Profitetur alicubi Caluinus: Etsi à muneris mei functione *(qua Geneuensium Theologus Scripturas publicè explanauit)* perquam exiguum mihi tempus restat; id tamen, quantulumcumque est, institui ad hoc scriptionis genus conferre. *De commentarijs in Scripturas edendis loquitur. Profitetur ibidem,* Scripturæ interpretes pro sua quemque facultate ad debellandum Antichristum arma suppeditare. *Interpretes designat suæ farinæ homines, nouos huius temporis sectarios. Antichristi nomine Rom.*

In Præfat. com. in epist. Canon. ad Eduardũ 6. Angliæ Regem.

Rom. Pontificem, & vniuersam Ecclesiam Catholicam ei adhærentem, eiusq; vnius Ecclesiæ dogmata orthodoxa omnia completitur. Postquam ergo iste Iudas ita non dormit, sed cum suis asseclis & satellitibus, cum facibus ac laternis, cum fustibus & gladijs, ad Christum capiendum inuigilat, satagit, laborat; astutia, impudentia, ingenio, facundia armatus, Catholicam Christi Ecclesiam oppugnat; nolui & ego dormire: tametsi à muneris mei functione (professione Theologica quotidiana) perquam exiguum mihi tempus restat, id tamen, quantulumcumque est, institui ad hoc scriptionis genus conferre, vt quæ vnus inprimis Caluinus ad Ecclesiam Catholicam debellandam, & ad diuinas Scripturas deprauandas, pertinaci studio elaborauit, (saltem quoad nouum Instrumentum) refellam omnia; variamq; & multiplicē acerrimi huius Archihæretici (quem acutum diaboli organum *Lutherani meritò vocant) modò astutiam & calliditatem, modò nequitiam & maledicentiam, modò ineptiam & stoliditatem, modò inconstantiam & leuitatem, in omnibus diuini verbi corruptelam toti mundo patefaciam. Et quidem*

Aegidius Hunnius, Doctor V Vittemberg. in libello, *Caluinus Iudaizans.*

dem in hoc vno libro quantum iam hæc singula patefacta dederim, ipse Index libro adiectus Lectori notata loca percurrenti ad oculum commonstrabit. Scribit nefarius impostor: nullam certiorem vel magis dilucidam neque ab Euclide neque ab Archimede afferri demonstrationem posse, quòd Ecclesia Romana fœtidum sit Belial scortum, Satanæ lupanar, porcorum hara (*his ille emblematibus & aromatibus gaudet*) quàm si Ecclesiæ, qualis à Luca in Actis describitur, cum synagoga Papali fiat comparatio. *Enimuero hoc in suis commentarijs demonstrare se posse, Principi illi Polonico, cui eos dicauit, persuadere voluit. In eum finem nihil intactum reliquit, vnde aliqua huius blasphemiæ species effingi, color aut fucus aliquis induci posset: non ex subiecto textus sacri argumento, sed ex suo malè sano cerebro, & corrupto stomacho, odio ac maledictione grauido, materiam captans. Atqui fauēte Christo, & ipsa veritatis orthodoxæ luce in singulis affulgente, nefarij impostoris technas omnes, artes & dolos patefecimus, paralogismos refutauimus, calumnias*

In Præfat. comment. ad Acta Apost.

depulimus; & in Actis istis Apostolicis quod vel doctrinæ vel politiæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ vel in minimo aduersetur, planè nihil esse, clarè docuimus; dogmata fidei, Sacramentorũ doctrinam, cultum, ceremonias, quorum in hoc libro per occasionem mentio facta est (neque enim vniuersam fidei doctrinam, politiam Ecclesiasticam, cultum religionis Christianæ, aut hic aut vllus alius Scripturæ liber commemorat, vel commemorandum suscepit) Catholicæ & orthodoxæ doctrinæ, quam Romana hodie tenet ac tradit Ecclesia, per omnia conuenire docemus: nequicquam ex aduerso satagente, fallente, criminante, paralogizante, disputãte, mentiente Caluino, Bullingero, Brentio, Sarcerio, aut alio quouis sectario interprete, quem in suam Cathenam consarcinauit Marloratus. Quæ etiam Beza obiter aspersit venena, diluimus. Quanquam ex vno Caluino tam multa congesit Marloratus, & vnius Caluini in hunc librum tam prolixus & accuratus cõmentarius est, vt hunc vnum refutasse, ad veritatis orthodoxæ in hac

sacra

sacra historia traditæ defensionem suffi-
cere posse videatur.

Existimabit fortè quispiam, satius ac consultius fuisse, has hæreticorum, & Calvini maximè, tam fœdas diuini verbi corruptelas, tam noxia venena, tam infames aduersus Ecclesiam Dei criminationes oculis Catholicorum omnino non subjicere, vtcumque porrectis ad manum Antidotis ac remedijs; ne ipsa fortasse magis arrideant quibusdam palatis toxica, quàm quæ mox opponuntur parũ fortasse firma remedia: quum enim ille ingenio, facundia, astutia, diligentia plurimum valeret; metum subesse posse, ne, vtcumque oppugnãdi animus non defuerit, vires tamen & facultates defecerint. Cæterùm tot sunt huius tam audacis hæretici in hoc vno opere stolidi paralogismi, tot pugnantes sententiæ, quibus seipsum refutat; tam crassa mendacia, vtcumque verborũ lenocinijs ac pigmentis artificiosè colorata; tam mihi ex multa eius lectione & controuersiarum à multis annis tractatione compertæ & exploratæ sunt huius hominis artes, technæ, ac im-

posturæ, & (quod caput est) propriæ eius de dogmatibus cõtrouersis sententiæ, propria fundamenta ac firmamenta; vt hunc metũ quantũlibet infirmi Catholici animo eximere, Christo bene iuuante, audeã. Imò nõ dubito, plurimos ista lecturos, qui tam absurdũ & procacẽ aduersarium pleniùs & acriùs à me refutatum non fuisse mirabuntur. Verùm ego ita singula refutare volui, vt breuitati (quantum licuit) studens, eo, quod satis erat, contentus esse voluerim. Sed & ad Caluinistas ab hoc homine seductos (quorum manibus hi commentarij assiduè teruntur) in viam reducendos, magna quoque ex parte hic labor noster insudauit. A quibus nihil quàm æquitatem postulo; nec quis quem refutet, sed qualis ipsa refutatio est, vt attendere velint, rogo. Neminem existimo ita salutis suæ prodigum, qui tam procaci, tam mendaci, tam secum pugnanti, toties paralogizanti, tãto impostori, tanto diuinarum Scripturarum deprauatori sciens ac prudens fidẽ adhibere, aut eius in rebus fidei iudicium sequi velit. Vtcumque est, hunc nostræ ætatis Porphyrium,

Caluinistarum saluti hoc opus laborat.

rium, aut Apollinariũ potiùs atque Arium, eiúsque sectam vniuersam, quæ omnia huius dictata pro diuinis oraculis habet, cane peiùs & angue Catholicus omnis Christianus execrabitur. Quod semel hoc loco dictũ, ad reliqua nostra omnia, tam quæ iam prodierunt Euangelica, quàm quæ adhuc (Deo dante) subsequentur Apostolica Antidota, dictum velim. Vale Christiane Lector, & nostris pro veritate Euangelica laboribus fruere: qui si aliquid aut consolationis aut fructus attulerint, pro omni mercede tuis apud Deum precibus (longa enim nobis restat via) nos interdum iuua.

Louanij, 21. Aprilis, 1595.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTIDOTA APOSTOLICA in Acta Apostolorum.

CAPVT PRIMVM.

15. *Exurgens Petrus in medio fratrum, dixit.*

RECTISSIME obseruat B. Chrysostomus hoc loco, textusque ipse demonstrat, pascendi curam atque primatum Petro à Christo commissum, in ipso statim exordio à Petro agnitũ, & executioni mandatum fuisse: sed cum ea moderatione qua Petri etiam successores in causis difficilioribus vti solent. *Quàm* (inquit) *agnoscit creditũ à Christo gregem! Quàm in hoc Apostolorum & discipulorum choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui!* Et paulo pòst, vt quam moderationem tenuerit aduertas: *Iam* (inquit) *& illud considera, quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio.* Nempe idcirco in medio fra-

Petri primatus.

Hom. 3. in Acta.

dio fratrum rem proponit, & vt ipsi certos eligant in sortem mittendos permittit. Sed ne hoc totum Petri authoritati præiudicet aliquid, vide quid S. Chrysostomus adiũgat. *Quid? An non licebat illi eligere qui in Iudæ locum succederet? Licebat, & quidem maximè: verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. Sed & paulo pòst: Vide verò Iacobi modestiam. Acceperat ille Hierosolymis Episcopi munus, & tamen hìc nihil loquitur. Considera autem & aliorum discipulorum modestiam, quo pacto concedunt ei solium, nec amplius ambigunt disceptantes inter se, videl. quis eorum videretur esse maior. Meritò primus omnium authoritatem vsurpat in negocio, vt qui omnes habebat in manu. Ad hunc enim dixit Christus: Et tu conuersus confirma fratres tuos.* Hæc Chrysostomus. Frustra igitur Beza citatum hunc locũ ab Augustino periculosi erroris notauit.

Act. cum Felice Manich. lib. 1. c. 4.

Quum enim pro eo quod nostra lectio habet, *Statuerũt autem duos*, &c. Augusti. hũc totum locum recitans legat, *Statuit*, ait Beza: *Interpretatur Augustinus singulari numero, Statuit, periculoso errore. Nihil enim hìc priuatim à Petro geritur quasi excellentiori dignitate prædito, sed publicè, & totius collegij suffragijs.* Hæc ille. Sed saniorem interpretem habemus Chrysostomum, qui non vt periculosum errorem, sed vt certam & salubrem veritatẽ Christi verbis conformem, Petri hoc loco excellentiorem cæteris dignitatem luculenter docuit. Voxilla certæ authoritatis erat: *Oportet ex his viris,*

his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis fieri. Determinat ex quo numero deligēdus in Apostolum esset; & quod Scriptura iuxta Petri interpretationem in genere futurum prædixerat, illud quomodo & qua via in particulari fieri debeat, solus præscribit. Ita & Scripturam solus exponit, & indefinitum Dei mandatum solus definit. Hæc duo priuatim Petrus gerit, reliqua collegis ac fratribus permittit.

CAP. II.

1. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, &c.*

CVR ad hūc vsque Penteco stes diem missio Spiritus S. dilata sit, & quid illa missio in cordibus fidelium operata sit, D. August. sapienter exponit: *Spiritus Sanctus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur. Vnde quia legis tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est Spiritus Dei per quem sanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem bene operemur, quem non moueat ista congruentia, ibidem que eadem subsistētia? Dies enim 50. cōputātur à celebratione Paschæ, quæ occisione figuratæ ouis per Moysem fieri præcepta est, in significationem vtique futuræ dominicæ passionis, vsque ad diem quo Moyses legem accepit in tabulis digito Dei conscriptis. Similiter ab occisione* Spiritus S. cur die Pentecostes datus De Spiritu & lit. cap. 16.

& resurrectione illius qui sicut ouis ad immolandum ductus est, 50. diebus in vnum congregatos fideles
Cap. 17. *digitus Dei, hoc est, Spiritus Sanctus implenit. In hac mirabili congructia, illud certè plurimum distat, quòd ibi populus accedere ad locum, vbi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hîc autem in eos superuenit Spiritus sanctus, qui eum promissum exspectãte: in vnũ fuerãt cõgregati. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est: hîc in cordibus humanis. Ibi lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrerẽtur: hîc intrinsecus data est, qua iustificarẽtur.* Hæc ille, verum vsum ac finem dati hoc die &
Caluini corruptela. hoc modo Spiritus Sancti explicans. Caluinus hoc totum vt argutiã contẽnit, & in die Pentecostes hæc accidisse vult, quia dies festus erat, quo plurima hominum multitudo conueniret, vt res celebriùs innotesceret. Atqui alia festa erant, maximè feriæ paschales seu septem dies azymorum, statim post resurrectionem Christi, non minùs celebres, quibus mitti Spiritus potuerat, si illa *magis solida causa* esset, vt loquitur Caluinus. Porrò & ex hac missione verũ discrimen legis &
Legis & Euãgelij discrimẽ. Euangelij describitur. Lex extrinsecus terrens, Euangelium intrinsecus afficiens promulgatur: quod latiùs loco citato pertractat Augustinus. Habuit autem hic Spiritus Sancti Aduentus in ipsis Apostolis singulares effectus vocationi ipsorum proprios, vt loqui linguis omnium gentium, quia Euangelium toti mundo annunciaturi erant. Sed

donum

donum charitatis intrinsecus iustificans, & ad omnem pietatem corda inflammans, commune omnibus erat, sicuti effectus statim docuit, vt in fine huius cap. Lucas describit. Vult Beza solis Apostolis datũ esse Spiritum Sanctum; & carpit Catholicos, qui B. Virginum, in medio Apostolorum pingunt descendente Spiritu sancto. Sed textus clarè docet *omnes fuisse pariter in eodem loco.* Videlicet 120. quos in superiori cap. designauit, inter quos recensetur B. Virgo. Et tametsi Petrus non nisi aliorum vndecim nomine turbæ loqueretur, nisi eorum causam ageret, vt Beza vult; illud ideo fieri potuit, quia illi soli linguis loquebantur magnalia Dei, cæteris fidelibus aut tacentibus, aut talia magnalia non loquentibus. Sanè in omnes præsentes Spiritum Sanctum descendisse, & hoc vnum discrimen fuisse datę legis in monte Sina, suprà ex August. loco citato accepimus.

Beza futilis cauillatio.

23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.*

PErsuadent sibi firmiter ex hoc loco Caluinistæ, hominum impiorum malefacta non solùm Deo præsciente & permittente, aut etiam ad certos laudabiles fines ordinãte, sed etiam actiuè ad illa concurrente, eaq; ipsa vt fiant decernente, perpetrari: vt hoc

Deum peccata præscire & permittere, sed non operari vel decernere.

videlicet modo actionibus humanis necessitatem imponant, libertatem omnem detrahant. Quum enim duo hîc dicat D. Petrus, definitum Dei consilium, & præscientiam; *ista duo* (ait Caluinus) *distinguere nos oportet, atque eo diligentius quòd multi in hac parte fallantur. Prætexto enim consilio Dei, quo moderatur totum orbem, nudam præscientiam arripiunt. Inde vulgaris illa distinctio, quòd tametsi præuidet Deus omnia, nullam tamen creaturis imponit necessitatem. Sed hîc videmus non tantùm à Deo græuissimum quicquid Christo accidit, sed ab eo fuisse decretum. Hinc autem colligi debet generalis doctrina, quia Deus non minùs in totius mundi gubernatione, quàm in ordinanda morte Christi, suam prouidentiam ostendit. Dei ergo est non futura modò præscire, sed suo arbitrio statuere quid fieri vult.* Hæc Caluinus, docens Deum omnia hominum peccata non præscire tantùm, sed & decernere suoque arbitrio statuere quid fieri velit, & hoc ipsum ad Dei voluntatem pertinere. Ait enim in sequentibus: *Aliud est præscientia quàm voluntas Dei qua regit ac temperat omnia.* Hîc verò respondentibus & diligenter distinguentibus Catholicis, de voluntate Dei permittente, ab illa voluntate quæ pariter quod vult operatur, quarum illa in solis peccatis & actionibus inordinatis, Deique voluntati contrarijs, hæc verò in actionibus pijs & spiritualibus versatur; rursum de decreto Dei seu voluntate absoluta aut aliquid

Voluntas Dei mala permittit bona operatur.

fieri

fieri decernente, idque vel voluntate efficaci, & sine vlla dependentia ab arbitrio creato, vt in ijs quę naturaliter & necessariò fiũt; vel dependenter ab arbitrio creato, quatenus præuidens bona per liberum arbitrium futura cum auxilio gratiæ suæ, ea simpliciter & absolutè vult quia placent ei, aut in aliquem bonum finem ordinante, vt ipsa hominũ peccata; *quia maluit ex malis bona facere, quàm nulla mala esse permittere*; Caluinus cum suis hanc moderationem & distinctionem non ferunt; vt pote ex qua cõsequitur actionibus humanis superesse adhuc libertatẽ, tã quoad mala opera omnia quę Deus nec vult nęc decernit simpliciter fieri, quàm quoad bona etiam opera: quæ gratiæ quidem diuinæ adiutorio filij Dei faciunt, sed cooperãte libero hominis arbitrio. Addit igitur adhuc Caluinus, vt hanc moderationem ac distinctionem conuellat: *Nonnulli* (inquit) *qui acutiùs cernunt, Deum non modò præscire, sed nutu etiam quæcunque fiunt in mundo moderari fatentur. Interea tamen confusum regimen imaginantur, quasi Deus frena laxaret creaturis, vt singula sequantur naturæ suæ ordinem. Hoc modo liberum homini arbitrium relinqui putant, quoniam ad liberam boni & mali electionem disposita est eius natura.* Hæc est sanè sententia nostra, Catholica, orthodoxa, & totius veteris Ecclesiæ, cuius fidelissimus testis Augustinus ita scribit: *Fides sana Catholica neque liberum arbitrium negat sine*

Voluntas Dei absoluta duplex.

Voluntas Dei ordinat mala in finem bonum.

Epist. 47.

Liberi arbitrij doctrina ortho-doxa.

in vitam malam siue in bonam, neque tãtum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid; siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat, siue vt ad bonum sempiternum perueniat. Quid ergo aduersus hanc fidem sanam Catholicam Caluinus? *Sed* (inquit) *qui ita sentiunt, Deum fingunt in cælo sedere otiosum.* Et quare aut quomodo hoc sequitur? ne vno quidem verbo docet. Atqui Deus permittens homini liberam suorum operũ electionem & executionem, non sedet in cælo otiosus, quia bonis operibus cooperatur, & mala opera volens ac sciens permittit, eademque ad certos laudabiles & egregios fines suo occulto iudicio ordinat ac disponit. Sed pergamus cum Caluino. *Longè* (inquit) *aliter Scriptura, quæ speciale Deo regimẽ & in rebus singulis & in hominũ actionibus vendicat.* Hoc speciale regimen Dei per liberas hominum actiones adeò non impeditur, vt in illis maximè reluceat. Vbi enim speciale Dei regimen circa hominum actiones luculentiùs & illustriùs innotescit ac relucet, quàm in iustis iudicijs suis quæ circa illas exercet, *reddens vnicuique iuxta opera sua?* Atqui (ait idem Augustinus) *Si non est liberum arbitrium, quo modo iudicat mundum?* & rursum: *Quomodo vnicuique iuxta opera sua redderetur in die iudicij, nisi liberum esset arbitrium?* Nihil ergo hactenus Caluinus contra liberas hominũ actiones cum Dei prouidẽtia & definito consilio

Rom. 2.

Epist. 46.

Hypognost. lib. 3.

cõsilio coniunctas attulit. Vtraq; simul rectissimè cõsistunt, quia libera hominis operatio ipsius prouidentiæ diuinæ pars est.

Cæterùm si iuxta Caluinum homo malus liberè non operatur, sed ex Dei voluntate & decreto necessitas ei imponitur, & in ipsis malis operibus Deus statuit quid fieri vult; quomodo vel homo peccasse censebitur, qui malè operãdo Dei decretum infallibile necessariò executus est; vel Deus ipse mali author non censebitur, qui ipsum peccatũ fieri voluit adeoque decreuit? Ad vtrumque inconueniens respondet hoc loco Caluinus, quia vtrumque consequi facilè aduertit. Ad prius dicit: *Vtrumque exequantur impij quod apud se Deus statuit, nihil tamen minùs quàm Deo obediunt. Nam obedientia ex voluntario affectu nascitur.* Sed hæc nulla responsio est. Non enim quæritur an homines impij Dei voluntatem & decretum exequendo bene mereantur, sed an à peccato sint immunes. Non obediunt quidem Deo, ideoque nihil merẽtur: sed & interim videntur non peccare, quia & opus, quod faciunt, Dei voluntati conforme est, (vult enim Deus ipsa peccata fieri, eaque decernit, iuxta Caluinũ) & præterea hoc ipsum necessariò faciunt, à Deo compulsi. Sic enim subiungit Caluinus: *Illi demum obediunt Deo, qui opera sua exigunt ad legis regulam, deinde eius imperio se voluntarij subijciunt. Nihil tale in omnibus impijs cernimus, quos Deus*

Dei decretũ circa peccatum duo absurda cõsequũtur.

Caluinĩ effugium circa prius.

Caluini blasphemia in Deum.

huc vel illuc nescientes impellit. Ecce, ait Deum homines impios huc vel illuc nesciētes impellere. Compulsi igitur operantur, & ipsam Dei voluntatem, quam nesciūt, penitus exsequuntur. In quantum nesciunt se Dei voluntatem exequi, eamque compulsi faciūt, Deo certè non obediunt iuxta obedientiæ regulam ab ipso Caluino definitam. In quātum verò ipsam Dei voluntatem exequuntur, necessario à peccato excusantur. Quid enim est aliud peccare, quàm contra Dei voluntatem facere? Sed absit homines impios Dei voluntatem exequi, qui ea perpetrant quæ diuinæ voluntati in lege ac præceptis patefactę apertè repugnāt. At impius Caluinus aliam fingit arcanam Dei voluntatem, qua vult & decernit ipsa mala opera, & sine qua voluntate actiua sederet otiosus in cælo. Cæterùm, hoc vno argumento inuictè refellitur, quia Dei voluntas sibi cōtraria esse non potest. Quod in lege ac præceptis se nolle professus est, illud idem arcana voluntate aliqua velle, sine summa impietate cogitari non potest. Manet ergo firma iusta impiorum excusatio, si (vt Caluinus ex hoc loco colligit) ipsa impiorū opera mala Deus fieri vult ac decernit, & ipsos impios huc atque illuc nescientes (hoc est, arcanæ huius voluntatis ignaros) impellit.

Caluini effugium circa posterius.

Ad alterum inconueniens respondet: *Quantum ad alterum pertinet, negamus Deum esse mali authorem,*

authorem, quia in hac voce certa est notatio prauæ affectus. Maleficium enim æstimatur ex fine quò quisque tendit. Homines cùm vel furtum vel homicidium perpetrant, ideo peccant, quia fures sunt aut homicidæ, in furto autem & homicidio sceleratum consilium. Deus, qui illorum malitia vtitur, in superiore gradu locandus est. Hæc ille. Putat excusari Deum, quia impiorum hominum mala quæ vult, & quæ decernit, non nisi in bonũ finem vult, ordinat, ac disponit, vtẽs eorum malitia. Atqui deflectit astutè à voluntate & decreto malitiæ impiorum, ad vsum huius malitiæ quo in rectum aliquem finem à Deo destinatur. Hic vsus malitiæ impiorũ & directio ad bonum finem à Deo non negatur. Nec propter huiusmodi vsum author mali censetur. Sed quia iuxta Caluinum ipsum malũ opus Deus fieri vult, & fieri decernit, ideo Deum mali authorem à Caluino constitui dicimus. Ad hoc Caluinus non respondet, nisi quòd maleficium æstimandũ ex fine affirmat. Sed quid? an opus ex se malum ad bonum finem velle, à peccato excusat? Vbi ergo illud Apostoli, *Non faciamus mala vt eueniant bona?* An excusabuntur impij persecutores Apostolorum, quia illa persecutione *arbitrabantur se obsequium præstare Deo*, qui finis laudabilis erat? Prorsus ergo impius Caluinus, hæc Petri verba deprauãs, Deũ Opt. Max. peccati authorẽ & reũ facit.

Astuta Caluini euasio reijcitur.

Rom. 2.

Ioan. 16.

In eadẽ impietate persistit Beza: *Cognitionis vo-*

Bezæ impietas Caluinianæ conformis.

nis vocabulo (sic ille præscientiam vertit) *non est quòd cum Epicureis otiosam aliquam in Deo futurorum cognitionem imaginemur: quum prouidentia Dei nec debeat nec possit ab eius definito consilio ac decreto conuelli, vt hodie nonnulli se facere dictitant, ne Deum authorem malorum videantur facere. Absit verò à nobis hæc blasphemia.* Est igitur Caluinus blasphemus, qui ea etiam de re

Inst. lib. 1. cap. 18. num. 3.

alicubi gloriatur. Sic enim scripsit: *Iam satis ostendi, Deum vocari eorum omnium authorẽ, quæ isti censores volunt tantùm otiosè eius permissu contingere.* Sed pergamus cum Beza, &, an non eiusdem blasphemiæ reus sit, videamus. *Sed absit* (inquit) *vicissim vt quicquam Deo vel conniuente vel inuito fieri aut accidere dicamus.* Ecce

Beza facit Deum authorem peccati.

aperte dicit, *nihil Deo cõniuente fieri.* Ergo Deo operante aut certè cooperante omnia fiunt, etiam ipsa peccata. Quicquid enim in mundo fit, Deo vel permittente ac conniuente vt fiat, vel certè operante vel cooperante quum fiunt, fieri qui negat, ille verè cũ Epicureis otiosam in Deo cognitionem imaginatur. Atqui permittente & conniuente Deo, iuxta Bezam, nihil fit. Ergo operante aut cooperante Deo omnia fiunt. Quæ autem Deus operatur, vel quibus cooperatur, illorum esse authorem Deum, negari non potest. Est ergo iuxta Bezam Deus malorũ author, & huius blasphemiæ reus Beza cõuincitur. Pergamus tamen ad cætera quæ subiungit: *Certè* (inquit) *nullum vnquam facinus in-*

nus in terris editum est, quod cum Iudæ perfidia & Iudæorum scelere sit comparandum: & tamen apertè dicit Spiritus Sanctus Deum non modò hæc futura cognouisse ab æterno, sed æterno & immutabili suo consilio in optimum finem definiuisse. Et nisi hoc fateamur, necesse est vt in nostra redemptione consilium Dei non interuenisse dicamus. An verò propterea vel innocens Iudas, vel eius causa seu particeps Dominus? minimè. Rectissimè hoc totū; sed nunc quomodo Deum huius sceleris participem non esse ostendit, attendamus: *Nam bene semper agit Dominus, quibuscumque vtatur instrumentis:* hoc etiam verum est, quia nihil adhuc in Deo ponitur circa peccati actionem, præter vsum ipsum malitiæ alienæ. Videamus cætera: *Et in eodem opere agit aliud bonus Deus mundum sibi in filio reconcilians, aliud verò Iudas sanguinem innoxium prodens.* Ecce in eodem opere proditionis Iudæ, Deum actorem ponit, nec nisi ratione finis à Iuda distinguit. *Aliud,* inquit, *in eodem opere agit Deus mundum sibi reconcilians,* id est, alium finem in hoc opere spectauit. In eodem tamē opere agit, ne otiosam in eo cognitionem imaginemur. In eodem igitur luto cum Caluino hæret Beza, tametsi minùs apertè sententiam suam proferens, tam altè nō immergitur. Sed nunc relictis istis diuinæ scripturæ deprauatoribus, veram ac germanam verborum Petri sententiam exponemus.

Christus sanè *definito consilio & præscientia Dei*

Dei traditus est, quia traditio illa, totaque crucifixio filij Dei, nõ solùm fuit à Deo præcognita, sed etiam decreta ac definita. Atqui cùm in hac Iudæ traditione, & Iudæorum crucifixione, aliud fuerit ipsa actio tradentis Iudæ, & crucifigentium Iudæorum, aliud verò ipsa Christi passio, qua traditus & crucifixus fuit; actionem illam præsciuit non definiuit Deus, passionem hanc certo consilio decreuit ac definiuit: quia bonum hoc maximum erat, facinus atrocissimum alterum fuit. Distinguit ita sapienter Leo Magnus his verbis: *Nunquid iniquitas persequentium Christi ex Dei orta est consilio; & illud facinus quod omni maius est crimine, manus diuinæ præparationi armauit? Non hoc plane de summa iustitia sentiendum est: quia multum diuersum multumque contrarium est, id quod in malignitate Iudæorũ est præcognitum, & quod in Christi passione est dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi; nec de vno exiit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec, præsciendo quod faciendum esset, coëgit vt fieret; cùm tamen ad hoc carnem suscepisset vt fieret.* Hæc ille. Traditus ergo Christus est ex definito Dei consilio, quoad passionem salutarem ex parte Christi; & ex certa Dei præscientia, quo ad actionem impiam ex parte Iudæ & Iudæorũ. Voluit Deus Christum pati, Iudæ proditionem non voluit, à qua pro-

Dei consilio quomodo Christus traditus.

Serm. 16. de passione Domini.

qua propterea proditorem Iudam multis verbis & indicijs (quum iam animo facinus concepisset) Christus ipse deterret & dehortatur, tam facinus ipsum illi prędicens, quàm futuram facinoris pœnam. Decreuit Deus per vnigeniti sui passionem mundum redimere, Iudæorum impiam ingratitudinem non decreuit: (quam etiam plurimis verbis prædixit & acerrimè reprehendit, pronuncians eos propterea *ex Diabolo esse, & opera Diaboli facere*) sed Iudæorum ingratitudine atque impietate ad optimum & excellentissimum finem vsus est. Vnde B. Augustinus quum dixisset, *Deum vti cordibus malorum ad laudem atque adiumentum bonorum*, hoc exemplum subiungit: *Sic vsus est Iuda tradente Christum: sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum.* Hunc vsum alienæ malitiæ in Deo, & hoc patientiæ iustorum decretum in Deo agnoscit sana doctrina, docuerunt sanctissimi Patres. Deum autem aut velle aut decernere ipsam hominum malitiam, vnus hodie Caluinus docere cœpit; eiusque sectatores non minùs impiè quàm pertinaciter sustinent. Sed ad hanc eos impietatem, tollendi è medio liberi arbitrij libido pertinax impulit.

Ioan. 13. Matth. 26

Ioan. 8.

De grat. & lib. arbit. cap. 20.

27. Non

27. *Non derelinques animam meam in inferno.*

Descensus Christi ad inferos probatur.

QVia hic locus descensum Christi ad inferos quoad animam, iuxta Symboli Christiani articulum luculenter probat (neque enim liberationem eius ab inferno Propheta prædiceret, si ad infernum nūquā descendisset) & quia consequenter tertius & medius quidam locus inter cælum beatorū & infernum damnatorum (quem veterum respectu limbum Patrum antiquitas vocat, nostro respectu purgatorium) necessariò conuincitur, quod vtrumque horum temporum hæretici pertinaciter negant; propterea Scripturam sacram suis dogmatibus postponentes, textum istum penitus deprauarunt. Theodorus Beza in Annotationibus suis, anno 1556. editis, ita hunc locum vertit: *Non relinques cadauer meum in sepulchro.*

S. Textus corruptela per Bezam & Caluinū.

Sed à Flacco Illyrico & Castalione, hominibus quoque hæreticis, hoc nomine vehementer flagellatus, in posterioribus editionibus anni 1565. & 1589. versionem quidem correxit, ita vertens; *Non derelinques animam meam apud inferos*; pertinaciter tamē sustinet, inferorum nomine sepulchrū intelligi, animæ verò vocabulo personam vel vitam significari, vt hic sit verborum sensus, *Non derelinques me vel vitam meam in sepulchro*; nec aliud hîc dixerit Dauid à Petro citatus, quā quod Psalm. 32. dixit, *Vt eruat à morte animas eorum,*

eorum, & ala eos in fame; & rursum Psal. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Sic & hoc loco Caluinus: *Animam* (inquit) *non relinquere in inferno, est non permittere vt interitu opprimatur.* Quæ tota impudens & affectata corruptio tribus potissimùm argumentis refellitur. Primum, quia quum anima sit immortalis, nec morti subiecta, nec sepulchro concluſa, absurdissimus sensus est animam à morte liberare, vel è sepulchro eruere. *Imò*, ait Beza, *vita quodammodo videtur sepulchro obrui, quàm diu corpus illic mortuum iacet*: & Caluinus; *Quum homo extinctus in sepulchro iacet, sepulchrum dicitur eius vitæ dominari.* Sed iuxtà hanc absurdissimam sententiam nullus iam Sanctorum viueret, quorum in sepulchris corpora iacent, & pariter cum corpore interiret anima; nec ab anima homo, sed à corpore vitam acciperet. Alterum argumentum est, quia de liberatione è sepulchro in proximo membro distinctè Propheta dixit: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quum enim anima & corpore homo constet, & moriente homine corpus quidem sepulchro condatur, anima verò ad inferos descendat, etiam iustorum iuxta veteris testamenti statum; Propheta Messiæ resurrectionem prædicturus, de vtriusque liberatione loquitur, quòd nec anima apud inferos derelinquenda, nec corpus corruptioni

Refutatur 3. argumẽtis.

1.

2.

3. dandum fuit. Tertium & potissimum argumentum est, quòd vox inferni hoc loco nullo modo sepulchrum potest significare. Nec vox Græcà, ἅδης, nec vox Hebræa, שְׁאוֹל aliud quàm infernum significat. Immo nullo alio verbo infernus in vtraq; lingua significatur: neque pro sepulchro vspiá in tota Scriptura vox Dauidica accipitur; quod propterea septuaginta interpretes semper verterunt, ἅδου, infernum, vt ipse-met Beza fatetur. Vnus apud Oseæ cap. 13. & Paulum 1. Cor. 15. locus, etiam de Christo loquens, proprietatem verbi à sepulchro distinctam manifestè docet: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero ô inferne. Vbi est mors stimulus tuus? vbi est, ô inferne, victoria tua?* Canit Prophera duplicem Christi victoriam, mortis ac sepulchri quoad corpus, animæ quoad infernum. Mortem vicit corpore resurgens: infernum vicit, adeóque momordit, quia non suam tantùm, sed & omnium iustorum animas inde Christus eripuit. Vnde D. Hieronymus in hunc locum mortem ab inferno distinguens: *Mors* (inquit) *est qua anima separatur à corpore; infernus locus in quo animæ recludantur siue in refrigerio siue in pœnis, pro qualitate meritorum. Quòd autem aliud sit mors, aliud infernus, Psalmista demonstrat dicens: Non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Hæc ille, proprietatem verbi, שְׁאוֹל, siue inferni, explicans. Idem tamẽ verbum in-

bum inferni, שְׁאוֹל, & Græcè, ἅδης, mortem quidem significat eodem cap. Osee 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*, vt noster interpres bene vertit, non quia illa vocabula propriè mortem denotant, sed quia ante Christi passionem simul hæc duo fiebant, mori & descendere ad inferos. Cæterùm pro sepulchro vox infernus, ἅδης, שְׁאוֹל, nunquam accipitur. Sepulchrũ Græcè τάφος, Hebraicè קֶבֶר vocatur. Quare & omnes paraphrastæ Hebræorum illam vocem שְׁאוֹל explicant per vocem gehennæ, vt latè ostendit Genebrardus lib. 3. de Trinitate. Denique quum in veteri Scriptura legimus, *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, & rursum, *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*; & iterum, *Redimet Deus animã meam de manu inferni cùm acceperit me*; tum & illud, *Scio morti trades me, vbi constituta est domus omni viventi*; in his omnibus locis vocabulo שְׁאוֹל infernus ipse seu limbus Patrum designatur, vt in nostris Antidotis Euangelicis latiùs ostendimus. Sic Psalm. 9. Conuertantur peccatores in infernum לִשְׁאוֹלָה non nisi infernus damnatorum iuxta interpretes Hebræos intelligitur. Iam quod Beza profert ex Psalm. 32. quasi veram huius loci explicationem, *Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame*, absurdum & ridiculum est, quum eo in loco nec sit vox שְׁאוֹל quod infernum, sed מָוֶת quod propriè mortem

Genes. 37
Genes. 44
Psalm. 48.
Iob 30.
Ad Luc. cap. 16.

significat; nec de mortuis, sed de viuentibus sermo habeatur. Quod secundo loco profert ex Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* de vero quidem inferno loquitur: sed aperta sententia est, nec corporis mortē à quoquam vitari posse, nec animæ ad inferos descensum, loquendo de statu veteris populi, sicut ibi Propheta loquitur. Quare Græcus interpres, ᾅδου vertit, non τάφου; infernum, non sepulchrum: vt impudentissimus sit Beza, qui hanc ipsam versionem obseruans, ex ea tamen infert, infernum pro sepulchro accipi: quando vox ᾅδης apud Græcos non magis lapidem quàm sepulchrum significet, sed perpetuò locum infernum & subterraneum. Sed hæc est summa Bezæ impudentia, & omnium hodie hæreticorum impietas; ne dogma Christianum de descensu Christi ad inferos agnoscant, non solùm vnum Symboli articulum eradere, sed apertam etiam hanc de Christi anima ad infernum descendente Scripturam indignissimè deprauare.

37. *Hu*

37. *His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*

OBseruanda diligenter est prima hæc Iudæorum conuersio ex prima Petri concione subsequuta, vt ordinem iustificationis impij, contra horum temporum grauissimas corruptelas, rectè & salubriter teneamus. Audita Petri concione, *compuncti sunt corde:* Hîc apparet fides verbo Petri habita. Nisi enim credidissent quæ Petrus dixerat, nullam compunctionem, sed summũ potiùs contemptum ostendissent. Apparet etiam dolor de peccatis præteritis, qui est pœnitentiæ initium. Cordis enim compunctio conscientiæ cruciatum designat. Quãdo addunt, *Quid faciemus viri fratres?* ostẽdunt se spem veniæ non abijcere. Nam absque spe veniæ nunquam fuissent solliciti de placando Deo, aut de quærenda salute. In eisdem quoque verbis emendationis propositum & satisfaciendi desiderium demõstrant. Iam enim in lege diuina eruditi, sciebant offensum Deum aliqua satisfactione placandum esse, vt iustitiæ eius ratio habeatur, quæ cum misericordia pari semper passu ambulat. Hîc hæretici hoc verbum carpunt. *Verbum* (inquit Sarcerius) *quid faciemus?*

Iustificationis impij ordo.

1.

2.

3.

4.

Eras. Sarcerius in expos. Eccles.

mus? ostendit nos naturâ sic affectos esse, vt studeamus operibus mereri gratiam: adeò inhæret nobis operum iustitia. Hæc ille. Atqui non vt mererentur Dei gratiam, sed vt eam cõsequerentur, sibi necessariò aliquid faciendum, & saluti suæ restaurandæ cooperandũ esse, hominemque adultum sine aliquo opere suo iustificari non posse existimabãt. Quod recténe an malè existimauerint, Petri responsum docebit. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Paucis verbis, quid facere debeant, docet. Non reijcit illam interrogationem de operibus, quasi præposteram, importunam, aut gratuitæ remissioni repugnantem, vt hæretici faciunt; sed eam planè confirmat, iubet enim pœnitentiam agere: quod quantum significet, paulo plenùs Paulus expressit, dicens Agrippæ Regi: *Annunciaui Damasci primùm, & Hierosolymis, & in regione Iudææ, & Gentibus, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.*

5.

Act. 26.

Pœnitentiæ opera digna.

Quid est autem digna pœnitentiæ opera facere, quàm sic animo toto ad Deum conuerti, vt ea opera facias quæ conuersionis veræ, non fictæ, signa ac testimonia sint, quæ Deo, ad quem conuerteris, placere possint, quæ denique aptum & idoneũ diuinæ gratiæ suscipiendæ reddant? Quum Ioannes Baptista, similibus verbis vsus, dixisset,

dixisset, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, & auditores eius statim subijcerent, sicut & hoc loco, *Quid ergo faciemus?* præscribit illis Ioannes digna pœnitentiæ opera: *Qui habet duas tunicas, &c.* Ad opera charitatis hortatur, quia *charitas cooperit multitudinem peccatorum.* Luc 3. 1. Petr. 4.

Pœnitentiæ doctrina.

Hîc hæretici pœnitentiæ actionem in sola cordis ad Deum conuersione & nouæ vitæ desiderio constituunt. *Pœnitentia* (ait hîc Caluinus) *conuersionem mentis sonat, vt totus homo innouetur & alius fiat.* Sed fallit lectorem, & deprauat scripturam. Hanc enim cordis conuersionem & nouæ vitæ desiderium antea Iudæi isti professi fuerant, *compuncti corde, & dicētes, Quid faciemus viri fratres?* Illis autem ita compunctis, & corde conuersis, & ad nouam vitam anhelantibus, (hoc est enim, *Quid in posterum faciemus?*) non respondet Petrus iuxta sensum Hæreticorum hodie: Satis hoc est: Conuersio hæc cordis vestri sufficit vobis iam credentibus ad salutem. Non sic respondet Petrus, sed adiungit, *Pœnitentiam agite:* opera pœnitentiæ digna præstate: Hæc vna via ac ratio est consequendæ remissionis peccatorū. Aliā 6. viam proponit de Sacramento salutis suscipiendo, *& baptizetur vnusquisque vestrum.* Vtrique viæ ac medio hunc terminū, hunc effectum assignat, *in remissionem peccatorum vestrorum*; in qua videlicet consistit iustificatio impij, & reconciliatio cum Deo, quan-ū

ad liberationem à morte attinet. Nam de noua vita gratiæ, & altera iustificationis parte (quam vtramque expressit qui dixit,
1. Ioan. 3. *Translati sumus de morte in vitam*; & alius, *Qui*
Coloss. 1. *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ*) subiunxit Petrus; *& accipietis donum Spiritus Sancti.* Quibus verbis tametsi visibile donum linguarum significet, simul tamen inuisibile charitatis donum certissimè intelligit: quando illud externum donum ad huius interni confirmationem, *& ad testimonium præsentiæ Spiritus Sancti* datum fuerit, vt scribit Augusti-
Tract. 6. nus in Epistolam 1. B. Ioannis. Hîc rursum omnia inuertunt hæretici. Dicunt, *adiungi pœnitentiæ baptismum, quia hic illius signum est*; quo nihil absurdius dici potuit: quum non pœnitentiæ antegressæ (iubet enim Petrus priùs pœnitentiam agere, postea baptizari; nec adultus aliquis absque acta pœnitentia baptizari potest, signum autem cum re signata coniunctum esse debet) sed remissionis peccatorum, quæ per lauacrum regenerationis accipitur, signum certum & efficax
Scripturæ corruptela. baptismus sit. Addit Caluinus, *poni hic baptismum tanquam sigillum quo gratiæ promissio confirmatur:* quæ est aperta diuinæ Scripturæ corruptio. Iubet enim Petrus illos *baptizari in remissionem peccatorum*, id est, ad illam consequendam, non post remissionem peccatorum, quasi ad illam confirmandam. Æquè bene

bene pœnitentia tale sigillum effingi potest quàm baptismus. Vtrumque enim fit in remissionem peccatorũ. Alioqui aliam Scripturã qua Christus dicit, *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, iuxta Caluinum glossare licebit; id est, qui tanquam sigillum est quo remissionis peccatorum promissio confirmatur; vt sic nec ipse Christi sanguis causa eius censeri debeat. Adiungit hoc loco Caluinus alia toxica. Primùm, *doctrinam hanc pœnitentiæ & remissionis peccatorum quotidianum in Ecclesia vsum habere*. Ita confundit pœnitentiam hominis impij, *qua*, si Christo credimus, *iustus* non indiget, cum quotidiana illa iustorum pœnitentia, qua quotidie clamamus, *Dimitte nobis debita nostra*. Quam impiam doctrinam alibi refutauimus. Rursum non distinguit illam remissionem peccatorum quam pro quotidianis delictis iusti quotidie petunt, ab illa remissione quæ impijs, vt iusti fiant, necessaria est: quum Petrus hîc de sola impiorum pœnitentia & remissione peccatorum illis necessaria loquatur: nisi fortè in hominibus baptizatis & semel iustificatis perpetuam ponat Caluinus impietatem, vitamque flagitiosam, quæ tali pœnitentia talique noua reconciliatione indigeat: ac per hoc Apostolo, imò gratiæ Saluatoris nostri contradicat, quæ *ideo apparuit*, ideo facta est, *vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria*,

Pœnitentiã impij & iustorũ quotidianam confundit Caluinus. Luc. 15.

In Antidotis Euangel. ad Luc. cap. 15. & ad Mar. c. 1.

sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.

Sed aliud nunc aduerte, & caue toxicũ. *Vehementer* (inquit) *errant Papistæ, quòd baptismum ad nouitatem & superiorem vitam restringunt, quasi eius significatio & vis non pateret ad mortem vsque.* Dementissimũ errorẽ suum, quòd ad omnia peccata baptismũ subsequẽtia delẽda & expiãda solus baptismus eiúsq; recordatio valeat, satis à se stabilitum putat, si audaci cõuitio vsus aduersam veritatem vehementis erroris insimulet. Cæterùm nõ Papistas, sed Caluinũ & Caluinistas vehementissimè hac in parte errare, & errore dementissimo ac pernicioctissimo laborare (hoc quippe vno paradoxo totum pœnitentiæ Sacramentum penitus aboletur) alio in loco oportunè demonstrauimus. Addit adhuc, *hanc Euangelij partem sic à nobis deprauari & adulterari, vt peccata orũ remissionem per Christum obtinendam prorsus exterminemus.* Quare hoc? *Quia* (inquit) *post baptismum satisfactionibus redimi volunt: & quamuis Christi gratiam simul admisceant, quia tamen eam innituntur hominum meritis, totam Euangelij doctrinam hoc modo euertunt.* Respondeo: Post baptismum peccata nos velle satisfactionibus redimi quæ per baptismum abolita & condonata sunt, mendacium Caluini luculentum est, non doctrina aliqua Catholicorum. Alia post baptismum peccata satisfactionibus quo ad eorum debitas pœnas expiari, à scri-

In Prõpt. Cath. in die Ascẽ. Dom.

Caluini putidum mendacium.

pturæ

pturæ doctrina non esse alienum, in Antidotis nostris Euangelicis & super Paulum sæpe ostenditur. Bonorum operum merita nec Christi gratiæ, nec Euangelicæ doctrinę repugnare, plurimis in locis Antidota nostra tam *Euangelica quàm Apostolica demonstrarunt. Sed quare doctrina Euangelica operum meritis euertitur? *Quia* (inquit) *merita excutiunt conscientijs fidei certitudinem.* Sanè quidem: nam & excutienda illa est, vt certissima animarũ pestis, & huiusce temporis prophana nouitas, ac cerebri Caluiniani portentum, ex scripturis diuinis sæpe à nobis refutatum. Addit, *merita inter mortem Christi & nostras satisfactiones dimidiare.* Huic cauillo iam dudum respondimus, quę sufficere possunt. Concludit tandem: *Sciamus ergo in solo Christo fundatam esse remissionem peccatorum.* Verum hoc quidem, vt eius merito atque virtute fiat remissio, veluti causa cum Deo efficiente: sed intercedere oportere pœnitentiam ac baptismum, hic vnus locus luculenter docuit. Sed vide quomodo hoc probet quod dixit: *Hac* (inquit) *ratione Christi nomen exprimitur à Petro, quo significat nihil istorum doceri posse, nisi statuatur Christus in medio, vt in eo quæratur ipsius doctrinæ effectus.* Tota hæc speculatio extra sacri textus literam vagatur. Vera & vnica causa cur adiecit Petrus, *in nomine Iesu Christi*, illa erat, vt qualẽ baptismum suscipere,

Ad Matt. cap. 20. v. 28. Luc. c. 11. v. 41. Ad Rom. 4. v. 6. & alibi

*Ad Luc. c. 17. v. 10.

In Epist. ad Rom. c. 5. vers. 1 3 4. 5. & cap. 8. v. 14. 15. 16. 38.

In Opere de Iustificat. lib. 1 o cap. 12.

Baptismus in nomine Christi.

pere, & in cuius virtute ac fide baptizari debeãt, eos doceret. *Baptizetur*, inquit, *vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*, id est, in fide ac virtute nominis eius. Hæc enim duo hoc in libro æquiualent. Infrà cap. 3. iubetur claudus *surgere & ambulare in nomine Iesu Christi*. Postea ibidem dicitur: *In fide nominis eius hunc, quem videtis, confirmauit nomen eius*. Rursum infrà cap. 19. qui non nisi in Ioannis baptismate, baptizati fuerant, denuo *baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, id est, Christi baptismum acceperunt, & in fide ac virtute Christi baptizati fuerunt. Ad distinctionem igitur baptismi Christi à baptismo Ioannis vel quocunque alio, & ad fidem atque virtutem Christi circa baptismum quem accipere debebant significandam (ille enim est *qui in Spiritu baptizat*, quo fit remissio peccatorum) adiunxit verbo, *baptizetur*, Petrus, *in nomine Iesu Christi*. Remissio peccatorum quam attexuit, non ex solo nomine Iesu Christi, sed etiam ex pœnitentiæ actione atque baptismo cõsequebatur: diuersa tamen & distincta ratione: ex pœnitentia, veluti necessaria dispositione; ex baptismo, veluti medio & instrumẽto salutis ad hoc institutο, ex nomine & virtute Iesu Christi, veluti ex causa huius remissionis meritoria & efficiente. Nam propter meritum mortis Christi, mediante fide, cõpunctione cordis, pœnitentia, ipsoq; bap tismo,

Act. 3. v. 6. & 16.

Remissio peccatorũ ex variis causis.

baptismo, promittitur illis remissio peccatorum. Hunc ordinem, hanc viam, hanc rationem iustificationis impij, hic præsens locus docuit, quem variis modis impiè deprauare horum temporum hæretici conati sunt.

CAP. III.

1. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

CALVINVS hoc loco ita scribit: *Quòd statas horas veteri populo Deus esse voluit, hinc colligimus non posse carere Ecclesiam certa disciplina: ac hodie, nisi obstaret nimius torpor, vtile esset quotidie habere tales conuentus.* Quæ eius verba tum hæreticorum hodie torporem manifestè cõdemnãt, qui horas publicarum precum distinctas 1. 3. 6. & 9. non seruant, tum obseruationem in hac parte Catholicam à reprehẽsione liberant: simulque probant non esse Iudaicam κακοζηλίαν, sed Christianam pietatẽ, veteris populi ceremonias ad Ecclesiasticæ religionis vsus transferre, quod tamẽ alibi ipse maximè Caluinus obijcere solet. Ita hoc loco seipsum ac suos appositè refutauit. Sic infrà, vbi de Anania dicitur (cap. 9.) *Et imponens ei manus, dixit, &c.* scribit Caluinus: *Morem imponendi manus, à sacrificijs ve-*

Ceremoniæ legales in Christianam religionem transferri possunt.

ficijs veteribus sumptum, Apostoli in suum vsum transtulerunt. Fingunt autem hîc hæretici Apostolos *testandæ pietatis causa Deum Israel inuocasse, & fidem suam precationibus quasi fomẽtis magis accendisse.* Ita omnẽ orationis vsum ad fidei testimoniũ, vel ad fidem fouendam transferunt: quorum neutrum Scriptura docet. Alios orationis vsus Scriptura tradit: nempe vt aliquid à Deo noui beneficij, aliquam nouam gratiam, (nam & ipsa perseuerantiæ gratia nouum beneficium est) accipiamus. *Quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis. Omnis qui petit, accipit. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hîc dare ex parte Dei, & accipere ex parte nostra, manifestè docent alicuius gratiæ aut beneficij collationem, non acceptæ fidei testimonium aut fomentum. Vide Promptuarium nostrum Morale, Domin. 5. post Pascha text. 1.

Marlor. in catena.

Oratio ad alia vtilis quàm ad fouendã fidem.

Matth. 21. 22. Matth. 7. 8. Ioan. 16. 23.

12. *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?*

NEgat B. Petrus miraculũ sanati claudi aut vlli virtuti suæ potentiæ, ac facultati suæ, τῇ δυνάμει, aut etiam pietati, τῇ εὐσεβείᾳ, tribuẽdum esse: tum quia virtus ac potentia huius miraculi soli Deo erat propria, & vires humanas superabat: tum quia pietas aut deuotio Petri non erat tunc Iudæis

dæis prædicanda, sed fides Christi, & potentia nominis eius; propter cuius commendationem & prædicationem fiebat miraculum. Alioqui quum in sequentibus dicat Petrus, *In fide nominis eius*, ideſt, per fidem siue mediante fide nostra in nomen Christi, *hunc, quem vos videtis, confirmauit nomen eius*, id est, ipsa potentia Christi roborauit & sanauit eum: & quum iterum addit, *& fides quæ per eum est*, id est, nostra in Christum fides quam per eum eiusque gratiam tenemus, (neque enim ipsius claudi vlla hîc fides erat, qui respexit in Petrum & Ioannem, *sperans se aliquid eleemosynæ ab illis accepturum*) *dedit in egram sanitatem istam*, manifestè docet Petrus vnam mediantem & instrumẽtalem causam sanationis huius fuisse fidem ipsam, quæ opus pietatis est. Illud, ἐπὶ τῇ πίστει, *in fide*, exponit Beza *instrumentalem causam notare*, & ἐπὶ pro διὰ accipi: fidem quoque exponit passiuè dici, quæ habetur nomini Christi. Manifestè igitur Petrus, vt principalem causam huius miraculi Christi virtuti ac potentiæ tribuit, ita mediam & instrumentalem causam in ipsa fide & pietate ponit. Quare quod priùs dixit, *quasi nostra pietate fecerimus hunc ambulare*, necessariò intelligendum est, aut *nostram* dicendo, pietatem ex sola legali obseruatione vel solis naturæ viribus negare voluisse; aut *pietatem* nominando, ipsum Dei cultum & opera religionis

Fides ac pietas Petri miraculi causa media.

Virtutem ac pietatẽ suã quomodo Petrus negauit.

religionis (hæc enim εὐσεβειὰ significat) non ideo excludere voluisse, quia illa apud Deũ nihil valeant, sed quia fides in Christũ commendanda nunc erat, non opera pietatis & cultus diuini, quibus ipsi Iudæi per obseruationes suas legales sese valere opinabãtur, aut denique illis verbis primariã causam excludere voluisse. Sanè alia Græca exemplaria habuisse pro, εὐσεβεια, εὐσθενεια, robore ac potestate, tum Syrus interpres ostendit, qui ita hunc locum vertit; tum veteris editionis Latinæ codices, qui legunt, *virtute aut potestate*, vt notauit hoc loco Beza. Alioqui si fidei in Christum attributũ hoc miraculum omnem aliam pietatem & virtutem Apostolorum excludere debet, pari consequentia quia in eadem sententia dicitur, *Quem Deus suscitauit à mortuis*, Christi semetipsum suscitantis potestas ac virtus negari debet; & falsum erit quod alibi de seipso Christus dixit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumẽdi eam.* Sed sicut Christi adhuc diuinitas apertè asserenda non fuit, ideóque humiliùs de ea Petrus loquitur, vnde & priùs eum vocat, *virum approbatum à Deo*, sed non ideo ab Apostolis ignorata aut negata existimari debet; sic pietas, & alia bona opera, quæ sibi non deesse Iudæi existimabant, & quæ sine fide in Christum sibi venditabant, adhuc prædicanda non erãt, sed *fide. nominis Christi*, ad quam

Fides nominis Christi cur sola à Petro prędicata.

Ioan. 10.

ad quam ante omnia adducendi erant, in hoc miraculo prædicanda fuit: alioquī quum in ipso verbo pietatis, τῆς εὐσεβείας, fides comprehenditur, si, quod Petrus negat, sua pietate factum esse vt claudus ambularet, omnimoda est & absoluta negatio, falsum erit quod postea de sua in Christum fide dixit: *Fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam*, &c. Falsum quoq; erit quod dixit claudo: *Quod autem habeo, hoc tibi do*, id est, Potestatem sanandi, quam per fidem in Christum habeo, hanc in te exercebo. Remouet ergo Petrus à causa huius miraculi omnem aliam pietatis aut virtutis humanæ cogitationem; & fidei in Christum totum tribuit; quia fides in Christum maximè tūc commendāda erat; exemplo videlicet Saluatoris vsus, qui in Euangelio ad singulas sanitates factas subintulit, *Fides tua te saluum fecit*.

His ita explicatis, Caluini hoc loco corruptelis occurrere & impostura patefacere promptum erit. Sic in hunc locum garrit. *Notandum*, inquit, *est quòd damnet hominum respectum. Quasi nostra (inquit) virtute aut pietate effecerimus. In eo itaque error ac vitium est, si hominum pietati aut virtuti, quod Dei & Christi proprium est, tribuimus. Ac de virtute quidem cōcedent omnes non nisi à Deo manare. Sed quum hoc vno verbo confessi sunt, non desinunt tamē ius suum Deo præripere, vt eius spolijs creaturas ornēt.*

Hoc Caluini præambulum est, vt ad accusationem descendat. Nunc quos & quomodo accusat, videamus. *Qualiter*, inquit, *videmus Papistas Dei virtutem locare in Sanctis: imò eius numen in lapide vel ligni trunco includere, simulatque statua Barbaræ aut Chrysogono consecrata est.* Est impuri Rabulæ calumnia fœda, vel simpliciſsima plebis Catholicæ vetula hoc tam patulum impudētiſsimi hominis mendacium in os eius regereret, & mentiri nebulonem assereret. Dei virtutem saxis aut ligni trunco tribuere crassiſsima paganorū idololatria fuit, Christianorū opinio nunquam. Imò (vt infrà videbitur) nec ipsa paganorū idololatria Doctore Caluino tam crassa fuit. Quare & sui fœdiſsimi mendacij sibi conscius scurra, confestim aliò sermonem cōuertit. Nempe tametsi ei diutius inhærere summa mendacij turpitudo non sinebat, ab eo tamen penitus abstinere maledicentiæ pruritus non patiebatur. Sic igitur prosequitur: *Sed tamē fingamus in illo priore membro non peccare. At stultè se defunctos erga Deum putant, quum illi relinquunt potentiam, miracula verò pietati Sanctorum assignant.* Cui respondeo: Si opus pietatis fides est, & verum est quod Christus dixit, *Si fidem habueritis sicut granum sinapis, dicetis, huic monti, transi hinc illuc, & trāsibit* (quod & Gregorius ille Neocæsarienſis Epiſcopus, Θαυμαλυργος dictus, præstitiſſe legitur) vbi verbis fidei tam illustre mi-

Caluini putida calūnia.

Sanctorū pietati miracula tribuuntur. Matth. 17

stre miraculum Christus tribuit, verè & Scripturis sacris conformiter dicimus, pietati Sanctorum miracula assignari. Sanè non minùs verè ac propriè, quàm ex illis Pauli verbis, *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum,* Rom. 10. *& in corde credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris,* salutem & iustificationem fidei electorum assignant hæretici. Sed pergamus cum Caluino: *Cur enim ad ipsos confugiunt, dum volunt vel pluuiam impetrare, aut serenam, aut liberationem à morbo, nisi quòd sua pietate id promeritos imaginantur, vt hoc iuris ac priuilegij illis Deus concederet? Puerile ergo effugium est, quum Deum fatentur authorem esse potentiæ; beneficia autem quæ illis confert, sanctorum pietati accepta ferunt. Quoscumque obtendant prætextus, hoc semper tenendum est, damnari generaliter à Petro qui in miraculis sic homines intuentur, vt eorum sanctitatem causam esse putent.* Hæc ille: cui iterum breuiter respondeo: Planè ad Sanctos in cælo regnantes propter varias opitulationes populus fidelis piè & laudabiliter confugit, & beneficia accepta Sanctorum pietati, sanctitati, intercessioni, & meritis accepta ferunt. Quod tota *vetus Ecclesia summa cõsensione approbauit, docuit, exercuit. Nec huiusmodi fidelis populi religio verbis D. Petri hoc loco repugnat. Falsum quippe est, & nuda Caluini ac voluntaria assertio, nulla ratione, nullo argumento firmata, damnari generaliter à Petro qui in

*Auguſt. de cura pro mort. ger. c. 16. de ciuit. Dei lib. 22. c. 9. & 10. Theodoretus de curat. grec affec. lib. 8. Basilius in homil. de 40. mart. Chryſ. in SS. Iuuẽtium & maximũ. Ambroſ. lib. 10. epiſt. 85. & ſerm. vltimo.

miraculis sic homines intuentur, vt eorum sanctitatem causam esse putent. Cur Petrus negauerit sua virtute aut pietate hoc miraculum effectũ fuisse, iam ex alijs Petri verbis clarè & perspicuè ostendimus. Nempe vt fidem ante omnia commendaret, cuius commẽdatio tunc maximè erat necessaria, pietatis autem & sanctitatis opinionem in sensu & existimatione Iudæorum, qui pietatem absque fide somniabãt, & in sola obseruatione legali seu morali seu ceremoniali eam ponebant, à miraculi causa remoueret. Quare Petrus, vt pietati aut sanctitati suæ in sensu Iudæorum attribui noluit, sic fidei suæ in nomen Christi illud tribuendũ esse disertis verbis docuit. Est autem etiam fides opus pietatis, de quo Christus dixit: Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.* Plura hac de re postea dicendi locus dabitur.

19. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*

CONtaminat hunc locum Caluinus; & eo fœdè contaminato, Catholicæ Ecclesiæ doctrinam impurus arrodit, vitij & corruptionis arguit. Clarus sanè & perspicuus est verborum sensus. *Pœnitemini*, id est, de illo immani scelere vestro, quo *authorem vitæ interfecistis*, dolete; ignorantiam illam vestram voluntariam & affectatam (nam ex Scripturis quas tenetis, & ex miraculis quæ Christum patrare vidistis, eam corri-

Pœnitentia & fides salutis principia.

gere

gere poteratis & debebatis) quam tunc deponere debuistis, nũc saltem deponite: animi maleuolentiam erga Christum exuite; & *conuertimini*, id est, per fidem in Christum ad Deum redite, *vt* (mediante hac pœnitentia ac fide) *deleantur peccata vestra*. Sic ab hoc principio Paulina prædicatio cœpit, *vt testificaretur Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominũ nostrum Iesum Christum*. Et, vt alibi idem Paulus scribit, *inchoatio sermonis Christi erat, iacere fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum*. Sic Petrus ad pœnitentiam & fidem hortatur Iudæos: ad pœnitentiam de crucifixo Christo; ad fidem in Christum à mortuis resurgentem, mundique Redemptorem: vt hac duplici virtute mediante, remissionem peccatorum accipiant. Nunc vt totum locum contaminet Caluinus, simulque Catholicæ Ecclesiæ doctrinam ore virulento arrodat, videamus. *Quum ad pœnitentiam* (inquit) *hortatur Petrus, simul declarat paratam illis esse coram Deo peccatorum remissionem*. Sanè quidem mediante priùs ipsa pœnitentia ac fide, vt ordo verborum Petri docet. Sed vide Caluini versutiam. *Nam* (inquit) *excitari ad pœnitentiam nemo potest nisi salute proposita*. Verum sanè hoc est, de salute in spe proposita, quia spes veniæ pœnitentiæ & fidei adiungi debet. Sed nunc vide quomodo ille salutem proponi vult. *Qui autem*, inquit, *de venia diffidit*, Act. 20. vers. 21. Hebr. 6.

quasi iam exitio deuotus aduersus Deum obstinatè ruere non dubitat. Verũ quoque est hoc totum de illo, qui ita diffidit de venia, vt omnem eius spem abijciat. Sed longè alium sensum in his verbis coquit Caluinus. Statim quippe Catholicos taxat, quasi spem veniæ à pœnitentia remouerent. *Hinc fit* (inquit) *vt Papistæ pœnitentiæ doctrinam tradere nequeant*. Quare, obsecro? *Multum quidem* (inquit) *de ea garriunt; sed quia euertunt gratiæ fiduciam, fieri non potest, vt resipiscendi studium suis discipulis persuadeãt*. Vocat Caluinus gratiæ fiduciam, certitudinem illam indubitatam & de fide remissionis gratuitæ per Christum, quam certitudinem & fiduciam ante omnem pœnitentiam animo fixam esse oportere, & absque illa præhabita pœnitentiam à nemine agi posse, pertinaciter docet: sicuti ex eius verbis alio in loco ostendimus, hominisque dementiam refutauimus. Hæc gratiæ fiducia, est illa salus proposita, de qua antea dixit, *Excitari ad pœnitentiam nemo potest, nisi salute proposita*: id est, iuxta Caluinum, nisi gratiæ fiducia firmaque ac certa salutis persuasione ante omnem pœnitẽtiam animo proposita, concepta, firmiterque ac fixè constituta. Quia hoc non docent Catholici, sed repudiant, & spem quidem veniæ firmam ac validam, à fidei tamen certitudine distinctam agnoscant, eamque pœnitentiæ coniunctam ante remissionem peccatorum veluti me-

In Prõp. Cath. par. Quadrages. in Sabbato hebd. 2.

Pœnitentiæ doctrina à Catholicis rectè tradita.

Iuti medium ad eam consequendam constituunt, hoc duplici nomine pœnitentiæ doctrinam à Catholicis tradi non posse calumniatur. Vnde & ita adhuc prosequitur: *Aliquid etiam balbutiunt de peccatorum remissione; sed quia suspensas & trepidas animas relinquunt, præterea varijs commentis conijciunt in labyrinthum, hac doctrinæ parte corrupta, alteram partem confundunt.* Hæc est tota Caluini hoc loco maledicētia, & putida calumnia. Suspensas animas à nobis relinqui affirmat; quia spem docemus, non præsumptionem Caluinianam. Trepidas animas relinqui conqueritur non tam contra nos quàm contra Apostolum; cuius hæc sunt verba: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Fiducia Caluiniana nec spem nec timorem admittit, sed fidei certitudinem (quæ sola illorum fides est) ponit, qualem diuina Scriptura nusquam docet. Quod de varijs commentis, quibus in labyrinthum homines conijciuntur, garrit, nihil quàm vana ac futilis & maledica calumnia est, ideo generaliter prolata, vt omnem in specie refutationem euaderet. Verissimè Caluinus, quia spem veniæ in certitudinem fidei conuertit, & ipsam remissionem peccatorum toti pœnitentiæ anteuertit, tam totam hoc loco Petri sententiam quàm totam pœnitentiæ doctrinam impostor inuertit; nec solùm vna parte corrupta alteram confundit, sed

Philip. 2. 12.

tota pœnitentiæ doctrina corrupta totam confundit. Quod alio loco disputatum hîc repetendum non est.

21. *Quem oportet quidem cælum susc ipere vsque in tempora restitutionis omnium.*

SAcramentarij omnes contra Christi in venerabili Eucharistia præsentiam realem & corporalem, hoc loco certatim & creberrimè abusi sunt. In cælo, inquiunt, vsque ad mundi consummationem Christus corporaliter habitat, ergo non est in terris verũ eius & reale corpus. Huic putido paralogismo breuissimè respondetur: In forma quidem & specie naturali, & veluti loco ordinario, ad dexteram Dei in cælis sedet Christus vsque ad diem extremi iudicij. Sed illa in cælis sessio, gloria, potestas, neque sacramẽtali præsentiæ veri & naturalis corporis quicquam obest; neque impedit quo minùs etiam visibiliter in terris apparere potuerit. Sicut Saulo apparuit tum in via eunti Damascum, tum postea. Beza, vt huic argumento maiorem vim adderet, textum sibi corrumpendum iudicauit. Quare vertit hæc verba: *Quem oportet cælo capi, id est*, inquit, *cælo contineri. Quod autem passiuum dicendi genus potiùs quàm actiuum vsurpauerimus, factum est à nobis vt amphibolia omnis vitaretur. Nam operæ pretium est in Ecclesia Dei extare perspicuum hoc testimonium aduersus istos qui pro eo quòd fide ascenden-*

Christus in cælo & in Sacramento.

Act. 9. & 26.

1. Cor. 15

Bezæ corruptela.

In editione anni 1565.

ascendendum est nobis in cælos vt capiti nostro coniungamur, corpus Christi iterum è cælo censent euocandum. Hæc Beza, & hanc manifestam eius corruptelam veluti ducem cęcum, cæcus sequitur Gul. VVhitakerus cõtra decem rationes Campiani disputans. Anglis quippe Caluinistis Caluinianæ & Bezanæ corruptelæ oracula sunt. Cæterùm Beza ipse propter hanc tam luculentam diuinæ scripturæ corruptionem, qua (vt ipse fatetur) *verbum actiuum vertit in passiuum*, atque ita ex mansione libera facit necessariam, à Lutheranis ipsis egregiè flagellatus, in posteriori suarũ annotationum editione fœdum hunc errorem corrigit, & VVhitakeri aliorumq; stupiditatem, qui illi tam strenuè applaudere voluerunt, ipsemet vi veritatis adactus redarguit. Nam in editione anni 1588. per eundem Henricum Stephanum ita hunc locum vertit: *Quem oportet quidem cæli capiant.* Moxque in annotatione ita scribit: *Quam interpretationẽ ideo præsuli, quum antea verterim passiuè, Quem oportet cælo capi, eadem prorsus manente sententia, vt eorum clamores compescam qui mei vt hæretici peruersissimi damnandi occasionem ex eo arripuerunt, quòd actiuam locutionem passiua expresserim.* Hæcibi. Bene se res habet: suam corruptelam frequenti refutatione coactus correxit. Quòd autem ait *eandem manere sententiã*, fallitur egregiè. Quis enim non videt quantum hæc duo differãt: Fol. 43.

Oportet me Romæ habitare; &, Oportet me in vrbe Roma tota vita cõcludi & contineri? Hoc enim posterius carceris modum notat, quem exire non liceat. Illud prius non nisi habitationem liberam designat; quæ non impedit quo minùs frequenter extra vrbem Romam peregrinari liceat: habitatio quippe & mansio illa rectè dicitur quam ordinariè tenemus, & vbi fixam sedem ponimus, tametsi frequenter aliò migremus. Sic Christus cælum quidem inhabitat vsque ad extremum iudicij diem: sed hæc habitatio non impedit quo minùs se etiam in terris aliquãdo visibilem præbeat, vbi id Maiestati suæ ex re videbitur. Quod vni Paulo ipsum bis feciſſe nuper ostendimus.

Act. 9. & 26. 1. Cor. 15.

22. *Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me. Ipsum audietis iuxta omnia quæ loquutus fuerit vobis.* 23. *Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.*

Christus Propheta à Mose prædictus.

TOtam hanc prophetiam Mosaicam de solo Christo intelligi oportere, & ad solum Christum à Petro restringi, multa demonstrant. Primùm, quòd hac prophetia commemorata, subiungit Petrus: *Et omnes Prophetæ à Samuel & deinceps qui locuti sunt, annunciaue-*

nunciauerunt dies istos, id est, aduentũ Messiæ. Sicuti igitur Samuelem alioſque prophetas de Christo prophetasse affirmat, ita Mosaicam illam prophetiam de vno Christo intelligi, & ad hos dies aduenientis in mundum & prædicandi per totum mundum Messiæ peculiariter pertinere, disertissimè Petrus docet. Deinde hanc prophetiam soli Christo esse propriam, nec alijs Prophetis, qui post Moysen surrexerunt, communem, perspicuè ostendit non solùm articulus ille singularis appositus, sed & pronomen demonstratiuum adiectum, ὁστις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου: *Qui non audierit Prophetam illum*. De vno specialiter & singulari Moysen locutum fuisse, vt eius verba 70. verterunt, nemo Græcæ linguæ gnarus, nisi summa cum impudentia, negare poterit: tametsi Beza in sui Caluini gratiam (vt mox videbitur) nihil huiusmodi annotare hoc loco voluerit. Porrò idem non obscurè ostendit Moyses quando addit, *tanquam me*, id est, qui nouo populo dux & princeps sit, sicuti ego veteri populo fui. Vnde postea Petrus dixit; *Hũc principem & saluatorem Deus suscitauit dextera sua*: & hoc ipsum innuens D. Ioannes dixit; *Lex per Moysen data, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Sanè ideo *non sumus sub lege, sed sub gratia* (vt Paulus scripsit) quia non iam sub Moyse, sed sub Christo. Nam & Moyses vulgaris Propheta non fuit,

Beza proprietates sermonis Græci dissimulat quum pro veritate orthodoxa faciunt.

3. Infrà c. 5. Ioan. 1.

Rom. 6.

fuit, sed ita Propheta, vt simul dux, legislator, ac princeps populi esset. Illud ergo, *tanquam me*, non de quouis Propheta, sed de solo Christo (qui erat alter Moyses, sed excel-
4. lentior) ad literam intelligi debet. Illustriùs adhuc idem probatur, quando addit Moyses: *Ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis.* An non hæc ipsa vox Dei Pa-
Matth. 17 tris è cælo de Christo fuit: *Ipsum audite?* Solent hæretici contra Ecclesiam excipere, quòd non in omnibus audienda sit, sed in ijs quæ loquitur iuxta legem, iuxta verbum scriptum; & ad hæc ipsa verba, *Iuxta omnia quæcunque locutus fuerit*, infert Caluinus: *Ergo Christus non in vna tantùm parte, sed totus suscipiendus est: & vt nunc persona, ita & doctrina.* Hæc ille. Sic igitur contra Caluinum qui hanc propheciam propriè ad Christum pertinere negat, sed ad quoslibet Prophetas extendi vult, arguere licet: Aut Ecclesiarum pastores, qui veterum Prophetarum locum tenent, per omnia quæcumque loquũtur audiendi sunt, & falsa est illa vulgaris exceptio, non aliter esse audiẽdos pastores quàm si ex verbo loquantur; aut soli Christo hoc proprium erit, & de solo Christo Moyses hîc loquitur. Sanè solus Christus in omnibus quæcumque loquitur audiendus erat, quia ille solus nec Legi nec Prophetis astrictus, nouus & vnicus magister orbis venit.
Matth. 13 *Vnus est enim magister*, καθηγητὴς, dux & princeps no-

ceps noster Christus, *qui annunciabit nobis omnia:* quod illa Samaritana quum professa esset, subiecit Christus: *Ego sum qui loquor tecum.* Accedit alia particula soli Christo eminenter propria: *Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Tametsi enim (vt Caluinus hoc loco scribit) *hæc grauissima pœna aduersus rebelles Prophetarum omnium sancitur, quia Deus quum verbo suo nihil pretiosius habeat, fieri non potest vt id patiatur impunè contemni*; (vbi iterum prædicationis Ecclesiasticæ authoritati plus solito tribuit) tamen non solùm Christi authoritas *maximè*, vt Caluinus addit, sed, si rectè aduertimus, Christi authoritas *propriè* his verbis designatur. Qui enim reliquos Prophetas aut Ecclesię Pastores cõtemnit, ideo exterminatur de populo, quia in illorũ persona ipsum Christum contempsit; iuxta illud tum veteri populo, *Non te spreuerunt, sed me*; tum de nouo populo dictum, *Qui vos spernit, me spernit.* Vnde & Petrus Ananiæ & Sapphiræ infrà dixit, *Non mentiti estis hominibus, sed Deo.* Et mirum est, Caluinum hoc nunc hominibus & Prophetis tribuere, quod in omnibus alijs scriptis suis soli Christo aut verbo Christi tribuendum docuit. *Quicquid*, inquit, *authoritatis ac dignitatis Spiritus in scriptura siue Sacerdotibus siue Prophetis, siue Apostolis, siue Apostolorum successoribus defert, id totum non propriè hominibus ipsis, sed ministerio*

5. Ioan. 4.
1. Reg. 8.
Luc. 10.
Act. 4.
Instit. lib. 4. cap. 8. num. 2.

ministerio cui præfecti sunt, datur, vel, vt expeditiùs loquamur, verbo: cuius ministerium illis est commissum. Est quidem hoc totum ab eo fraudulenter & impiè dictum, vt alibi explicauimus; sed huic præsenti eiusdem doctrinæ repugnãs, qua pœnam inobedientiæ grauissimam contemptis Prophetis tribuit, ne propriè hic locus ad Christum spectare videatur. Proprium sanè Christo & filio
Ioan.3. Dei est, *vt omnis qui non credit in eum, pereat*: quod alijs verbis Moyses dixit, *Qui non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Verba igitur ipsius Moysis diligẽter expensa, perspicuè docent de solo Christo hanc
6. prophetiam intelligi oportere. Quod etiam hoc vnico argumento sufficienter comprobari oportuit, quia D. Petrus de Christo
7. Moysen ista dixisse commemorat. Accedit ad D. Petrum etiam S. Stephani testimonium, qui in illa sua ad Iudæos oratione hãc etiam prophetiam veluti ad Christum propriè pertinentem allegauit. *Hic est*, inquit, *Moyses qui dixit filijs Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis.* Docet planè D. Stephanus, sensum tunc omniũ piorum fuisse, ad vnum Christum hæc verba Moysis singulariter perti-
8. nere. Accessit postea omnium Patrum & veterum interpretum consensus, qui hæc Moysis verba ad Christi personam propriè & iuxta literam referenda esse affirmant.

Sanè

Sanè contra Fauſtum Manichæum, qui, vt nunc Caluinus, hanc prophetiam de Chriſto propriè non eſſe intelligendam acerrimè contendit, D. Auguſtinus de ſolo Chriſto intelligendam eſſe accuratiſsimè defendit. Lib. 16. cap. 15. & ſeqq. cõtra Fauſtum.

Atqui nihil horum omnium reueritus Caluinus, audet pertinaciſsimè negare, tum hoc in loco, tum alibi, de Chriſto redemptore Moyſen in his verbis ſpecialiter ac propriè prælocutum fuiſſe. Et ſicuti omnia alia vaticinia de Chriſti Aduentu, Natiuitate, Prædicatione, Paſsione, Reſurrectione, & in cælos Aſcenſione, in Lege, Pſalmis, ac Prophetis, etiam illa quæ Apoſtoli & Euangeliſtæ ad Chriſtũ perſpicuè accommodarunt, ter impius Caluinus in fauorem Iudæorum prorſus eluſit, *& in alienum ſenſum deflexa ac detorta* ab ipſis Euangeliſtis & Apoſtolis fuiſſe procaciſsimè ſcripſit (quod libello diſtincto ex ipſius Caluini verbis in medium productis, diligenter demonſtrauit Ægidius Hunnius, V Vittembergæ Theologus) ſic & hoc vaticinium Chriſtianis eripere contendit. In comment. ſuis ad ipſum Deuteronomium ſic ſcribit: *Colligimus in nomine Prophetæ eſſe Enallagen numeri. Nam quòd nonnulli ad Ioſuam, alij ad Hieremiam reſtringunt, prorſus inſulſum eſt, quando hic de continuo regendæ Eccleſiæ tenore diſſerit Moyſes, non autem recitat quid facturus ſit Deus ad breue tempus. Nihilo rectior eſt eorum ſententia, qui præciſè de ſolo Chriſto*

Caluini Iudaiſmus.

In libello cui titulus, *Caluinus Iudaizans.*

Christo accipiunt. Nam illud quod dixi, Dei consilium tenere conuenit, non relinqui Iudæis excusationem si ad pythones vel magos declinent, quia Deus eos numquam destituet Prophetis & Doctoribus. Quòd si ad solum Christum eos allegasset, in promptu erat exceptio, durum esse per duo annorum millia carere Prophetis & reuelationibus.

Hæc ibi Caluinus. Homo non minùs insulsus quàm impius insulsis & putidis argumentis rem testatissimam eludere se posse præsumit. Enallagen numeri, quam fingit, prorsus euertit pronomen illud δεικτικον, τοῦ προφήτου ἐκείνου; & demonstratio articulo adiuncta, vt iam dictum est. Sanè de vno singulari Propheta locutum fuisse Moysen, præter omnia superiùs allegata, illa vox Philippi ad Nathanaelem perspicuè ostendit: *Quem*, inquit, *scripsit Moyses in Lege & Prophetæ inuenimus filium Ioseph à Nazareth.* At in tota lege de vēturo Propheta, nisi hoc loco, Moyses non scripsit. De continuo regendæ Ecclesiæ tenore loqui Moysen prorsus agnoscimus, sed sub alio statu, & qui Mosaico sacerdotio aclegi succedere debuit, vt iam ostensum est. Quòd Moyses post pythones & augures non audiendos, subiungit hanc prophetiam de venturo Propheta, non est contra illos augures gentilitios remedium, sed est, Scripturæ more, ad nouam promissionem & prophetiam transitio. Solet enim Scriptura præceptis subijcere promissiones,

Caluini coniecturæ & ratiunculæ soluūtur.

Ioan. 1.

missiones, vel commonefactiones, atque adeò derepentè ab vna re in aliam transire. Quare Moyses hoc loco, post multa præcepta, subiungit de venturo Messia Propheta magno, vt ad eius aduẽtum eorum animos suspensos teneat; non quòd toto interea tempore Prophetis carituri erant, sed quòd ad hunc potissimùm & perpetuò respicere eumque expectare debeant. Porrò vt de quo Propheta loquatur meliùs aduertant, reuocat illis in memoriam, quid eo tempore dixerint, quo terribiles Dei voces in monte audiuerant: *Vt*, inquit, *petisti à Domino Deo tuo in Horeb quando concio congregata est, atque dixisti, Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo ei de medio fratrum suorum similem tui, & ponã verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.* Quibus sanè verbis Christum Hebreis esse promissum, Paulus ad Hebræos scribens, hoc ipsum illis in memoriam reuocans, satis luculenter docet. *Non*, inquit, *accessistis ad tractabilem montem, & inaccessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum, &c. sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, & ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm*

Deut. 18. Exod. 20.

Hebr. 12.

Abel. Videte ne recusetis loquentem. Manifestè hoc loco Apostolus illud completum ostendit quod Moyses Hebræis pollicitus fuerat, quum de Propheta vēturo loqueretur. Vana igitur & futilia sunt quę aduersus tam claram lucem ad illū Deuteronomij locum garrijt Caluinus.

Ad hæc autem Petri verba nihilo rectiùs cauillatur. *Scimus,* inquit, *quosdam multum laborare, vt ad Christum hanc Moysis prophetiam restringant. Arripiunt verbum istud, quòd Moyses Prophetam similem sibi fore testatur, quum tamen scriptum sit, nullum talem resurrexisse.* Deuter. 34.10. Fingit sibi debile argumentum, vt, vbi illud facilè peremerit, omnibus argumentis satisfeciſſe videatur. Atqui validiora afferri posse aut ignorauit, & temere refutat cuius argumenta nescit; aut dissimulauit, & egregium impostorem egit. Quicquid ergo huic argumento respōderit, sustq; deque habemus. Aliud proponit non minùs infirmum ac debile. *Arripiunt* (inquit) *aliud, Quòd Mose sit excellentior Propheta, cui ille testimonium reddit.* Argumentum hoc sanè infirmum est, quia testimonium reddere æqualis de æquali potest, sicuti patet de Spiritu S. & Christo: ipsoque Deo Patre & Filio eius: qui in Euangelio mutuum de seipsis testimonium perhibent. Aliter quidem Caluinus hoc soluit; sed perinde est quomodocumque soluatur; quando nec hoc nec

Caluini versutia, in fingendo argumenta futilia.

hoc nec prius argumentum vllam probandi vim habeant. Validiora sunt quæ attulimus, quæ attingere Caluinus noluit. Et tamen quasi debellatum esset, concludit: *Non est ergo cur nos Iudæis ridendos propinemus, violenter torquentes Mosis verba, quasi solum Christum hic designet.* At verò quis magis Christianam religionem Iudæis ridendam & explodendam propinat, quàm ipse Caluinus, eiusque sectatores, qui prophetias veteres à tota Christiana Ecclesia de Christo hactenus intellectas non minùs ad quemlibet Prophetam quàm ad Christum pertinere docent? Qua in re & Christianam religionem bis infamant, & Iudæis bis gratificantur. Semel, in totius hactenus Ecclesiæ Christianæ tam turpi errore: iterum, propheticas de Christo prædicationes Christianis hominibus eripiendo, & sensu Iudaico exponẽdo. Hęc est Caluini hoc loco duplex impietas, quam idcirco paulò latiùs tractare volui.

Christianos Iudæis ridendos Caluinus propinat.

Dixerit fortè quispiam: Quid igitur ad Petri authoritatem (quæ sola pro solida ratione nobis esse debet) hãc Mosaicam prophetiam Christo applicantis respondet hoc loco Caluinus? Hoc vnum respondet, *rectè hoc à Petro factum esse, eo quòd hoc elogium sic ad alios pertinere vidit, vt tamen præcipuè Christum commendet.* Atqui nec hoc ad Iudæos reuincendos, atque ad Christum adducendos, multum valeret, quando de excellentia

Christi supra reliquos Prophetas adhuc controuersia maneret; nec aliter à Petro hanc prophetiam in medium allatam fuisse, quàm vt ad eum solum ac propriè pertineret, iam in præcedentibus ostendimus. Quo in loco iterum notandum est, Petrum in primis istis suis ad Iudæos concionibus non alias prophetias veteres in medium produxisse, quàm quæ propriè ad vnum & solum Christum pertinebant. Sic in prima concione illud Christo proprium protulit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et iterum illud: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* In tertia concione protulit illud de solo item Christo intelligendum: *Hic est qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Non aliter in hac secunda concione Mosaicam hanc prophetiam induxit; quam ad solum Christum & Messiam pertinere, ab ipsis doctis & piis Iudæis non dubitari bene sciebat. Manet ergo Caluini temeritas atque impietas prorsus inexcusabilis.

Petrus prophetias Christo proprias aduersus Iudæos protulit. Cap. 2.

Cap. 4.

CAP.

CAP. IIII.

4. *Factus est numerus virorum quinque millia.*

EXTENVAT hanc cõuersionem Caluinus dicens: *Quum addit Lucas, numerum credentium circiter ad 5. millia creuisse, id potiùs de tota Ecclesia quàm de noua accessione intelligendum est.* Quasi verò aut Lucas quotidianas accessiones subducto calculo annotauerit, aut textus ipse disertè non loqueretur *de ijs qui audierunt verbum*, id est, Petri hanc secundam concionem, aut denique difficilius credendum sit in 2. concione 5000. fuisse conuersa quàm in prima concione 3000. Sed hæc est Caluini incredulitas. Recordor hoc loco quid in Anglia nostra me adolescente contigerit. Quum prima illic in religione innouatio fieret, linguaque vernacula omnia in Ecclesijs legi cœpissent; Minister quidam historiam Euangelicam legens de quinque millibus hominum ex 2. piscibus & 5. panibus à Christo saturatis, pro quinque millibus legit quingentos. Erroris ab astante ædituo admonitus, Tace, inquiebat: bene se res habet si vel quingentos tam paucis panibus ac piscibus saturatos fuisse, populus iste credat. Talis est hodie Caluinistarum fides.

Caluini incredulitas.

12. *Non enim est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Christus solus quomodo salutis causa.

SVa hîc aspergunt venena hæretici: *Hæc exclusiua*, ait Bullingerus, *omnia semel tolluntur, quibus hactenus salutem tribuimus, vota monastica, Missæ, Idola, Merita, Indulgentiæ, Diuorum cultus, in quibus omnibus nulla est salus.* Caluinus quoq; in hũc locũ: *Si probè omnium animis etiam hodie insideret hæc doctrina, sedata essent tot de salutis causis controuersiæ, quibus hodie vexatur Ecclesia. Fatentur Papistæ nobiscum salutem non nisi in Deo esse: sed mox innumeras eius quærendæ rationes sibi fabricant. Petrus autem ad solum Christum nos reuocat. Negare quidem prorsus non audent illi, salutem nobis per Christum conferri; sed dum tot adminicula confingunt, vix centesimã salutis partem illi faciunt residuam. Atqui salus in solidum ab eo petenda erat. Alia enim omnia media dum palàm excludit Petrus, perfectam integramque salutem, non aliquam dumtaxat partem, in solo Christo statuit. Ita multum abest quin hanc doctrinam teneant.* Hæc ille: sed totam vtriusque hæretici insulsam & pestilentissimam cauillationem vno Pauli verbo refellimus: *Christus per passionem cõsummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Ita salus quidem à solo Christo est, sed illis qui Christo obediunt. Atqui docet nos scriptura, illa omnia Christum à nobis flagitare,

Hebr. 5.

Salutis media multa à Christo tradita.

flagitare, vel certè illa nobis commendare, quæ hæretici isti tanquam salutis media repudiant. Commendat Christus vota monastica, dicens, *aliquos se castrare propter regnum Dei*. Missam instituit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Idola nescit Ecclesia Catholica. Merita docuit dicens: *Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi*. Indulgentias docuit Apostolus Christi Paulus: *Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi*. Diuorum cultus & inuocatio non magis sanæ doctrinæ repugnat, quàm mutua viuentium apud Deum intercessio & oratio, quam ipse Paulus studiosè expetit. Denique in solo Christo salus nostra est, quia quicquid præterea ad salutem valet, per Christum eiusque merita valet. Alioqui iux: a horum hæreticorum sententiam, nec Sacramenta, nec oratio, nec inuocatio, nec vllum opus bonum, nec ipsa fides homini in Christum credenti vllam salutis partem adferunt, inania & superuacanea sunt.

Matth. 19
Luc. 22.
Matth. 6.
2. Cor. 2.
2. Cor. 1.

19. *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate.*

EST vox Ecclesiæ ad homines profanos & infideles, quales iam isti erãt, nõ amplius Synagoga. Sed non est vox subditi ad legittimum superiorem in eo rerum genere quo subijcitur, multo minùs hæretici cõtra Ecclesiæ iudicium, vt ad Scripturæ regu-

Homines potiꝰ quã Deus quo modo nõ audiendi.

Iam illud exigat: videlicet prout ipse Hæreticus Scripturam interpretabitur; quod contra Caluini hoc loco venena annotandum. Perridiculè enim, non impiè tantùm, sic ad hæc verba scribit: *Hoc operæ pretium est notare, quòd Dei authoritatem sacerdotum decretis Apostoli opponunt. Quod intempestiuè fieret, nisi Deo aduersi essent, qui tamen alias ordinarij erant Ecclesiæ Pastores. Plus etiam exprimunt Apostoli, nempe obedientiam quæ malis & infidis Pastoribus defertur (vtcumque legitimum Ecclesiæ regimen obtineant) esse Deo contrariam.* Hæc ille. Quàm autem hæc non impiè tantùm cõtra legittimam Pastoribus præstandam obedientiam, sed etiam ridiculè & absurdè de sacerdotibus Synagogę iam deiectę & abolitæ à Caluino dicantur, quia in Antidotis nostris Euangelicis latè nuper exposui, ad eum locum lectorem remitto.

Ad cap. Ioann. 16 vers. 2.

20. *Non enim non possumus quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.*

HAEc quoque verba audaciam & peruicaciam hæreticorum nihil iuuant. Verba sunt eorum præcipuè quibus loquendi ac docendi munus ex officio & vocatione legittima incumbit; quales Apostoli erant, qui ita loquebantur. Debẽt etiam verba esse cuiusuis fidelis, quando vel à legittimo Iudice, vel etiam à fidei hoste, aut alio quouis, in periculo scandalosi silentij, de fide interrogatur.

rogatur. Sed eos qui currunt nemine mittente, ista verba ad currendum non prouocant.

32. *Erant illis omnia communia.*

SApienter obseruat S. Augustinus Christianorum ex Iudæis & Gentibus hoc in loco discrimen. *Iudæi*, inquit, *quia proximi spiritualibus fuerunt, quia in signis carnalibus, quorum spiritualem intelligentiam nesciebant, vnum tamen didicerunt venerari æternum Deum, tam capaces extiterunt Spiritus Sancti, vt omnia sua venderent, eorumque precium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, seque totos dedicarent Deo. Non enim hoc vllas Ecclesias Gentiũ fecisse scriptum est, quia non tam propè inuenti erant, qui simulachra manu facta Deos habebant.* Hæc ille. De hac communi vita, quæ postea ad paucos transijt monasticam vitam amplectentes, multa alibi Augustinus scribit in Psalm. 75. ad illa verba, *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, & in Psalmũ 93. ad vers. 1. & serm. 25. de verbis Apostoli. Corrumpunt hunc locum hæretici; & dum Anabaptistas refellunt, qui omnibus Christianis hoc vitæ genus necessarium esse præposterè dogmatizant, verum totius loci sensum peruertunt. *Ius & proprietas possessionis* (ait Pomeranus) *manebat in dominio possidẽtis. Coniuncti erant vt amici solẽt, quibus omnia sunt communia*, ait Bullingerus. *Liberaliter inter se viuebant, vt opes,*

De doct. Christ. l. 3. cap. 6.

Monasticæ vitæ origo.

Proprietatis abnegatio ab hæreticis negata.

fortunas, consilia, & studia inter se conferrent. Quibus subscribens Caluinus, quod Lucas ait, *Nemo eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, sic exponit: *Nemo sibi priuatim suum habebat, vt eo solus frueretur alijs neglectis; sed prout necesse erat, parati erãt in commune conferre*. Est ergo hæreticorum sententia, primos Christianos, manẽte bonorum suorum proprietate, in eorum communicatione liberales fuisse.

Proprietatis ab. negatio probatur.

Sed multis modis hæc corrupta tela refellitur.

1. Primùm, quia agrorum & domorum possessores omnia vendebant, & ad pedes Apostolorum ponebãt. Sic non solum dominium trãslatum est, sed & vsus fructus ipsa

2. distributio. Deinde, sic erant omnia cõmunia, *vt nemo suum aliquid esse diceret*: ergo aut nulla mansit proprietas, aut mẽtiebantur.

3. Tertiò, Ananias & Sapphira damnantur proximo capite *quia fraudarunt de precio agri*, aliquam partem sibi retinentes. At nulla fraus est, quod suum est, retinere: nulla ergo

4. mansit proprietas. Quartò, Petrus Ananiæ dixit, *venundatum erat in tua potestate*, scilicet antequam ad pedes Apostolorum precium deponeret: ergo pretio iam deposito, non

5. erat ampliùs in eius potestate. Quintò, Gẽtium Ecclesiæ in eleemosynis erga pauperes Christianos erant valde liberales, vt Paulus docet ad Rom. 15. Atqui quod hîc Lucas scribit, nullas Ecclesias Gentium fecisse D. Augustinus loco citato verisimè scripsit.

CAP.

CAP. V.

15. *Vt veniẽte Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanarentur omnes à languoribus suis.*

VAlet hic locus ad Sanctorum reliquias venerandas, & ad sanitates ex earum fideli cõtactu aut applicatione à Deo expetendas. Sed ne quicquam valeat, satagunt diligenter hoc loco hæretici. *Ridiculum est* (inquiunt) *opinari credentes fiduciam aut spem aliquam sanitatis in vmbra Petri posuisse, & eam tam sanctam fuisse vt infirmos sanare potuerit. Sciebant enim omnia à verbi Dei virtute & Spiritu Sancto pendere.* Respondeo: vtrumque sciebant; tum à Spiritu Sancto ac virtute Dei omnem sanandi vim principalem pendere, tum vmbram Petri non quidem in se sanctam, sed instrumentaliter efficacem fuisse, vt ea mediante infirmi sanarẽtur. Hoc enim textus sacer apertissimè dicit: *Ponebant in lectulis infirmos, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, &* (mediante hac vmbratione sancti Apostoli) *liberarentur omnes* (quoquot obumbrati fuissent) *ab infirmitatibus suis.* Quare in ipsa haud dubiè Petri vmbra fiduciam aliquam sanitatis ponebant, non ipsam per se vmbram considerantes, sed cuius corporis illa vmbra esset; nec ipsum quoque corpus per se

Reliquiarum SS. veneratio.

Apud Marlotatum in Exposit. Ecclesiast.

per se spectantes, sed vt sancti viri per quem Deus operabatur. *De verbi Dei virtute*, quam hîc infarciunt hæretici, textus sacer nihil loquitur. Sic suum nō Dei verbum nobis obtrudunt. Nunc autem collectionem orthodoxam quomodo in forma dissoluūt videamus. *Hoc tamen* (inquiunt) *prætextu abutuntur Papistæ, non modò vt ficta miracula commendent quæ ad martyrum sepulchra fieri dicunt, sed vt reliquias suas nobis venditent. Cur potiùs* (inquiunt) *sanandi virtutem habuit Petri vmbra, quàm habebit sepulchrum aut vestis, vel etiam ossium tactus? Sed prompta est refutatio. Nam hac virtute ideo præditi fuerunt Apostoli, quòd Euangelij ministri essent. Quatenus ergo ad promouendam Euangelij fidem intererat, hoc dono vsi sunt. Immo Deus vim suam non minùs in illorum vmbra quàm ore exercuit. In miraculis de quibus garriunt Papistæ, adeò nihil affine est, vt sint omnia potiùs contraria. Hic enim finis est, vt mūdus à Christo abductus ad Sanctos transfugiat. Non ergo credendum est quòd vmbra hominis tum fuerit efficax, sed quòd virtus Dei (quæ se secundùm dispensationem nobis minutis istis rebus insinuat) egregia ista effecerit.* Hæc ex varijs hæreticorum commentarijs Marloratus. Ad argumentum orthodoxum nihil respondent quod eius vim euacuet. Ministri Euangelij non soli Apostoli fuerunt, sed omnes eos secuti *Pastores & Doctores quos Christus dedit in opus ministerij*. Ad promouendam Euangelij fidem hoc donum valet non solùm

Cauillatio hæreticorum refellitur.

Ephes. 4.

solùm Apostolorum tempore, sed & quamdiu Euangelio creditur. *Fidei enim subseruiunt miracula* (ait ipse hoc loco Caluinus) *alios præparando, alios confirmando.* Et D. August. de miraculis ad Stephani reliquias suo tempore factis ita scribit: *Exultabant in Dei laudem voces. Quid autem erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi pro qua Stephani sanguis effusus est?* De Ciuit. Dei l. 22. cap. 8. Vnde ad aliam cauillationem patet responsio. Miraculorum enim ad sanctas reliquias finis non est vt mundus à Christo abductus ad Sanctos transfugiat, sed vt mundus per Sanctos ad Christi fidem adducatur, vel in fide confirmetur, vel denique fidem exultantiùs confiteatur. Tandem, non ipsam Petri vmbram, aut alias SS. reliquias efficaces ex se ipsis dicimus, sed virtutem Dei, quæ illis minutis rebus se insinuat, omnium miraculorum effectricem esse asserimus & credimus. Sanè D. August. tractatu 72. in Ioann. & Chrysostom. Hom. 12. in Acta illud Christi promissum, *Maiora horum faciet*, Ioan. 14. circa has sanitates ad vmbram Petri factas adimpletum fuisse docent: quando istud opus maius videtur fuisse quàm per simbriæ contactum sanasse.

29. *Opor-*

29. *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.*

Obedire Deo magis quàm hominibus.

SVnt hæc verba cuiuslibet Christiani ac pij fidelis, siue contra tyrannum persecutorem, siue contra quemlibet superiorem ea mandantem quæ diuinæ legi & pietati repugnant, siue contra hæreticos ac lupos in Ecclesia Christi Pastorum ac Ministrorum nomine grassantes. Non sunt autem hominis hæretici verba contra legittimum Ecclesiæ Pastorem, qualiter ea contra Ecclesiæ Catholicæ Pastores vsurpari posse Caluinus hoc loco docet, perpetua sua hypothesi vsus, *Papam esse Christo aduersum:* sanè quia Caluini & cæteras horum temporum ex Oecumenici Concilij decreto anathemate percussit Papa; & quia Christus esse Caluinus vult.

38. *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos.*

Gamalielis sententia qualis.

QVæritur an hoc Gamalielis consilium ex Deo fuerit, & generaliter verũ sit. Non ex Deo neque in fauorem Apostolorum ista dixisse, sed veluti hominis moderati & mansueti mitiorem sententiã fuisse vult Caluinus; adeoque prudente homine indignam, quæ omnibus maleficijs & sceleribus viam impunitatis aperiat: valere tamen sententiam in causa fidei ac veræ religionis,

gionis, cuius cursus vt impediri non debet, ita nec vllo humano consilio impediri potest. Cæterùm Gamalielem prorsus in fauorem prædicationis Euangelicæ ista dixisse, & de sola causa veræ fidei sententiá suam protulisse, magno argumento est, quòd & ille Christianæ religionis fautor studiosus, tametsi fortè politicus, postea semper extiterit. Nam B. Stephani solemnem sepulturam ipse in villa sua 20. milliaribus extra Hierusalē fieri procurauit, vt notat B. Lucianus Martyr in historia de inuētione corporis B. Stephani. Idem quoque Nicodemum Christi discipulum, postea à Iudæis bonis omnibus spoliatum, & Hierosolymis pulsum, in eadem villa sua vsque ad mortem aluit, & iuxta B. Stephanum sepeliuit, vt in eadem historia narrat B. Lucianus. Frustra tamen Caluinus cum cæteris hæreticis pro libertate falsæ religionis concedenda hoc Gamalielis consilio abutuntur. Quod enim in vera fide ac religione valet, hoc in sacrilegio & hæresi non valet.

CAP.

CAP. VI.

3. *Considerate, fratres, viros ex vobis, &c. quos constituamus super hoc opus.*

Diaconorum officium.

CONTRA Diaconorum officium in Ecclesia Catholica cauillatur ad hunc locum Caluinus. *Iam* (inquit) *perspicimus quorsum creati fuerint Diaconi. Nomen quidem ipsum generale est, proprie tamen pro œconomis pauperum accipitur: vnde apparet quàm licentiosè Deo & hominibus Papistæ illudant, qui suis Diaconis non alias assignant partes, nisi vt patenam & calicem tractent, & Euangelium legant. Certè longa disputatione nō est opus, vt probetur nihil commune ipsos vel consentaneum habere cum Apostolis.* Hæc ille: sed Hæreticorum more, *quæ ignorat, blasphemat.* Tametsi

Iud. cap. vnico.

hoc loco à Luca Diaconi officium nō aliud legatur, quàm *ministrare mensis*, veluti prima occasio instituendi Diaconos; tamē ab ipsis Apostolis institutos Diaconos fuisse ad sacræ quoque mensæ & altaris ministerium, tum ipsæ loci huius circumstantiæ, tum luculenta testimonia probant. Eligūtur Diaconi *pleni Spiritu S. & sapientia, boniq́ue testimonij*, id est, irreprehensibiles; &, vt Paulus

Loci circumstantiæ. 1.

1. Tim. 7.

latiùs describit, omnibus penè illis dotibus ornandi quæ in Episcopo requiruntur. Quis credat ad solam œconomiam pauperū tantas dotes & tanta gratiæ præsidia requiri?

Deinde,

Deinde, communes tunc fidelium mensæ, sacræ mensæ & mysteriorum participationi ordinariè coniunctæ erant, vt patet apud Paulum. Sic vtrisque ministrabant. Præterea, solêmnis illa ordinatio *per orationem & impositionem manuum Apostolorum* apertè coniungit, non prophanis tantùm, sed & sacris muneribus obeundis eos institutos fuisse. Hæ circunstantiæ Caluini errorem conuincunt. Accedunt testimonia ab ipso Apostolorum tempore: D. Ignatius D. Ioan. discipulus Epistola 2. ad Trallianos ita scribit: *Oportet Diaconos, mysteriorum Christi ministros, per omnia placere. Nec enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores.* Et paulò pòst: *Quid aliud Diaconi quàm imitatores angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum mysterium sacerdotibus exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro?* Rursum in Epistola ad Heronem Diaconum: *Nihil sine Episcopis facito. Sacerdotes enim sunt, tu verò Sacerdotum minister: baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt: tu verò illis ministras; vt S. Stephanus Iacobo & Presbyteris qui erant Hierosolymis.* Huius vnius sancti testimonio omnis Hæreticorum petulantia & ignorantia satis retunditur. Sed tota quoque antiquitas nobis suffragatur. Polycarpus in Epistola ad Philippenses, Clemens Constitutionum Apost. l. 2. c. 61. & lib. 8. cap. 25. Dionysius

2.

1. Cor. 12.

3. Diaconorum officium ad altare ministrare.

Areopagita Eccleſiaſt. Hierar. part. 2. c. 1. Cyprianus Epiſtola 49. & 65. Concilium Carthaginenſe 4. in varijs canonibus: Auguſt. Epiſt. 148. de ciuitate Dei lib. 20. c. 21. & de Sanctis Serm. 4. vbi de S. Stephano ait: *Diaconus erat; Euangelium legebat, quæ legis vel audis & tu.* Hieron. in c. 7. Michęæ: Ambroſ. lib. 1. officiorum cap. 41. Chryſoſtomus hom. 60. ad populum Antiochenum, alijſque multis in locis. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, nō à Papiſtis, ſed à tota antiquitate alias longè partes Diaconis aſſignari, quàm ſolis communibus menſis miniſtrare, aut pauperum œconomos eſſe, Caluinum autem Deo & hominibus licentiosè illuderé, qui tot ſeculorum praxin ab ipſo Apoſtolorum tempore deriuatam tam petulanter impugnat. Sanè ipſa tam prolixa & erudita concio S. Stephani Diaconi, quæ proximo ſtatim cap. ſequitur, Caluinum docere debuit, Euangelij prædicationem ad Diaconos ſpectaſſe.

CAP.

CAP. VII.

6. *Seruituti eos subijcient, & malè tractabunt annis* 400.

OMNES hoc loco horum temporum hæretici, & ipse post alios Beza, Rabbinorum potiùs calculo quàm apertæ Scripturæ subscribunt, circa annorum numerum quibus filij Israel in Ægypto versabantur. Solis enim 210. annis ibi eos versatos fuisse volunt, annos verò 400. vt hîc loquitur Stephanus, à nato Isaac computatos esse. Sed disertissimè Scriptura contradicit, non solùm hoc loco (dicente Stephano, *Seruituti eos subijcient, & malè tractabunt annis* 400. sed & eo in loco vbi prima prædictio huius longinquæ peregrinationis facta est, dicente Deo ad Abraham: *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum erit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent* 400. *annis: veruntamè gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo.* Genes. 15 Quod de sola gente Ægyptiorum intelligi potest. Rursum alio in loco dicitur clarissimis verbis: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum.* Exod. 12. Vbi 30. adijciuntur, quia aliæ Scripturæ, more solito, hos impares & fractos numeros prætermiserunt. Accedit Pauli testimonium hoc eodem in libro: *Distribuit eis terram Chanaan* Act. 13.

quasi post 450. *annos.* Nam ab ipso exitu de Ægypto, vsque ad distributionem terræ Chanaan sub Iosue, quasi 50. anni fluxerunt. Vnus alius Pauli locus negligentiùs inspectus contra tam multa perspicua & euidentia loca refractarijs hominibus erroris causam dedit. *Testamentum confirmatum a Deo* (ait Paulus) scilicet Abrahæ, quòd in semine eius benedicerentur Gentes, *quæ post* 430. *annos facta est lex* (scilicet in deserto per Moysen) *irritum non facit.* Quòd ait Paulus legem post 430. annos factam, non ita dicit vt illi 430. anni ab ipsa promissione Abrahæ facta computẽtur, sed Moysis verba Exod. 12. ad verbum vsurpat; nec aliter intelligendum est, quàm ipse Moyses clarissimis verbis suprà citatis expressit. Rabbini cæci & superbi non putabant ex honore maiorum suorum fuisse quòd totis 400. annis in Ægypto seruirent. Ita apertam Scripturam contaminarunt: nec aduerterunt fieri non potuisse absque ingenti miraculo vt 210. annorum spatio 72. homines qui in Ægyptum descenderunt, sic multiplicarentur, vt ex illis sexcenta millia hominum armatorum, præter innumerabilem aliorum multitudinem, inuenirentur quum Ægyptum exirent. Sanè illa 4. loca Genes. 15. Exod. 12. Act. 7. & 13. ad nullum aliud tempus referri possunt, quàm ad ipsam habitationem & afflictionem Ægyptiacam.

Galat. 3.

Scripturæ conciliatio.

22. *Eru-*

22. *Eruditus est Moyses in omni sapientia Ægyptiorum.*

ARripit hîc Caluinus, & veluti ex aqua ignem, sic ex sapientia Ægyptiorum (quam mysticam Theologiam interpretatur) ceremonias Catholicas, & earum mysticas intelligentias, carpendi occasionem elicit. *Habebãt*, inquit, *Ægyptij mysticam Theologiam, quæ stultis & deliris commentis & prodigiosis abominationibus colorem induceret, ac si probare vellent non absque ratione se insanire: quemadmodũ Papistæ cũ histrionice in sua Missa & alijs insulsis ritibus ludãt, mysteria tamẽ comminiscuntur, vt persuadeant nihil illic esse nisi diuinum.* Quis verò à sapientia Ægyptiorum huiusmodi aliquam comparationem aut collectionem expectasset? An hoc fortasse sublime est Caluini acumen, qui ex latentibus principijs altas conclusiones eruere valet; aut fortè insignis & inueterata malitia, qui, vt Catholicam Ecclesiam quoquo mõdo traducat, etiam ex pumice aquam, vel (vt ipse alibi loquitur) ex aqua ignem haurire contendit? Sanè acumen hîc nullum est, sed summa stoliditas; sensus & ingeniũ nullum, sed libido & audacia. Restat vt maleuolẽtiæ suæ genio indulserit. An acumen illud est, ex re per se laudabili, aut certè huiusmodi, quod an vituperio dignum sit, incertum habetur, aliud inferre quod tuo iu-

dicio ſummo vituperio & contumelia dignum eſt. Cõparatio omnis maximè odioſa inter illa eſſe debet quæ non ſolùm eiuſdem ſunt generis, ſed quæ ita ſunt affinia, vt eiuſdem eſſe generis palàm conſtet. Alioqui non niſi cauillatorẽ inſulſum omnis comparatio odioſa, & ad reprehenſionem inſtituta, manifeſtè redarguit. Atqui ſapientia iſta Ægyptiorum reſplanè laudabilis erat, cuius videl. nomine S. Stephanus Moſen laudare voluit. Qua de re ipſum nunc Caluinũ audiemus, vt ſuam ipſe penitus inſulſam comparationem intelligat. *Hoc quidem* (inquit) *quòd inſtitutus fuit Moyſes in omni ſapientia Ægyptiorum, tanquam excellentiæ partem in laude ponit Lucas.* Cur igitur, Caluine, quod in excellentiæ laude ponit Lucas, tu de ſuperſtitioſis cultibus, imò (vt tuis verbis loquar) *de deliris commentis, & prodigioſis abominationibus* eum loqui contendis? Quæ iſthæc tua cum teipſo tam inſana repugnantia? Atqui (inquies) quod hîc dixi, paucis interiectis mitigaui. Audiamus id quale ſit: *Quòd diximus honoris cauſa Lucam hîc de Ægyptiorum doctrina loqui, non ita accipiendum eſt, quaſi nihil in ea vitioſum fuerit. Quum Aſtrologia mirabile Dei opificium non modò in ſtellarum poſitu & tam bene diſtincta varietate, ſed etiam in motu, vi, & arcanis officijs conſideret, ſcientia eſt vtilis ac meritò laudanda. In hac multum ſtudij poſuerũt Ægyptij: ſed non contenti ſimplici naturæ ordine, in multis etiam*

Caluinus à ſeipſo refutatur.

tis etiam ſtultis & ineptis ſpeculationibus vagati ſunt, quemadmodum Chaldæi. Eſto: ſit hoc totum verum. Quid hoc ad Moyſen, aut ad veram illam ac ſolidam ſapientiam Ægyptiorum, cuius nomine Moyſes laudatur? *His* (inquit) *ſuperſtitionibus imbutus fuerit Moyſes, nec ne, incertum eſt.* Itáne verò Caluine? tu id in dubio ponis, quod ab omni dubio eximit S. Stephanus? *Eruditus* (inquit) *Moſes eſt in omni ſapientia Ægyptiorum.* Tu contrà: Imbutus fortè erat ſuperſtitionibus Ægyptiorum. Nónne bellus interpres Caluinus eſt? Simpliciter Moſen laudat Stephanus: at illud in vituperij ſuſpicionem vocare vult Caluinus. Quid ni ergo, quando addit Stephanus, *Erat potens in verbis & operibus ſuis*, addis tu quoque Caluine, Erat fortè improbus, ſuperbus, & crudelis in verbis & operibus ſuis? quia in aula Pharaonis, in qua educatus fuit, non ſecus talia vitia regnaſſe meritò ſuſpicari poſſumus, quàm in ſapientia Ægyptiorum ſtultas & ineptas ſpeculationes admixtas fuiſſe tu ſuſpicaris. Ita ratio à Caluino inuenta eſt qua quoslibet in Scripturis laudatos in vituperium & contemptum pertrahere liceat. Atqui non in ſuperſtitionibus, ſi quæ erant, ſed *in ſapientia Ægyptiorum eruditum fuiſſe Moſen* Scriptura dicit, Quod illa ergo dicit, tenemus & credimus: quod ſuis ſuſpicionibus ad denigrandũ ſanctum Moyſen colligit Caluinus, explodimus &

Caluinus B. Stephano contradicit.

mus & execramur. Tandem & illud repetimus, quod nuper diximus, cõparationem odiosam, qualis ista Caluini est, ex certa & euidenti paritate, non ex incerta, colligendam esse. Nunc verò vt adhuc alio nomine quàm insulsa, addo etiam impia, hæc Caluini collectio sit, lector intelligat: age, demus ei in hac sapientia Ægyptiorum multas etiam admixtas fuisse *stultas & impias speculationes*, quas postea *delira commenta & prodigiosas abominationes* vocat. Ergóne sequitur in mysterijs Christianorum, in Missa, & alijs ritibus, huiusmodi delira commẽta & prodigiosas abominationes contineri? An ista consequentia vllam probabilitatem habet? Age ergo. *Diabolus* (vt verbis Tertulliani vtar) *res Sacramentorum idolorum mysterijs æmulatur. Tingit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos. Signat in frontibus milites suos. Celebrat panis oblationem. Habet & virgines, habet & continentes. Denique in Romanis illis sacerdotalibus officijs, insignibus, & priuilegijs, morositatem Iudææ imitatus est.* Hæc ille. An verò propterea cum Caluino baptismum ipsum ac cœnam Domini prodigiosas esse abominationes & delira commenta dicemus, quia talia cæca gentilitas æmulabatur, sicuti propter Ægyptiorum in mystica sua Theologia stultas superstitiones, nostrarum quoque ceremoniarum mysticas interpretationes stultæ superstitionis redarguit? Audiat ergo

In lib. de Præscription.

adhuc

adhuc semel eundem alibi Tertullianum: *Omnia aduersus veritatẽ de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem spiritibus erroris. Ab ijs adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ exorta, ab ijs quædam etiam fabulæ immissæ, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis. Itaque & ridemur Deum prædicantes iudicaturum. Sic enim & Poëtæ & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, perinde decacchinamur. Sic enim & Periphlegeton apud mortuos amnis est. Et si Paradisum nominemus, Elysij campi fidem occupauerunt.* Hæc ille. Non est ergo quòd Caluinus existimet, ex mystica Ægyptiorum Theologia futili atque inani, Christianorum mysteria, sacrificia, ceremonias, ritus se posse explodere, nisi eadem dementia omnia etiam nobis Sacramẽta, Dei quoque iudicium, cælum atque infernum eripere velit. Denique ad maiorem Caluini confusionem, ipsum Caluinum Caluino opponimus, qui sic alibi scribit: *Vnius fidei eiusq; confessionis necessitatem quum optimus Pater Deus prouideret, certa pietatis exercitia instituit ab initio seruis suis; quæ postea Satan ad impios & superstitiosos cultus transferendo, multis modis deprauat ac corrumpit. Hinc illæ Gentilium imitationes in sua sacra, & cæteri degeneres ritus: qui tametsi erroris erant & superstitionis pleni, indicio tamen ipsi quoque simul erant, non posse in professione religionis homines externis huiusmodi signis carere.* Hæc ille. Debuit igitur etiam in repręsenti

In Apologet. c. 47.

Caluinus ex seipso refutatur. Institut. lib. 4 cap. 14. num. 19.

aduertere Caluinus, superstitiones Ægyptiorum in mystica ipsorum Theologia, indicio potiùs esse, in veræ religionis cultu mysticas esse externorum rituum intelligentias, quas vt in tam multis alijs æmulatur Satan, quàm alicui argumento, explodendas esse has nostras propter illas gentilitias. Sed frequens hoc ac solemne Caluino est, ex gentilitiarum superstitionũ comparatione cultus & ceremonias Christianorum in inuidiam vocare, & deridendas exponere: quod idcirco paulò pressiùs vrgere hoc loco voluimnã latiùs olim cõtra Chemnitium hac de re disputauimus.

In princip. fid. lib. 12. c. 14.

Breuiter tamen quæ in Caluino sequuntur audiemus, ne aliquid consideratione dignum prætermisisse videamur. *Gregarij* (inquit) *Sacerdotes ad illam vsque altitudinem non ascendunt.* Nec gregarij Ministri in Ecclesijs Caluinianis ad illam D. Caluini altitudinem ascẽdunt, vt possint de magnis ipsorum mysterijs, portentosis dogmatibus, & fœdissimis repugnantijs rationem reddere. Satis habent magistrorum suorum dictata repetere. Pergit Caluinus: *Sed qui volunt inter eos haberi magis perspicaces, nullum quantumuis puerilem aut ludicrum ritum omittunt, cui non affingunt spirituale aliquod mysterium: & extat in ea re farrago quam Rationale diuinorum officiorum vocant.* Ita planè inter Caluinistas qui volunt haberi magis perspicaces, puri puti

Euan-

Euangelici, nullũ quantumuis horrendum & detestabile Caluini dogma omittunt, quod non aliquo honesto tuco contegant, & tanquam ipsissimam veritatem cælitus emissam pertinacissimè tueantur. Extant in hanc rem luculẽtæ Theodori Bezæ præfationes in opuscula Caluini in Iosue & in nouum Testamentum, vbi Caluini sui doctrinam ita per omnia diuinæ veritati consona deprædicat, vt *omnia eius scripta sine nævis repurgata* defendat, vt eum *nusquam in doctrina peccasse, nusquam variè atque imprudenter scripsisse, nusquam adretractandum quicquam à se dictum adduci potuisse* affirmet. Quod postremum vt verum esse concedo, ita reliqua omnia futilissimæ vanitatis & mendacij plena esse, hæc ipsa Antidota nostra luculenter docuerunt, luculentiùs vsque & vsq; docebunt.

43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Remphã, figuras quas fecistis adorare eas.*

SOlent horum temporum hæretici quicquid contra idola in vniuersa Scriptura dicitur, id totum cõtra Diuorũ imagines, quas Ecclesia veneratur Catholica, impiè & impudenter detorquere. Hanc impudentem impietatem vel ex hoc capite retũdunt Catholici, quod lõgè aliud sint idola Gentium, quàm imagines Christianorum; quæ qui con-

Imaginũ cultus ab idololatria latissimè differt.

qui confundunt, anathemate percutiuntur in Nicæna Synodo 2. Actione 5. & 7. Vocabulorum quoq; proprietatem diuersam, rerum diuersitatē luculentam docere ostendūt: quum idololatria τῶν εἰδώλων idolorum
2. Cor. 8. cultus sit, *idolum autem nihil esse* Apostolus affirmat, quia nullius rei vera repræsentatio
Rom. 1. est, sed (vt alibi idolum vocat) *mendacium*. Imagines autem quas venerantur Catholici, εἰκόνες, χαρακτῆρες, ὁμοιώσεις, vocantur, quę rerum verè existentium similitudines veræ sunt, vt eas definit Gregorius Nazianzenus Theolog. lib. 4. Hanc Catholicorum distinctionem ex hoc loco conuellere se posse, existimauit Caluinus. *Nomen*, inquit, *imaginis quod est apud Prophetam, per se nihil vitij significat. Nomen etiam τυπος apud Græcos in bonam partem accipitur: τυποι enim appellantur omnes ceremoniæ quas Deus instituit. Damnat tamen nominatim Propheta τυπους à Iudæis confictos. Cur istud, nisi quia Deus sub visibili & externa forma coli non vult?* Hæc quidem ille. Sed turpiter lectorem fallit. Non enim ideo damnantur Iudæi, quòd figuras & τυπους aliquo modo venerarentur, sed partim quòd eas adorarent & cultu diuino afficerent (vnde hîc Stephanus, *quas*, inquit, *fecistis adorare eas*) partim quòd istæ figuræ & τυποι stellas figurarent nulla veneratione dignas, & à quaDeut. 4. 19. rum cultu cauēdo Moyses Iudæos expressè in lege præmonuerat. Posteriorem hanc exceptio-

ceptionem aduertit Caluinus, & ei occurrere conatur. *Si quis*, inquit, *excipiat mentionem hic fieri de syderibus, verum quidem est: sed in hoc tantùm insistendum est, Prophetã, quãuis honestum nomen idolis concedat, vitiosum tamen cultum acriter & seuerè damnare. Quo refutatur inepta & puerilis Papistarũ cauillatio: Imagines & statuas quas adorant, quia negant esse idola, cultum in quo insaniunt,* εικονοδουλειαν *esse dicunt, non autem* ειδωλοδουλειαν. *Quum sophisticè Deo illudant, nemo communi tantùm sensu præditus non videt in talibus ineptijs plusquam esse ridiculos: quum hic simpliciter damnentur typi quos sibi ipsis homines fabricant ad quamlibet adorationem.* Hæc ille. Sed Caluinus certè non quidem sophisticè, vbi aliquâ probabilitatis specie veritas eluditur, verùm aperta impudẽtia lectori illudit, quando à Propheta *simpliciter damnari typos, quos sibi homines fabricant ad quamlibet adorationem*, concludit. Quis enim non videt apertissimè loqui Prophetã non simpliciter de quibuslibet typis, aut figuris, aut imaginibus, nec de qualibet adoratione, sed de *typis Moloch & Rempham*, id est, de figuris Moloch (quod fuit idolum Ammonitarum, & stella quæ Iupiter dicitur) & Rempham, quæ fuit stella Lucifer dicta, vt Beda hoc loco & Lyranus tradunt, & de adoratione quæ propriè diuinum cultum significat? Sic enim dicit Stephanus, *Sydus Dei vestri Rempham*: id est, quem coluistis vt Deum. Est igitur

Caluinus non Sophista, sed aperte impudẽs.

Caluinus

Caluini incredibilis impudentia, qui propter vocabulum *typi* seu *figuræ* rebus nulla veneratione dignis accommodatum meritò damnatum, idem vocabulum Christo & Sanctis eius accommodatum damnatione dignum concludit. Non est igitur (vt Caluinus garrit) in hoc insistendum, quòd ipsis idolis honestũ vocabulum Propheta concedat, quasi honestum imaginis aut typi vocabulum in nullo sensu cultum legittimum significare possit; sed in hoc insistendum est, quòd quemadmodum honestum vocabulum typi, tametsi idolis hoc loco tribuatur, in alijs tamen scripturis (vt Caluinus hîc agnoscit) cæremonijs legalibus ad Dei cultum pertinentibus rectissimè tribuitur; sic idem vocabulum Christi & Sanctorũ imaginibus vera veneratione dignis tribui potest, tametsi hîc à Propheta idolo tribuatur, idq; respectu eius quod vitiosè significat & figurat; ratione, inquam, obiecti vitiosi, multoq; magis cultus vitiosi circa tale obiectum, non simpliciter & absolutè, vt Caluinus vult.

48. *Sed non excelsius in manufactis habitat.*

HIs verbis quomodo Hæretici abutantur, vt puriorem Dei cultum in templis Deo consecratis hominum animis euellant, & quomodo illis occurrendum, contra varias Caluini corruptelas in Promptuario

ptuario nostro Catholico iam dudũ ostendimus: quę idcirco hoc loco non repetimus. Vide Dominicam 9. post Pentecosten ad illa Christi verba: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Luc. 19.

51. *Dura cervice, & incircunciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri.*

Efficacis gratiæ in ſenſu Caluini refutatio.

COntaminat hunc locũ insigniter Caluinus, vt efficacis gratiæ necessitatem, quæ liberam cooperationem tollit, ex hoc loco euidẽter refutatam stabiliat atque defendat: *Reſiſtere* (inquit) *Spiritui dicuntur, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter reijciunt. Neque enim de arcanis reuelationibus hic agitur quas Deus cuique intus inſpirat, ſed de externo miniſterio: quod diligenter notandum eſt.* Hæc ille. Nempe diligenter hoc notari vult, vt Catholicam doctrinam eludat, quam Concilium Tridentinum his verbis expressit: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, inſpirationem illam homo abijcere poteſt.* Sess. 6. cap. 5. Hæc igitur arcana reuelatio, quam Deus cuique inspirat, abijci ab homine potest, & de ea loqui Stephanum clarius est quàm vt probari necesse sit. Ait enim, *Spiritui Sancto reſtitiſtis.* Opus autem Spiritus S. proprium est intus cõmouere, siue mediãte prædicatione Ecclesiastica, siue absque illa. Sanè in solo externo ministerio nisi Spiritus San-

Spiritui Sancto resistere quid importat.

tus Sanctus cor tangat, Spiritus Sanctus in ipso audiente nihil operatur: vbi autem nihil operatur, ei nec resistitur nec obeditur. Quicumque igitur Spiritui Sancto resistit, non Prophetis tantùm aut prædicationibus, sed operationi alicui ipsius Spiritus Sancti resistit. Deinde hæc resistentia, de qua hîc Stephanus loquitur, ex cordis duritie oriebatur. *Dura*, inquit, *ceruice, incircumcisis cordibus & auribus.* Atqui cordis duritiei circa ea propriè versatur, quibus cor mouetur, tangitur, afficitur. Tales sunt inspirationes internæ: quæ in materia salutis & cultus diuini non nisi à diuino Spiritu promanant. Qui sine vllo motu diuino interno Prophetam contemnit, non resistit propriè & directè Spiritui Sancto, vtpote qui nihil eum mouebat; sed resistit personæ quam audit, aut rationibus fortasse quas adfert, quorum neutrum Spiritus S. est. Nec hoc loco Prophetarum, sed ipsius Dei causam agit Stephanus, cui Iudæos semper restitisse affirmat. *Sicut* (inquit) *patres vestri.* Quorum resistentiam describens Dauid ait: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in deserto,* &c. Deinde, si resistere Spiritui Sancto est tantùm resistere ministerio externo, ergo & obedire vel credere Spiritui Sancto erit tantùm credere vel obedire hominibus & externæ prædicationi. Contrariorum enim eadem est ratio. Hoc autem mo-

tem modo nec qui credit ex fide credet, sed ex humana aliqua persuasione; nec qui resistit, ex perfidia & infidelitate illa positiua, quam vocant, resistet, sed vel aliquo vitio morali, veluti pertinacia quadam; vel certè sine vllo mortali ac nouo peccato; quia non tenetur sub nouo peccato id credere, ad quod credendum præsidium gratiæ non habet, sine quo credere non potest. Sicut enim nemo peccat, id est, nemo nouum peccatum committit, in eo faciendo quod vitare non potest; sic etiam nemo peccat aut nouum peccatum committit in eo omittendo quod præstare non potest. Resistit igitur Spiritui Sancto, qui eius internis motibus resistit; sicuti credit Spiritui Sancto, qui eius diuinis motibus obsequitur, suumq; assensum præbet. Quis enim dubitat resistere Deo esse ab eo dissentire, sicuti obtemperare Deo est ei consentire? Verum quidem est, eos omnes qui resistunt Prophetis, resistere Deo, quatenus Dei personam Prophetæ sustinent; sed hæc est resistentia aduersus Deum non nisi materialis, & ex indirecto, vel ex cõsequenti. Nec talis resistẽtia ex duritia cordis semper nascitur, sed ex multis alijs causis nasci potest: ex animi stupiditate, ex negligentia, ex fastu quodam & contemptu. Quæ autem resistentia ex duritia cordis nascitur, necessariò aliquem motum internum ab extrinseco in corde factum præsupponit, qui mo-

tus in hoc genere rerum, quas Dei Prophetæ loquuntur, non nisi à Deo esse potest. Sic resistentia Spiritui Sancto, habet pro obiecto ipsos internos motus Spiritus Sancti.

CAP. VIII.

13. *Tunc Simon & ipse credidit, & baptizatus fuit, & adhærebat Philippo. Videns etiam signa & maximas virtutes fieri, stupens admirabatur.*

Fides electorum vnica refutatur.

CALVINISTARVM certissimum axioma est, vnicam esse fidem electorum, quæ semel habita nunquam amittitur; reprobos autem nũquam habere veram fidem, neque vnquam coram Deo iustificari: & super hoc axiomate fundatur certitudo gratiæ & salutis quam à singulis ex fide credendam ponunt. Cæterùm hic locus hoc axioma euertit, vbi Simon reprobus dicitur *credidisse*, & *baptizatus fuisse*, & *Philippo adhæsisse*, id est, perseueranter cum Philippo veluti discipulus cum magistro vixisse, & *Apostolorum miracula admiratus* esse: quod etiã fidei argumentũ est. Increduli enim ea contemnunt & artibus magicis imputant, non admirantur. Denique sicut antea Simon gentem Samariæ suis magijs obstupefecerat vt illi crederẽt; sic nũc veris miraculis Philippi ita obstupefactus & commo-

Simõ magus verã fidem habuit.

commotus est Simon, vt ipse Philippo crederet. Caluinus ergo in omnem partem se vertit vt hunc locum penitus eludat. Primùm ipsam veritatem disertè ponit. *Qui* (inquit) *totam vrbem suis fallacijs infatuauerat, Dei veritatem simul cum alijs recepit*. Obserua quod dicit, *simul cum alijs:* quod sanè Lucas insinuat dicens, *Tunc Simon & ipse credidit*; id est, non solùm multi alij ex vulgo, sed & ipse Simon, qui se priùs pro Deo venditabat, credidit quoque. Ergo sicut alij sincero cordis affectu crediderũt, ita & ipse eodem affectu credidit: alioqui illa coniunctio, *&*, falsa erit; nota quoque emphatica, *ipse*, inanis erit. Si enim verè nõ credidit, sed simulatione vsus est, siue crassa, siue quacumque alia, profectò non credidit *simul cum alijs*, in quibus nulla erat simulatio: neque emphasis illa locum habet, *& ipse Simon*, quia hic Simon verè & ex animo non credidit. Sic ipsa verborum vis luculenter probat Simonem verè & ex animo credidisse. Pergamus nunc cum Caluino: *Qui summam Dei virtutem se esse iactauerat, Christo se submittit*. Attende rursum quod dicit. Qui enim simulat se credere, Christo se non submittit, sed simulat se submittere. Ita rursum veritatem profitetur. Addit adhuc: *Quanquam non tam sua vnius quàm totius gentis causa illuminatus fuit in Euangelij notitiam, vt scandalum tolleretur quod imperitos morari poterat*. Obserua iam tertiò

Simonem verè credidisse ex Caluino probatur.

etiam causam grauissimã à Caluino afferri cur Simonẽ credere Deus voluerit, nimirũ vt ad tanti magi conuersionẽ facilior & felicior esset Euangelij cursus. Fuit ergo vera huius magi conuersio, & vera illuminatio. Pergit adhuc: *Atque huc pertinet quod postea dicit Lucas miratum fuisse signa. Voluit enim Dominus hunc, quem pro semideo habebant Samaritæ, in triumpho ducere. Quod fit, dum excussa inani iactantia, veris miraculis gloriam dare cogitur.* Quo vno vltimo verbo totã veritatem, quam hactenus asseruit, impostor intoxicat. Non enim Simon *cogitur* dare gloriã veris miraculis, nec ex intellectu conuicto illa signa Philippi miratus est, sed quia *& ipse credidit* (ait Lucas) & quia *illuminatus* (ait ipse Caluinus) *Christo se submisit.* At ex hoc vno verbo statim prosequitur: *Neque enim sincero cordis affectu Christo se tradit.* Et quomodo hoc probat Caluinus? *Alioqui* (inquit) *non statim erumpet peruersa eius ambitio, & donorum Spiritus impia & profana æstimatio.* Atqui hoc est in disputatione principium petere. Vult probare nõ fuisse in Simone veram fidem, quia fides illa constans & perpetua nõ fuit: id est, quia (quod ille ponit) vera fides amitti non potest. Sic vt loci ac textus euidentiã eludat, ex suo solo principio eludit, non aliquo iusto argumẽto. Quæritur nẽpe an fides semel accepta amitti non possit. Probamus nos Catholici posse amitti exemplo Simonis, qui

Caluinus in disputando principiũ petit.

nis, qui semel credidit, posteaque à fide excidit. Respondet Caluinus: Non verè credidit, quia à fide excidit. Hoc est dicere: Probatio vestra non est vera, nec Scriptura propriè loquitur, quia mea sententia est vera. Sic apertè principium petit.

Sed vide nunc Caluini maiorem impostu-ram. Si ex sincero cordis affectu Simon non credidit, ergo ex simulato affectu credere se finxit; ergo falsa erunt omnia quæ iuxta diserta Lucæ verba ipsemet Caluinus ait ea dixit. Sed vafer hæreticus vide quomodo elabi conetur. *Neque tamen*, inquit, *rectè sentiunt qui simulasse duntaxat fidem putat, quum minimè crederet. Apertè enim Lucas testatur eum credere.* Ecce improbat ipsemet hanc euasionem. Quid ergo? an veritati manus dabit? minimè. Statim in persona suorum sic obijcit: *Quomodo igitur se paulò post hypocritam esse prodet?* Id est, si non simulata sed vera fides Simonis erat, quomodo ab ea postea excidit, quod nos tecum & tu nobiscum fieri non posse affirmamus? Ad hoc respondet. *Respondeo* (inquit:) *inter fidem & meram simulationem aliquod est medium.* Audiamus quomodo hoc doceat. *Epicurei* (inquit) *& Lucianici credere se profitentur, quum tamen intus rideant, quum illis fabulosa sit spes vitæ æternæ, quum denique nihilo plus habeant pietatis, quam canes ac porci. At multi sunt qui vtcumque Spiritu adoptionis non sint regeniti, nec vero cordis affectu se*

Caluini vafrities.

Medium inter fidē & simulationem à Caluino inuētum.

Deo addicant, verbi tamen potentia victi, nõ modo verũ esse agnoscunt quod docetur, sed tãguntur Dei timore vt doctrinam recipiant. Concipiunt enim Deum esse audiendum, illum & salutis authorem esse, & mundi iudicem. Non ergo fingunt coram hominibus fidẽ quæ nulla sit, sed credere se putant. Atque hæc fides tẽporaria est, cuius meminit Christus Marc. 4. 16. Talis fuit Simonis fides. Sentit veram Euangelij doctrinam, & conscientiæ suæ sensu ad eam recipiendam cogitur: sed deest fundamentũ, hoc est, sui abnegatio: vnde sequitur animum eius simulatione fuisse inuolutum, quam mox prodit. Verùm talem fuisse hypocrisin sciamus in qua se ipse deceperit, non crassam illam qua se venditãt Epicurei & similes. Hæc ille. Tota eius speculatio nihil eum iuuat, sed cõtra eum apertè concludit. Resoluit enim animum Simonis *simulatione fuisse inuolutum*, tametsi non crassa illa qualis Epicureorum est. Ergo nõ statuit inter fidẽ & simulationẽ aliquod medium, sed in ipsa simulatione fidei gradus tantùm ponit, vt vna crassior sit, altera mollior.

Medij eiusdem aperta refutatio.

Rursum, falsò reprehendit eos qui Simonem simulasse dumtaxat fidem putant, quũ minimè crederet. Iam enim ipse idem affirmat, cõcludens *animum Simonis simulatione fuisse inuolutum, qua se ipse deceperit*. Si ergo simulauit, & sua simulatione se ipsum decepit, putans se credere quum verè non crederet, falsa erunt hæc omnia quæ Scriptura dicit: *Tunc Simon & ipse credidit, & perseverabat in*

bat in doctrina Philippi. Sed hæc veriſsima ſunt, & decepit ſe ipſum Caluinus. Omnes ſanè falli poſſunt tam de ſe ipſis quàm de alijs quo ad verum fidei donum. Sed Scriptura falli non poteſt, quæ dixit *Simonem credidiſſe*, ſicut homines falli poſſunt, exiſtimãtes vel ſe ipſos vel alios credere, qui verè non credunt, ſed putant ſe credere. Deinde ſi Simon *conſcientiæ ſuæ ſenſu ad doctrinam Euangelij recipiẽdam cogitur*, quæro à Caluino, hic *conſcientiæ ſenſus* in Simone vnde ortum accepit, niſi à ſola Dei gratia cor eius & cõſcientiam mouente? Neque enim intellectus Simonis Angelicus erat, vt ex rerum diuinarum euidenti ſcientia cogi & conuinci poſsit. Fuit ergo ille ſenſus conſcientiæ ſupernaturalis gratiæ effectus, & veri nominis fides qua credidit Philippo: tametſi cum illa fide perfectionis fundamentum & vera Dei dilectio ſuiſque abnegatio coniuncta fortaſſe non eſſet: quamquam & illa adeſſe potuit, poſteaque amitti.

14 *Miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.*

SVum hîc venenum aſpergit Caluinus: *Quod narrat Lucas miſſum à reliquis Petrum fuiſſe, hinc colligi poteſt, non exercuiſſe in collegas imperium, ſed ita excelluiſſe inter eos, vt tamen corpori ſubeſſet ac pareret.* Reſponde breuiter, nec imperium in collegas Petrum aut ſucceſſores eius, ſed legittimam authoritatem exercere;

Petrus quomodo ab alijs miſſus.

exercere; nec ideo Petrum corpori magis subiectum fuisse quia ab illo missus fuerat, quàm aut Filius Dei Patri, aut Spiritus S. Patri ac Filio subiectus dici potest, quia à Patre Filius, & ab vtroque Spiritus Sanctus in hunc mundum missus est: neutra missio vel ab imperio quasi à maiore, neque à consilio quasi à sapientiore, sed vtraque à communi & mutua voluntate profecta est. Hac de re alio in loco plura disputauimus.

In princip. fidei lib. 6 cap. 14.

15. *Qui cùm venissent, (Petrus & Ioannes) orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctũ. 16. Nondũ enim in quenquã illorum venerat, sed baptizati tantũ erant in nomine Domini Iesu. 17. Tũc imponebãt manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Sacramẽtum confirmationis latè astruitur & defenditur.

DEscribitur his verbis alterum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum à baptismo distinctum, quod ab effectu quidem *confirmatio* vocatur, vt in epist Melchiadis Papæ ante annos 1200. in Concil. Aureliano can. 3. ab Eusebio Emisseno in sermon. de Pentecoste, à Diuo Bernardo in vita S. Malachiæ, & à posterioribus Concilijs ac Patribus omnibus. Vocabulo tamen æquiualenti veteres omnes vsi sunt. Nam à B. Cypriano in Epistol. ad Iubaianum vocatur *Signaculum Dominicum cõsummans*: ab Ambros. de Sacram. lib. 3. cap. 2. *Spirituale signaculum perficiens*: à Dionysio Areopag. Eccles. Hierarch.

rarch. cap. 4. part. 3. *Inunctio consummans*. A materia vocatur creberrimè *Sacramentum Chrismatis* siue vnctionis, cuius rei postea testimonia proferentur. A forma autem qua Apostolos vsos fuisse hîc Lucas commemorat, vocatur *Impositio manuum*. De hoc Sacramento ab Apostolis hîc administrato, & per totam Ecclesiam postea vsurpato, luculentos testes vetustissimos Patres habemus. Cyprianus in epistola ad Iubaianũ ita scribit: *Illos qui baptizati erant à Philippo, baptizari vltrà non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita, inuocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico, sacri videlicet chrismatis, consignentur.* Hæc ille. Cyprianus. Tantundem & Augustinus: *Orabant Apostoli vt veniret Spiritus Sanctus in eos quibus manus imponebant: quem morem etiam in suis præpositis seruat Ecclesia, quando scilicet oleo visibili baptizatos vngit.* De Trinit. lib. 15. cap. 26. Idẽ attestatur B. Hieronymus: *Non abnuo hanc Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Spiritus Sancti manum impositurus excurrat, cuius exemplum in Actis Apostolorum habes.* Hæc ille. In Dialogo aduersus Luciferianos. Hi igitur Patres, & tota illorum

rum temporum Ecclesia, hoc factum Apostolorum ita acceperunt, vt Sacramentum quoddam à baptismo distinctum dari intelligerent, quo ipse daretur Spiritus Sanctus; id est, aliquod nouum & singulare donum Spiritus Sancti. Nam in ipso baptismo dari Spiritum Sanctum, quum sit *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti*, nemo dubitare potest. Hoc nouum donum intellexit semper Ecclesia esse donum *confirmationis* seu perfectionis, quo cõfirmatur Christianus, & perficitur, vnde & nomen accepit. *In baptismo* (ait S. Melchiades Papa) *regeneramur ad vitam: in confirmatione armamur ad pugnam.* Sic Eusebius Emissenus: *Spiritus sanctus in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Sic Augustinus in præfatione secundæ concionis in Psalm. 26. *hac vnctione spiritualiter homines perfici* dicit. Sic Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. cap. 17. Hist. Eccles. narrat Ioannem Euangelistam prædonem quendam ad Christum conuersum primùm *baptismo illuminasse*, postea *sigillo Dominico, tanquam perfecta tutaque animi eius custodia, obsignasse.* Hinc denique à Patribus suprà citatis vocatur *Sacramentum consummans atque perficiens.* Hunc effectum Christus Apostolis promisit & dedit in die Pentecostes pariter cum externis donis linguarum. *Manete* (inquit) *in ciuitate donec induamini*

Tit. 3.

In Epist. ad Episcopos Hisp.

virtute

virtute ex alto. Antea baptizati fuerant; sed accipere Spiritum Sanctũ dicuntur, quando induuntur virtute & noua fortitudine ex alto.

Totum hunc locum hæretici hodie, quia Sacramentum confirmationis negant, impiè contaminant. *Lucas hîc* (ait Caluinus) *non de communi Spiritus sancti gratia loquitur, qua nos sibi Deus in filios regenerat, sed de singularibus illis donis quibus Dominus initio Euangelij quosdam esse præditos voluit, ad ornandum Christi regnũ.* Hæc ille. Et paulò pòst: *Hoc extraordinarium erat, conferre quibusdam Spiritus dona, quæ regnum Christi & Euangelium illustrarent. Hic enim erat illorum vsus, vt quisque pro facultatis suæ modo Ecclesiæ prodesset.* Sic rursum in Institut. sua. *Visibiles* (inquit) *illas & admirabiles Spiritus Sancti gratias, quas tunc in populum effundebat, voluit Dominus à suis Apostolis per manuum impositionem administrari & distribui. Sed iam cessarunt illa virtutum miracula & manifestæ operationes, quæ per manuum impositionem non nisi ad tempus esse debuerunt.* Hæc ille. Sic totum quod hîc de Spiritu Sancto dicitur, de solis externis & visibilibus donis intelligi oportere pertinacissimè tuetur tã ipse, quàm cæteri omnes horum tẽporum hæretici. Sed euidenti argumento hæc euasio refellitur. Nempe illa visibilia dona nunquam dabantur sine interna gratia Spiritus Sancti, cuius interni doni hæc externa dona, symbola

Lib. 4. cap. 19. num. 6.

Spiritus S. dona visibilia cum inuisibili gratia coniuncta fuerunt.

bola ac testimonia erant. Alioqui symbol fallacia, ac signa mendacia & testimoni falsa fuissent. Quum Apostoli in die Pen-
Luc.24. tecostes hæc dona acciperent, simul *induebantur virtute ex alto*, non solùm vt loqueren-
Act.2. tur linguis, sed *vt loquerentur linguis magnalia Dei*: nec solùm magnalia Dei ad ædificationem Ecclesiæ (vt fingit Caluinus) sed *vt cum*
Act.4. *fiducia loquerentur verbum Dei: & vt virtute magna redderent testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*: idque adeò, vt eorum constantiam admirarentur Scribæ & Sacerdotes. Hæc virtus magna, fiducia, constantia, ex nouo diuinæ charitatis augmento processit, quod Apostoli in specie linguarũ & ignis acceperunt; illi verò per orationem & manuũ impositionẽ alijs iam baptizatis contulerunt. Sic Spiritum Sanctum ab Apostolis datum S. August. sanior Caluino interpres varijs in locis exposuit. *Non am-*

De baptismo cõtra Donatist. lib. 3. cap. 16. *plius*, inquit, *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò dabatur Spiritus sanctus sicut antea dabatur, ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc expectet, vt, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculũ pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Dei qui datus est nobis.* Rursum alio in lo-

co: *Num-*

co: *Numquid modò, quibus imponitur manus vt accipiant Spiritum Sanctum, hîc expectatur vt linguis loquantur? Si ergo per hæc miracula modò testimonium præsentiæ Spiritus Sancti non fit, vnde cognoscit quisque se accepisse Spiritum Sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.* Tract. 6. in Epist. Ioan.

Ecce donum linguarum non erat Spiritus Sanctus qui dabatur per impositionem manuum, sed erat testimonium præsentiæ Spiritus Sancti. Sed & iterum alio in loco, postquam dixisset, *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut ipse baptismus est*, addit: *Discerne visibile sanctum Sacramentum quod esse potest in bonis & in malis, ab inuisibili vnctione charitatis quæ propriè bonorũ est.* Contra Petiliam. lib. 2. cap. 104.

Hoc igitur donũ inuisibilis charitatis est ille Spiritus S. seu illud peculiare donũ Spiritus S. quoad eius augmẽtũ & plenitudinẽ, quod per impositionẽ manuũ dabant Apostoli, & dat Ecclesia.

Addit adhuc hoc loco Caluinus aliam diuinæ Scripturæ corruptelam. *In hunc*, inquit, *modum intelligi debent Ioannis verba, discipulis nondum fuisse datũ Spiritum Sanctum quum adhuc Christus in mundo ageret. Ioann. 7. 39. Non quòd Spiritu prorsus vacui illi essent, sed quia nondum pollebant eximijs donis in quibus postea amplior refulsit Christi gloria.* Hæc ille: vt nõ nisi de visibilibus illis donis linguarũ, prophetiæ, &c. Spiritus Sanctus intelligi debeat qui Christo glorificato credentibus

datus

Caluinus sibi ex diametro cõtrarius.

datus erat. Atqui hanc corruptelam, quam in erroris sui subsidium huc accersere voluit Caluinus, ipsemet Caluinus refutabit. Nam in commentarijs suis in Ioannem ad illa Ioann. verba cap. 7. v. 39. *Nondum erat Spiritus datus*, &c. hunc in modum scribit: *Superest vna quæstio, num hîc visibiles Spiritus gratias, an verò regenerationem intelligat Euangelista, quæ adoptionis est fructus. Respondeo, in donis illis visibilibus tanquam in speculis Spiritum apparuisse, qui aduentu Christi promissus fuerat: propriè tamen hîc agi de virtute Spiritus qua renascimur in Christo, ac efficimur nouæ creaturæ.* Hæc ille. Rursum intrà cap. 11. ver. 16. illa Christi verba à Petro repetita, *Baptizabimini Spiritu Sancto*, sic exponit: *Christus sub nomine Spiritus non modò linguarum donum & similia designauit, sed totã renouationis nostræ gratiam.* Videmus hîc quanti interfit, mendacem esse memorem. Caluinus magister mẽdax, si quis alius, dũ ipsa Euãgelistæ verba pertractat, *Nondum erat Spiritus datus*, &c. ingenuè affirmat propriè illic agi de virtute Spiritus qua renascimur in Christo, &c. At, prorsus immemor eorum quæ illic docuerat, nunc super Acta, vt Spiritum Sanctum, qui per impositionem manuum Apostolorum dabatur, ad sola dona visibilia restringat, idem Euangelistæ dictum, non iam de Spiritu Dei intus operante, sed de visibilibus istis donis intelligi vult. Atqui illum

Euan-

Euãgeliſtæ locum nec de viſibilibus donis, nec propriè de gratia regenerationis, quæ eſt adoptionis noſtræ fructus in ſenſu Caluini, ſed de varijs & ampliſsimis gratiæ donis ad vitæ nouitatẽ ac ſanctitatem conferendis intelligi oportere iam antea docuimus. Quare ille locus ad præſentis loci corruptelam Caluinum iuuare non poteſt. Imò verò ſi rectè aduertimus, hic planè locus Caluini errorem iugulat. Si enim Spiritus ſanctus, qui per impoſitionẽ manuum Apoſtolorũ dabatur, ille Spiritus eſt quem accepturos credentes Chriſtus apud Ioannem cap. 7. ver. 38. promiſit, vt Caluinus hoc loco iudicat, & ipſa veritas eſt; manifeſtè rurſum euincimus, non ſola dona viſibilia, ſed interna diuinæ gratiæ dona (quæ tanquam in ſpeculis in illis viſibilibus apparebant, vt ipſe Caluinus affirmat) Spiritus Sancti nomine hoc loco intelligi oportere. Ita pro veritate inuitus & nolens certauit hoc loco Caluinus.

In Antidotis Euangelicis ad Ioan. cap. 7. ver. 38.

Sed nunc, cur totum hunc locum ita deprauare Caluinus ſtuduerit, aperiẽdum eſt. *Hoc* (inquit) *ideo notandum eſt, quia Papiſtæ, dum fictitiam ſuam confirmationẽ extollere volunt, in hanc ſacrilegam vocem prorumpere non dubitant, ſemichriſtianos eſſe quibus manus nondum fuerunt impoſitæ.* Atqui non Papiſtæ, ſed veteris Eccleſiæ ſanctiſsimi Patres, Cyprianus, Auguſtinus, Ambroſius, & alij ſuprà citati, pro Papiſtis

Papiſtarũ nomine totam Antiquitatẽ criminatur Caluinus.

pistis quoque habēdi sunt; qui nō fictitiam sed ab Apostolis administratā & traditam confirmationem ex hoc loco demonstrant. Nec Patrum sententiā ac nostram alio argumento reuellit Caluinus, quàm eo quod iam explosimus, de solis visibilibus dicta Lucam hîc loqui. Ita scripturæ sensu depraua to, & Patrum expositione reiecta, clamat nebulo, *fictitium esse hoc diuinū Sacramentum* & verbo Dei destitui. *Etiamsi* (inquit) *vetustissimam hanc esse obseruationem, & multorum seculorum consensu firmatam, ostendant Papistæ nihil tamen efficiunt.* Quare, Caluine? *Non è terra* (inquit) *est Sacramentum, sed è cælo: non ex hominibus, sed ex Deo. Deum suæ confirmationis authorem probent oportet, si Sacramentum haberi volunt.* Vide hîc, Lector, solemnem & ordinariam hæreticorum fraudē cum summa impietate coniunctam. Scripturam flagitant qua Sacramentum confirmationis probetur. Adfertur Scriptura, ex vetustissimorum Patrum expositione & tot seculorum praxi atque consensu in hunc sensum accepta. Nouum sensum adfert hæreticus, & vnus contra omnes audiri vult; Scripturam inuertit, deprauat, corrumpit, moxque exclamat, *Non habet testimonium in Scriptura hoc Sacramentum.* Scilicet vt Caluinus peruertit, non habet. Non igitur quæstio iam est an in Scriptura testimonium habeat hoc Sacramētum; sed an Scripturam rectiùs intelligat

Instit. lib. 4. cap. 19. nū. 12.

Hæreticorū hodie fraus impia admodum notanda.

telligat post tot secula Caluinus, quàm tot seculorum vetustissimi Patres. Sic non de Scriptura, sed de hominum inter se authoritate & iudicio quæstio est. Cur autē Caluino credatur, vetustissimis Patribus non credatur, nulla ratio est; nisi quòd suus cuiq; animus pro ratione hæreticis est: quorū sine ratione hæc vox est: Magis vni Caluino credo, quàm Patribus tot seculorum omnibus. Sic enim apud nos Puritani scripserūt, *reprehensioni minùs obnoxiū esse veterum omnium expositiones reijcere, quàm Caluini ac Bezæ de sensu Scripturæ iudicium refugere.* Ita ad omnes quascumque hæreses, ad quælibet noua placita in orbem introducenda, hæc vox insana, rabida, hæretica (vnum enim eligit vt omnes contemnat) viam latissimam aperit. Cæterùm Caluinum in suo sensu insanire, sibiq́ue ipsi contradicere, satis iam supérque cuilibet æquo Lectori patefecimus. Iam verò vocis sacrilegæ, *non nisi semichristianos esse quibus manus nondum fuere impositæ*, authorem proferre debuit mendax magister, vt loco inspecto tota rei veritas eluceseceret. Sed qui malè agit, odit lucem; & in genere accusare, maledicere, mētiri, cuiuis nebuloni in promptu est. Videamus quæ in eo sequuntur: *Omittimus quòd oleum addiderunt manuum impositioni.* At qui istud addiderunt? Sanè ipsi Apostoli, quod viri Apostolici & Apostolorum tēporibus proximi adeò clarè testati

Controuersiarū de religione quæstiones hodiè quales.

Olei inunctio ab Apostolis addita.

rè testati fuerunt, vt ex hac olei materia, *chrismatis* seu vnctionis *vocabulo*, istud Sacramentum frequentissimè nuncupauerint. Dionysius Areopagita his verbis: *Ei qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratus est, aduentum Sancti Spiritus consummans inunctio largitur vnguenti.* Tertullianus hoc modo: *Egressi de baptismo perungimur benedicta vnctione.* Basilius: *Benedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, insuperque ipsum qui baptizatur.* Cyprianus eo antiquior: *Vngi necesse est eum qui baptizatus est, vt accepto chrismate*, hoc est, vnctione, *esse vnctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Augustinus frequenter: *Sacramentum Chrismatis sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Vnctio spiritualis ipse Spiritus S. est, cuius Sacramentum est in vnctione visibili.* Ambrosius: *Superest spirituale signaculum, quia post fontem superest vt perfectio fiat.* Cyrillus Hierosolymitanus in hæc verba: *Sanctum hoc vnguentum est charisma Christi, quod aduentu Spiritus S. per ipsius diuinitatem energiam habet.* Huc aduocari & Concilia possunt antiquissima: *Laodicenum, "Arelatense 2. †Aurelianense, & alia. Sanè Theodoretus Nouatianorum quandam hæresim ex hoc ipso obseruat, quòd sacro chrismate suos non inungerent: quos propterea ad Catholicam redeuntes Patres Laodiceni sancto chrismate inungi iubent. Sed hoc totum sibi hoc loco omittendū cēsuit Caluinus, nisi quòd adhuc

Eccles. Hierar c. 4. par. 3.

In lib. de baptismo.

De Spiritu Sancto, cap. 27.

Epist. 70.

Cōtr. lib. Petilian. lib. 2 cap. cap. 104.

de bapt. cont. Donat. lib. 3. cap. 16.

de Trinit. lib. 15

De Sacrament. lib. 3. cap 2.

Catech. myst. 3.

*Can. 48.

"Can. 17.

†Can. 3.

Hæret. fab. Lib. 3. in Nouato.

Can. 7.

postea

postea aliquem huic sacræ vnctioni dentem caninum infigere decreuit. Sic enim prosequitur paulò pòst, eorum quæ antea dixerat repetitione interiecta: *Verùm accessit execrabilis blasphemia, quòd baptismo dixerunt tantùm peccata remitti, Spiritum regenerationis conferri per putidum illud oleum, quod sine Dei verbo inuehere ausi sunt.* Atqui est hæc ipsius Caluini non solùm execrabilis blasphemia, quòd *sacratissimum chrisma* (sic enim Patres Laodiceni loquuntur) & *benedictam vnctionem* (vt Tertullianus loquitur) siue *Sacramentum chrismatis sacrosanctum* (vt Augustinus sibi loquendum putauit) ore impuro ac putido *oleum putidũ* vocare est ausus; sed præterea calumnia execrabilis, quòd vel hodie Papistas, vel olim vllos veteres Patres in hoc confirmationis Sacramẽto Spiritum regenerationis conferri docuerint. Sed hi sunt Caluini ad Dei verbum commentarij: fœdis ac spurcis mendaciorũ stercoribus, lectoris sui os opplere. Nam neque sine verbo Dei hoc oleum sacrum veteris Ecclesiæ Patres inuexerunt (aliud est hoc Caluini mẽdacium) sed iuxta Dei verbum, ex Apostolica traditione acceptum, illud pro Sacramento agnouerunt.

Can. 48.

Vbi suprà.

Vbi suprà.

Commẽtarij Caluini quid lectori porrigãt.

20. *Pecunia tua tecum sit in perditionē, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri.*

Caluini pruritus.

PRuritus & impetigo Caluiniana, summaque Catholicos reprehendendi libido, eum hîc quiescere non sunt passa. Plenis igitur vnguibus scalpit famam & existimationem tam veterum quàm recentiorum Theologorum, imò & totum clerum Catholicum lacerat, arrodit, mordet. *De Simonia* (inquit) *multum veteres Theologi & Papistæ disputarunt. Sed quod Papistæ Simoniam appellant, cum Simonis facto minimè conuenit. Voluit Simon Spiritus gratiam pecunia emere: Papistæ crimen ad otiosos suos prouentus trahunt.* Sed planè otiosa, friuola, ac purè maledica hæc accusatio est, nisi fortè hæreticorum more ea quæ ignorauit, blasphemauit. Quod Theologi tam veteres quàm recentiores crimen Simoniæ ad beneficia Ecclesiastica trahunt (quæ *otiosos prouentus* Caluinus vocat, quia, nisi simul mordeat, latrare hic canis nō potest) id non propter prouētus ipsos, sed propter officium spirituale huiusmodi prouentibus annexum fecerunt. Duas quippe ob causas beneficia Ecclesiastica sine Simoniæ labe, id est, sine doni spiritualis venditione vel emptione, vendi aut emi non possunt. Primùm, quia institutio Ecclesiastica siue collatio beneficij non potest vendi absque Simoniæ crimine, quum talis institutio sit actus

Beneficia Ecclesiastica siue Simoniæ labe vendi non possunt.

actus spiritualis potestatis ipsi Ecclesiæ diuinitus collatæ, non humanitus acquisitæ. Sic ex parte eius qui beneficium Ecclesiasticum confert, aut in eo instituit Simoniæ crimen, vbi pecuniæ pretium eo nomine interuenit, necessariò committitur. Venditur enim ipsa collatio, non beneficium aut prouentus, qui illius tantùm est qui facit officium. Altera ratio est ab ipsa potestate spirituali, quæ cum beneficio datur, & cui ipsum beneficium necessariò annexum est, quia propter tale officium datur beneficiũ: verbi gratia, potestas baptizandi, Sacramenta administrandi, verbum Dei prædicandi. Vnde si emptio ac venditio interueniat, in illa principaliter venditur officium spirituale, prouentus autem non nisi consequenter. Ita ipsi prouentus in crimen Simoniæ nunquam trahuntur, vt vel ignoranter vel maleuolè affirmat Caluinus, sed ipsa diuini Spiritus gratia & potestas quædam spiritualis in crimen Simoniæ trahitur, quippe quæ cum Simonis facto ad amussim conueniat. Voluit ille *Dei donum pecunia æstimare*, & veluti rem penitus humanã atq; venalem suo dominio per modũ emptionis subijcere. Hoc in illo damnauit Petrus: hoc in beneficiorũ Ecclesiasticorũ venditione & emptione dãnat Ecclesia, & quidem acerrimè damnat, pęnisq; grauissimis subijcit, adeoq; non secus atque infamẽ hæresim execratur.

Simoniæ proprium peccatũ.

Sed quid? An Caluino hæc Ecclesiæ cẽsura ac disciplina displicet? Audiamus quæ in eo sequuntur. *Neque tamen* (inquit) *hæc dicimus, vt flagitia extenuemus, quæ emendis & vendendis beneficijs hodie grassantur in Papatu. Iam per se satis fœdum est hoc scelus, quòd talem in Ecclesia Dei mercatum exercent. Interea verò tenenda est propria Simoniæ definitio, nempe quòd sit impia donorum Spiritus nundinatio, vel aliud simile, dum illis quispiam ad ambitionem vel alias corruptelas abutitur. Quanquam Simonis imitatores omnes esse fatemur, qui malis artibus ad Ecclesiæ regimen aspirant: quod passim hodie nullo pudore fieri videmus, tanquam liceat. Ac secundùm hanc rationem vix in toto Papatu reperietur sacerdos qui non palàm sit Simoniacus: quando nullus illic emergere potest, quin se obliquè insinuet.* Hîc iam apparet quantus hoc loco Caluini pruritus fuerit, quàm acris & fœda impetigo. Primùm doctrinam Catholicorum damnat, quòd Simoniæ crimen nimis latè extenderint. Mox extensum crimen illud toti clero Catholico impingens, eos Simoniacos appellat, & Simoniæ reos pronunciat. *Flagitia*, inquit, *in emendis & vendendis sacerdotijs grassantur in Papatu, & vix ibi reperitur sacerdos qui non sit palàm Simoniacus.* Vide ergo. Quãdo in Papatu vẽduntur sacerdotia, erit crimẽ Simoniacum. Quando crimen Simoniæ definiendum est, venditio sacerdotij ad illud non pertinet, & cum Simonis facto minimè con-

Caluini pruritus aperitur.

mè conuenit. Ita modum inuenit Caluinus quo pruritui suo indulgens, tum doctrinam tum facta Catholicorum vtraque veluti manu scalperet & laceraret. Sed impetiginosus iste Lazarus, dum ab vtraque parte impetere & scalpere cõtendit, vulnus, quod infligere se putauit, nõ duplicauit, sed sanauit. Si enim venditio & emptio beneficiorum crimen Simoniæ non est, qui in Papatu beneficia vendunt aut emunt, Simoniaci non sunt. Si autem tales Simoniaci sunt, profectò factum eorum Simoniæ crimẽ est. Ex vna igitur parte necessariò Caluinus temere & stolidè vngues infixit, & apertè mentitus est. Sed libido scalpendi mentem illi & iudicium eripuit. Sanè in vtroque mentitus & calumniatus est: quum & Simoniæ crimẽ in ipsa beneficiorum emptione & venditione manifestè eluceat; & in toto Papatu vix esse sacerdotẽ, qui non palã sit Simoniacus, fœda sit Caluiniani pruritus scabies, fœda calumnia, mera contumelia, crassum & putidum mendacium: quando nec sacerdotum in Ecclesia Catholica millesimã partem cognoscere Caluinus potuit, nec eorum quos in sua Gallia cognouit, (tametsi illic Simoniaca labes plurimùm grassata dicatur) tantum numerum hac labe infectum fuisse tam maledico calumniatori credendum sit. Vtcumq; autem hæc res se habeat, huic Satanæ & accusatori

Contra Faustum lib. 20. c. 21.

satori fratrum nostrorum cum S. Augustino respõdebimus: *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus. Aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, &, donec emendemus, tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia est luxuria vindentorum:* vel, vt de re præsenti dicamus, alia est auaritia & ambitio Simoniacorum, quam Ecclesia adeò nec probat nec tolerat, vt acerrimè, vbi semel deprehenditur, eam castiget ac puniat.

22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Pœnitentiæ post baptismũ relapsis necessitas.

DVo nos docet hic locus contra horum temporum hæreticos: vnum, lapsis post baptismum secundam quasi tabulam post naufragium & proximum remedium esse, non *recordationem baptismi*, & acceptæ illic remissionis peccatorum, vt vult Caluinus; sed, vt Catholica semper agnouit Ecclesia, pœnitentiæ actionem. Simoni quippe huic post fidem & baptismum ex auaritia & ambitione in magnam cordis nequitiam relapso, nõ hoc proponit Petrus, *vt baptismi memoriam repetat, & hac recordatione animũ armet, vt de peccatorum remissione certus securusq; sit* (quę Caluini doctrina est his verbis tradita: *Quoties lapsi fuerimus, repetenda memoria baptismi est, &*

Instit. lib. 4. cap. 15. num. 3.

est, & hac armandus animus, vt de peccatorum remissione certus securusque sit) sed hoc proponit Petrus, *vt pœnitentiam agat, ac Deum roget, si fortè remittatur ei nequitia cordis sui.* Ita D. Petri doctrina, & Caluini sententia pestilens, à Luthero hausta, ex diametro pugnant. Plura hac de re in Promptuario Catholico diximus, ad quem locum Lectorem remitto. Caluinus in hunc locũ, saltem in collectione Marlorati, (neque enim totus eius in Acta commentarius in manus meas hactenus peruenit) de hac Petri doctrina & pœnitentiæ agendæ præcepto nihil agit. Sed nec Beza quicquam hîc adnotat, aut etiam ex alijs interpretibus Marloratus inseruit, quod tam apertè de pœnitentia agenda doctrinæ quicquam præiudicet. Tacere omnes maluerunt, ne vel sola contradictio animum Lectoris ad loci obseruationem excitaret.

In die Ascens. Domini.

Alterum ex hoc loco doctrinæ caput, perspicuum & euidens est contra fiduciam illam & certitudinem gratiæ, hæreticorum hodie Helenam & vnicè susceptam, quã in electis suis, in quæcumque tandem flagitia prolapsis, vel ad momentum abesse noluntTantum enim abest vt Simoni relapso (quẽ si pro reprobo habuisset Petrus, nunquam eum ad pœnitentiæ actionem & veniam à Deo rogandam hortatus fuisset, aut vllam veniæ spem iniecisset) certam fiduciam

Certitudo gratiæ Caluiniana euertitur.

ciam proponat Petrus, aut certum ſecurũq; de ſalute eſſe iubeat, etiam pœnitentẽ, etiam Deum rogantem, vt contrà peracta pœnitentia, Deoque precibus inuocato, addat *ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Non ſanè quòd rite pœnitenti, Deumque ſuppliciter inuocanti, ſpem veniæ auferat, ſed partim quia illa certa & ſecura perſuaſio diuinæ beneuolentiæ, quam ex ſola fide Chriſtum apprehendente ſtatuit Caluinus, etiam cum pœnitentia & inuocatione coniuncta, Apoſtolo Petro doctrina erat prorſus ignota; partim quia poſt baptiſmum relapſi ſic ſpem veniæ concipere debent, vt illam nõ quaſi certam & indubitatam ex ſolo adoptionis titulo ſibi certitudine fidei polliceantur, ſed ex ſola Dei miſericordia humiliter expectent, *in timore & tremore ſalutem*

Philip. 2. *ſuam operantes*, vt alius nos Apoſtolus docuit. Ideo dixit; *ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Ad hoc membrum Caluinus certitudini ſuæ certiſsimè ſuccumbenti ſibi ſuccurrendum putauit. *Papiſtæ* (inquit) *hoc loco & ſimilibus probare contendunt ſuſpenſis ac dubijs animis precandum eſſe, quia temere certum ſibi ſucceſſum homines promittant*. Non Papiſtæ tantùm, ſed & vetuſtiſsimi atque ſanctiſsimi Eccleſiæ Patres idem colligunt. Ad illa

Ionæ 3. verba apud Ionam Prophetam, *Quis ſcit ſi*

In com. ibidem. *cõuertatur & ignoſcat Deus?* ita ſcribit D. Hieronymus: *Ideo ponitur ambiguum, vt dum homine dubij*

nes dubij sunt de salute, fortiùs agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum. Hæc ille. S. Augustin. eisdem apud Ionam verbis citatis, sic scribit: *De incerto egerunt pœnitentiam, & certam misericordiam inuenerunt.* Sed nunc quid respondeat Caluinus videamus. *Sed facilis,* inquit, *est solutio.* Nam, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι, *idem valet ac si quis dicat, Si quam tibi remittat Deus.* Esto: sit ita: Si quam, si quomodo tibi parcat Deus. An non hæc locutio eandem ambiguitatem notat, quam illa altera, *si fortè?* Sed hanc phrasis Græcæ vim Beza, vt planè ridiculam, silentio prætereundam censuit. Cui enim Græca tenenti ignotum est, illud, εἰ ἄρα, propriè & perpetuò significare, *si fortè?* nulla igitur adhuc solutio data est. Videamus reliqua. *Eam verò Petrus vsurpat non vt perplexũ relinquat animum Simonis, sed vt magis ad vehemẽtiam precandi stimulet. Nam ipsa difficultas non parum ad nos excitandos valet, quia vbi res videtur sub manu esse, nimiùm securi & ignaui sumus. Ergo non incutit Petrus Simoni terrorem qui impetrandi fiduciam euertat in eius corde, vel perturbet; sed spem illi certam faciens si supplex peteret ac ex animo, tantùm excitandi ardoris causa veniam pro sceleris grauitate difficilem esse commemorat. Necesse enim est vt fides nobis in adeundo Deo præluceat. Neque enim hæsitando quicquam à Deo petere licet. Iac. 1. 6.* Tota hæc solutio nulla est, quia tota hęc solutio nec venię incertitudinem tollit, quam

In Psalm. 50. ver. 8.

Petri

Petri verba profitentur: nec veniæ certitudinem & securitatem ponit, quam hæretici saluam esse volunt. Non tollit incertitudinem veniæ, quia ponit & agnoscit difficultatem. *Petrus*, inquit, *excitandi ardoris causa veniam pro sceleris grauitate difficilem esse commemorat.* Rectissimè. Si enim difficilis est venia iuxta sceleris grauitatem, id est, si ipsi sceleris magnitudo difficilem veniam facit; profectò & incerta est à Deo in tali scelere venia. Quæro enim, quare *pro sceleris magnitudine sit difficilis venia*, nisi quòd pro sceleris magnitudine maior est subeunda pœnitentia, Deus instantiùs rogandus, sollicitiùs & ardentiùs venia quærenda est? Ad Deum quod attinet, sicuti eius potentiæ 1 Reg. 14 *non est difficile saluare, vel in multis vel in paucis*, sic nec eius bonitati & misericordiæ difficile est veniam dare, siue in multis siue in paucis criminibus, siue in magnis siue in paruis peccatis. Difficultas ergo veniæ in magnis sceleribus (quam hîc Caluinus agnoscit) ex parte nostra oritur, quòd non debitam pœnitentiam agamus, nec Deum vt oportet inuocemus, *suppliciter* videlicet *& ex animo*, quod hîc quoque fatetur. Atqui tota hæc pœnitentia nostra, totus hic orandi Deum modus à nobis requisitus, & propter sceleris grauitatem necessarius, planè nobis incertus est: vnde fit vt spei firmitas in Scripturis prædicata, ex parte quidem Dei & promissionum

Veniæ incertitudo in Petri verbis ponitur.

sionum eius, qui pœnitentibus veniam promittit, nullam incertitudinem admittat; ex parte autem sperantis hominis, conditionis & dispositionis eius, cum aliqua incertitudine sit coniuncta. Cum aliqua, inquam, non cum omni. Dispositio quippe à nobis requisita, incerta quidem est in sensu hæreticorum, id est, non est ex fide certa, tametsi coniecturalem & moralem certitudinem de pœnitentia legittimè acta, & de Deo suppliciter & ardenter (vt oportet) inuocato, habere omnino possumus, & habent iusti ac pij omnes. Quæ sanè coniecturalis & moralis certitudo omnem perplexitatem animi & hæsitationem tollit, animumque tranquillum & pacatum reddit. Ex hac igitur veniæ difficultate, quæ ex sceleris grauitate nascitur, quam hæc præclara Caluini solutio agnoscit, veniæ (vti diximus) incertitudo non tollitur, sed euidenter & necessariò ponitur.

Incertitudo veniæ quæ & qualis.

Iam verò nec veniæ certitudinem aut securitatem ista solutio ponit qualem hæretici sustinent. *Vbi res* (inquit) *videtur sub manu esse, nimium securi & ignaui sumus.* Vbi duo præclara contra seipsum Caluinus affirmat. Primum, *non esse veniam peccatorum sub manu*, hoc est, nõ esse prorsus nobis paratam, certam, & indubitatam. Sic enim sequitur esse aliquo modo incertam: sic sequitur ex certa (quam ponunt) fiducia & sola fide in Christum,

Securitatem Caluinianam Caluini solutio tollit.

ſtum, hanc veniam non pendere. Paratum enim, certum, & indubitatum eſt quicquid Chriſtus nobis promeruit, & quicquid de eius in nos bonitate ex fide credimus, ſi illa fides vera eſt, & nõ fallax: fidei quippe ſub eſſe falſum non poteſt. Si ergo remiſſa nobis eſſe peccata per Chriſtum certa fide ſtatuendum eſt, & hęc fides ſemel habita amitti non poteſt (quod vtrumque Caluiniſtæ ex ipſorum fide certiſsimum eſt) profecto remiſsio peccatorum ſub manu noſtra eſt, prompta ſemper nobis & indubitanter parata eſt, nec vllam pro ſceleris grauitate difficultatẽ habet. Atqui, vt hæc ſolutio narrat, *illa ſub manu noſtra non eſt, & pro ſcelerum grauitate difficilis eſt.* Sequitur igitur ex hac ſolutione, illam, quam hæretici ponunt, veniæ certitudinem, fiduciam, ac ſecuritatem non ſolùm per illam non poni, non ſtabiliri, non defendi, ſed etiam ex illa penitus euerti atque refutari. Alterum præclarum quod dicit, iſtud eſt, *nimiùm ſecuros & ignauos nos eſſe, ſi venia peccatorum ſub manu noſtra eſſe videretur.* Prorſus enim doctrinæ ſuæ ac ſuorum ſummam impietatem docet, ex ea videlicet nimiùm ſecuros & ignauos homines fieri. Illorum enim doctrina eſt (vt iam explicuimus) veniam peccatorum ſub manu noſtra eſſe, nec vllam pro ſcelerum grauitate difficultatem pati. Ita hæc præclara ſolutio (vti nuper dixi) nec veniæ incerti-

tudinem

tudinem tollit, quã Petri verba disertè profitentur; nec veniæ certitudinem & securitatem ponit, quam hæretici saluam esse volunt: quinimmo eam penitus euertit atque refutat. Denique Petri verba eum Simoni terrorem incutiunt, vt spem quidem veniæ non auferant, fiduciam tamen & certitudinem hæreticorum penitus ei adimant. Necesse quoque est, *vt fides nobis in adeundo Deo prælucear*; quia nemo orat qui non sperat impetrare, & nemo sperat qui non credit. Sic fides Catholica in omni inuocatione necessaria est. *Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? Et accedentem ad Deum oportet credere quia Deus est, & remunerator omnibus inquirentibus se.* Hæc fides in adeundo Deo prælucere debet. Cæterùm hæreticorum hodie specialis fides, fiducia, & certitudo veniæ infallibilis, adeò prælucere nõ debet, vt quem pœnitentiam agere, Deũque rogare Petrus admonet, eidem adijciat: *si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Nec tamen hæsitãdo à Deo veniam petimus (vt hic suam Caluino frigidã suffundit Marloratus) sed cum timore & tremore salutem nostram operamur. Ille *postulat in fide nihil hæsitans*, qui de Dei vel potestate vel bonitate in genere nihil addubitat. Ille verò *hæsitat, & similis est fluctui maris qui à vento mouetur*, qui modò sperat, modò non sperat. Qui autem rectè Deum orat, semper sperat, & hac ex parte

Fides in adeundo Deo præ-lucet. Rom. 10. Hebr. 10. Iacob. 1.

nunquam

nunquam hæsitat. Sed aliud est firmiter spe-
Sup. 1. rare, *& sentire de Domino in bonitate*, aliud certum & securum esse de venia, idque ex sola animi fiducia Christum apprehendente. Quæ
Lib. 9. c. 5 & 11. de re alio in loco latè disputauimus, in opere nostro de Iustificatione.

37. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.*

CAluini peculiare dogma est, baptismū sicut & cœnā Domini (quæ omnia eius sunt Sacramenta) hunc proprium habere effectum, vt Dei beneficia & promissiones in verbo nobis obsignent, veluti appensa quædam diplomati regio sigilla; ideoque proprium eorum vsum esse, vt fidem confir-
Instit. lib. 4 cap. 14. num. 1. ment. Sic enim Sacramentum definit: *Sacramentum est externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientijs nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem.* Hanc sententiam vt Lutherani
In Exam. Cōc. Trident cap. de Sacrament. in vniuersum damnāt, & Martinus Chemnitius inter fanaticorum hominum profanas opiniones recensēt, sic eorum aliqui ex his Philippi ad Eunuchum verbis refutare voluerunt. Neque hoc sibi dissimulandum putauit Caluinus, qui ad hæc verba ita scribit: *Abusi sunt hoc testimonio magni quidam viri* (Lutheranos scriptores dicit) *quum probare vellent fidem nihil habere confirmationis ex baptismo:* (quæ scilicet Caluini propria sententia fuit, & à Caluinistis defenditur.) *Sic enim ratiocina-*

tiocinabantur: Iubetur Eunuchus afferre perfectam fidem ad baptismum: ergo nihil accedere potuit. Quid hîc respondet Caluinus? *Sed* (inquit) *Scriptura totum cor sæpe accipit pro sincero & non fucato, cui opponitur cor duplex. Ita non est quòd perfectè credere imaginemur qui ex toto corde credunt; quando infirma & pusilla fides in eo esse poterit, cui tamen integer erit animus, & omni fictione purus. Sic accipere conuenit, quod Dauid iactat se diligere Deum ex toto corde, Psalm. 119. 10. Philippus certè Samaritanos priùs baptizauerat, quos tamen sciebat longè adhuc à meta distare. Fides ergo totius cordis est, quæ in corde viuas radices habens, ad quotidianos tamen profectus aspirat.* Hæc ille, pro sua contra Lutheranos sententia accuratè depugnans. Quicquid sit de hoc Lutheranorum argumẽto, & Caluini solutione (nam alijs multo fortiùs ac pressiùs Caluini sentẽtia refellitur) militat egregiè hæc Caluini responsio contra aliud tam Caluini quàm Lutheranorum omnium peruersum & impium dogma, quo mandatorum Dei in hac vita impossibilem obseruationem esse eo maximè probare contendunt, quòd Deum ex toto corde diligere nõ possumus, sicuti lex iubet. Quemadmodum enim hoc loco *ex toto corde credere*, iuxta Caluinum, *nihil aliud est, quàm sincero & non fucato corde credere, animoq; integro & omni fictione puro*: sic respõdere Caluino possumus, diligere Deum ex toto corde, nihil aliud esse, quàm sincero

Deum ex totocorde à pijs dilẽgi, Caluinĩ doctrina demonstrat.

& non fucato corde diligere, animoque integro & omni fictione puro Deum amare. Rursum, sicut, iuxta Caluinum, *non est quis perfectè credere imaginemur qui ex toto corde credunt; quando infirma & pusilla fides in eo esse poterit, cui tamen integer erit animus, & omni fictione purus:* sic non est quòd perfectè Deum diligere imaginemur qui ex toto corde Deum diligunt, quando imperfecta in eo charitas esse poterit, cui tamen integer erit animus, ab omni cupiditatis prauæ cõsensu alienus, & omni amore turpi, qui Deo aduersatur, purus. Denique sicuti *fides totius cordis est, quæ in corde viuas radices habens, ad quotidianos profectus aspirat*: sic omnino charitas totius cordis erit, quæ in corde viuas radices habens, ad quotidianos profectus aspirat: *Hæc enim est in hac peregrinatione nostra iustitia* (ait S. Augustinus) *ad illam perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vbi perfecta charitas erit, ipso cursus rectitudine & perfectione tendere.* Sic ad quotidianos in charitate profectus aspirat in hac vita iustus: nec tamen desinit propterea iustus esse, & Deum toto corde diligere; sicut non desinit *toto corde credere*, qui, iuxta Caluinum, *ad quotidianos in fide profectus aspirat.* Hæc iuxta Caluini explicationem contra ipsum concludimus.

In lib. de perfect. iustit.

Quæ vt maiorem adhuc vim habeant, & fortiùs pro veritate valeãt, ex alijs, quę de fidei imperfectione alibi Caluinus disputat,

plura

plura huius generis contra Caluinum concludemus. Disputans Caluinus contra iustitiam bonorum operum quæ in legis obseruatione cõsistit, eam iustitiæ causam aut partẽ nullo modo esse posse hoc argumento vult euincere, quia eam nemo implere potest. *Nemo est* (inquit) *qui legẽ impleat, non tantùm ex vulgo, sed ex perfectissimis quibusque.* At qui idem de vsu & fine Sacramẽtorum disputans, quem eum primarium esse vult, vt fidei nostræ imbecillitatem sustentent, roborent, atque confirment, tantundem de fide pronunciat. *Fidei* (inquit) *perfectionem nemo vnquam ex filijs hominum assecutus est, nemo assequetur in hac vita.* Sic igitur contra Caluinum arguimus: Si nemo ex obseruatione mandatorum iustificari potest, quia legis mandata nemo perfectè implet; ergo nec ex fide quisquam iustificari potest, quia fidei perfectionem nemo habet. Respondebit Caluinista, ex alia Caluini doctrina hoc argumentum facilè refelli, quia quòd fides iustificet, non ipsi vir tuti fidei tribuat, quasi hanc vim ex se ipsa haberet, sed quòd instrumentum tantummodo velutique vas sit ad recipiendam à Christo iustitiam. Sic enim alibi scribit, cõtra Osiandrum disputans: *Quòd obijcit vim iustificandi non inesse fidei ex seipsa, sed qua enus Christum recipit, libenter admitto. Nam si per se, vel intrinseca (vt loquuntur) virtute iustificaret fides, vt est semper debilis &*

Caluini doctrina ex ipso Caluino refutatur.

Institut. lib. 3. cap. 11. num. 17.

Institut. lib. 4. cap. 14. num. 9

Iustifica. ex bonis operibus ex Caluini doctrina probatur.

Instit. lib. 3. cap. 11. num. 7.

imperfecta, non efficeret hoc nisi ex parte. Sic manca esset iustitia, quæ frustulum salutis nobis conferret. Nos quidem nihil tale imaginamur, sed propriè loquendo Deum vnum iustificare dicimus; deinde hoc idem transferimus ad Christum, quia datus est nobis in iustitiam. Fidem verò quasi vasi cõferimus, quia nisi exinaniti ad expetendam Christi gratiam aperto animæ ore accedimus, non sumus Christi capaces. Vnde colligitur, non detrahere nos Christo vim iustificandi, dum prius eum fide recipi docemus quàm illius iustitiam. Et paulò post: *Sicuti olla pecunijs referta hominẽ locupletat, sic fides, etiamsi nullius per se dignitatis sit vel pretij, nos iustificat Christum afferendo.* Hæc Caluinus. Sed tota hæc Caluini euasio (quam ab eo Osiandri disputatio extorsit) atque etiã illa altera Lutheranorum, *quòd fides non sua virtute, sed correlatiuè iustificat*, videlicet ratione obiecti, id est Christi, *quem veluti manus mendica apprehendit*, collectioni nostræ antegressæ nihil præiudicant. Siue enim vt instrumentum recipiens ac veluti olla fictilis, siue vt instrumentum agens ac veluti manus mendica, fides Christum cum omnibus suis bonis apprehẽdit, vt sic solus Christus *nostra sit iustitia* (vt hîc loquitur Caluinus) *materialis*, nobis imputata, mediante hoc fidei instrumento; vtroque modo fides debet esse ex toto corde, & in suo genere perfecta, non manca, debilis, imperfecta. Qui (inquam) credit vt iustificetur, debet ex toto corde credere, debet sine vlla dubita-

Fides iustificans siue in sensu Caluini siue in sensu Lutheri euertitur

dubitatione, hæsitatione, fluctuatione animi firmissimè credere quod credẽdum proponitur. Quæuis vel minima hæsitatio, fidei naturam extinguit. *Postulet in fide* (ait Iacobus) *nihil hæsitans*. Iac. 1.

Est fides firmissimus animi assensus veritati reuelatæ adhibitus: vel, vt in Caluini definitione maneamus, *est diuinæ erga nos beneuolẽtiæ certa firmaque cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum & reuelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur*. Hæc est fidei Caluinianæ definitio. Si certa firmaque cognitio est, eaque per Spiritum sanctum mentibus impressa; nullam dubitationem, nullam hæsitationem admittit. Tota autem fidei imbecillitas in hac dubitatione & hæsitatione consistit, quòd animus humanus in solo verbo Dei audito nõ semper acquiescit, sed visibili quodam verbo, Sacramentorum symbolis, adhuc iudigeat, *ad fidẽ sustentandam & roborandam*, ait Caluinus in Sacramenti definitione. Ad sustentãdam, quia vacillat; ad roborandam, quia ex sua debilitate hæsitat, minusque firmiter apprehendit. Sic imaginariam hanc fidei imbecillitatem definitio fidei Caluinianæ euertit. Inst lib. 3. cap 2. num. 7.

Deinde, quomodo hoc loco fidem semper debilem & incertam pronunciat, si hæc fidei certitudo Caluinistarum electionem confirmat, & salutem totam confert? Nam iuxta eorum sententiam, nisi quis certissimè

credat sibi remitti peccata per Christum, & de numero electorum se esse, nec est electus Dei, nec veniam peccatorum consequitur: Contrà si hoc solum certissimè credat, certissimè ei remittuntur peccata, & certissimè electus Dei est. Hæc sunt Caluinistarum notissima placita. Aut igitur electorum fides certissima & firmissima est, ex nulla vacillatione aut hæsitatione manca & imperfecta; aut Caluinistarum salus & iustitia cum illa imaginaria sua fide speciali & certitudine gratiæ, manca, dubia, suspensa, & imbecillis est. Sic iterum recurrit collectio nostra antegressa. Sicut enim cum fide semper imbecilli, debili, & imperfecta consistit Caluinistarum salus, iustitia, electio; sic absurdum non est cum charitate & obseruatione mandatorum imperfecta consistere veram bonorum operum iustitiam, & veram salutis nostræ causam, vt Catholica docet Ecclesia. Cæterùm tam fides credentium ex parte subiecti, & intellectus credentium, firmissima semper est, & ex toto corde, omni remota dubitatione aut hæsitatione, tametsi intensione ac remissione vel etiam ex parte obiectorum maior ac minor fides esse potest, vt illa Centurionis in Euangelio, & mulieris Chananææ; quorum hæc *magnam fidem habuit*, quia credidit Christum posse non Iudæis tantùm, sed & Gentibus opem ferre; nec præsentes modò, sed & absentes sanare;

Charitas imperfecta non se cus iustificat quàm fides imperfecta.

Matth. 15.

sanare, ille *tantam habuit, quanta in Israel non est inuẽta*, quia credidit Christum solo verbo & absentẽ sanare posse, quum Iudæi vix etiam præsentem, loquentem, manus imponentem, miracula posse operari crederent, (vt in illo Iairo Archisynagogo luculenter apparuit) quàm charitas diligentium Deum sicut oportet ex parte subiecti & voluntatis quæ in Deum fertur, pura semper est, & ex toto corde, omni remota praua cupiditate, aut amore inordinato cui voluntas consentiat; tametsi tam ratione obiecti quod diligitur, quàm voluntatis quæ diligit, magis & minùs vel extenditur vel intenditur iustorum charitas, prout vel plura diligenda occurrunt, vel ea quæ diliguntur intensiùs & feruentiùs ab vno quàm ab alio (quum tamen vterque toto corde purè & sincerè diligat) diligi possunt. Ita non secus fides ex toto corde quàm charitas ex toto corde ad iustitiam necessaria est; nec secus imperfecta charitas quàm imperfecta fides iustificat; quando fides iustificans ab Apostolo definiatur, *fides quæ per dilectionem operatur*. Matth. 8. Luc. 8. Gal. 5.

Iam verò & Caluini olla fictilis, sub qua latitare se posse existimauit, quàm sit res futilis ac fragilis, paucis ostendemus. Si fides veluti olla fictilis est, quæ recipit in se Christum cum omnibus suis bonis, Christus eiusque iustitia non iam credenti imputabitur, sed à credente recipietur. Olla Caluini olla fictilis comminuitur. 1.

Fides recipiens Christum non est fides iusti ficans.

enim thesaurum in ipsa reconditum vere accipit, tenet, & continet. Sic imputatiua explodetur iustitia, & inhærens credenti, tametsi aliena, statuetur. Deinde fides est actio credentis; in olla fictili nihil nisi passio ac receptio est. 2. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei in iustitiam.* Rom. 4. Quid reputatum est in iustitiam? Actus ille & firmus animi assensus quo promittenti *Deo credidit, dans gloriam Deo, & certissimè sciens, quia, quæcumque promisit Deus, potens est & facere.* Actus igitur credentis credentem iustificat, quatenus vna & necessaria causa est ipsius iustificationis. *Credenti in eum qui iustificat impium, fides eius imputatur ad iustitiam.* Quæ fides imputatur? Actus ille fidei quo credidit in eum qui iustificat impium. Hic actus imputatur ad iustitiam; hic actus vna pars & causa iustificationis est; hunc actum Deus acceptat, & ex illo actu impium iustificat, quatenus ille actus ad iustificationem impij inprimis & ante omnia necessarius est. *Vnus est Deus qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Ex fide, & per fidem, quia in omnibus iustificandis fidei actus necessarius est. An ex olla vel per ollam auro & argento plenam homo ditatur, nisi illam ollam prius acceperit, atque possederit? ideoque non per ipsam ollam, sed per eius possessionem atque dominiū ditari dicendus est. * Si igitur fides veluti olla fictilis est, quæ Christū cum

* Fides recipiens Christum cum omnib. bonis suis vanū figmētū.

suis

suis omnibus recipit,& tantũ thesaurũ in se cõtinet;non ex fide aut per fidẽ quisquam iustificabitur, sed ex acceptione & possessione ipsius fidei. Quæritur igitur,quid illud est per quod fidem istam accipimus & possidemus? An aliquid in homine iustificando prius est fide? An non à fide inchoandum est vt iustificemur? Aut ergo nihil prius fide est, cuius adminiculo eam possideamus; aut si aliquid ea prius est,per illud & ex illo iustificabimur, non per fidem, neque ex fide. Tandem,si fides est *olla fictilis nullius per se dignitatis vel pretij* (vt Caluinus affirmat) quomodo toties dixit Christus, *Fides tua te saluũ fecit*;ac nõ potiùs dixit,Fides tua, tametsi nullius pretij,me totum in se recepit, vnde saluus fias? Sed Christus dignitatem, pretium,virtutem fidei commendauit. *Fecit te saluum*. Causa tuæ salutis fides tua est: non quidem vel tota,vel primaria,vel propriè eam efficiens,sed partialis, & inferior, & ad eam obtinẽdam egregiè te disponens. At iuxta Caluinum fides non facit saluum, nec ad eam obtinendam quicquam disponit, sed salutem aliunde datam veluti olla quædam fictilis continet & conseruat. Plura quidem adhuc afferri possent. Sed ex his paucis Caluini olla fictilis satis opinor comminuta & confracta iacet.

CAP. IX.

6. *Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?*

Gratiæ Dei & liberi arbitrij cooperatio docetur.

HOrum temporum interpretes hæretici in hac Pauli conuersione (diuinæ gratiæ exẽplo admirabili) gratiã Dei præuenientẽ & efficacẽ in præposterè deprædicant, vt ex vna clarissima veritate aliam in Scripturis veritatem non minùs perspicuam, & ad asserendam diuini iudicij æquitatem non minùs necessariam, ex gratia (inquam) Dei liberum hominis arbitrium diuinæ gratiæ ad conuersionis effectum perpetuò cooperans, euertere conentur. *Saulus* (ait Caluinus) *qui sponte ruebat contra Christum, nunc mutus ad obsequium cogitur. Nusquam legimus* (ait Brentius) *tanta externa violentia vsum fuisse Dominum in peccatorum conuersione quàm in hac Pauli. Asscribunt quidem Papistæ* (ait iterum Caluinus) *gratiæ Dei conuersionis nostræ laudem: sed ex parte dumtaxat, quia nos cooperari fingunt. At verò cùm carnem nostram mortificat Deus, non aliter nos subigit quàm Paulum, nec pilo vno nobis propensior est ad parendum voluntas quàm Paulo fuit, donec contusa cordis nostri superbia, nos non modò flexibiles, sed ad sequendum voluntarios reddiderit. Tale igitur conversionis nostræ initium est, vt Deus minimè vo-*

Hæreticorum corruptelæ.

mè vocatus aut quæsitus, vagos & errantes vltrò quærat, & præfractos cordis nostri affectus mutet, quo nos sibi dociles habeat. Hæc ille. Vbi statim Marloratus addit: *Aufert enim à nobis cor lapideum, quod natura gerimus; & dat cor carneũ, vt suam illic legem scribere possit.* Ex hoc autem Ezechielis loco colligit alibi Caluinus hunc in modum: *Quis voluntatis humanæ infirmitatem dicet subsidio roborari, quo ad boni electionem efficaciter aspiret, quum transformari renouarique totam oporteat? Si qua est in lapide mollities quæ admiculo tenerior facta flexum quẽlibet recipiat, neque ductile esse cor hominis negabo in recti obedientiam, modò gratiâ Dei, quod in eo imperfectum est, suppleatur. Verùm si hac similitudine ostendere voluit Deus nihil vnquam boni expressum iri à corde nostro nisi penitus aliud fiat, ne inter ipsum & nos partiamur quod sibi vni vendicat. Si lapis in carnem transformatur, quando nos Deus ad recti studium conuertit, aboletur quicquid est contrariæ voluntatis; quid in eius locum succedit, totum à Deo est. Nempe vt vertatur ex mala in bonam, hoc insolidum à Deo fieri affirmo, quia ne ad cogitandum quidem idonei sumus, Apostolo teste; qui & alibi dicit, Deum operari in nobis velle. Vnde facilè colligitur, quicquid boni est in voluntate, id esse vnius gratiæ opus.* Hæc Caluinus. Sed nec hoc cõuersionis exemplum in Paulo, nec ille apud Ezechielem locus, aliæue Scripturæ à Caluino prolatæ, cooperantem gratiæ diuinæ, humanæ voluntatis liberam electionem tollunt.

Ezech. 11. & 36. Instit. lib. 2. cap. 3. num. 6.

2. Cor. 3. Philip. 2.

Violentia in Pauli conuersio æqualis.

tollunt. Verum quidem est, in hac admirabili vnius Pauli conuersione efficacissimam apparere Dei gratiam, & quandam violentiam adhibitam fuisse vt cõuerteretur. Vnde cõtra Donatistas, qui hæreticos à fide relapsos ad fidei vnitatem cogi non posse affirmabant, ab hoc Pauli exemplo S. Augustinus disputat. *Vbi est quod clamare consueuerunt, liberum est credere vel non credere? Cui vim Christus intulit, quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem; prius ferientem, & postea consolantem.* Hæc ille. Cæterùm tota hæc violentia, percussio, coactio, Pauli liberam electionem & liberum pulsanti gratiæ assensum nulla ex parte læsit, sed partim foris eum percussit, vt intus euigilaret; partim animum ipsum atque voluntatem mirabiliter excitauit. Quorum prius his verbis Augustinus tradit: *Dum grassatur Paulus, percutitur; dum Christi sanctos persequitur, violenta radio cælestis luminis cæcatur: & qui aduersus Deũ erigebatur, diuina voce terribiliter prosternitur.* Hæc ille. Nempe *quia vexatio dat intellectum*; & iuxta aliam Scripturã, *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* Hæc autem violentia animum Pauli immediatè non attigit, sed corpus afflixit, vt *in terrã caderet*, vt *cæcitate percuteretur*, vt *tremens ac stupens* semetipsum colligeret, &, quid sibi porrò faciendum esset, seriò cogitaret. Audita igitur

Epist. 50.

De Sãctis serm. 28.

Esai. 28. serm. 31.

igitur Christi voce, *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, posteaque intellecto hanc esse Christi Iesu vocem, quem in suis sanctis tanta rabie persequebatur; his Christi verbis permotus, & interna diuini Spiritus inspiratione pariter excitatus, liberrimum consensum præbens dicit, *Domine, quid me vis facere? Iam parat se ad obediendum* (ait August.) *qui priùs sæuiebat ad persequendum.* Tota illa vox Christi foris audita, & tota interna diuini Spiritus pariter loquentis inspiratio atque persuasio, nihil aliud erat quàm excitans & præueniēs gratia, solius Dei eiúsque ineffabilis misericordiæ opus; sed gratia efficacissima, quia congrua, quia cū talibus visis cōiuncta, quæ ad Sauli animū expugnandū aptissima esse & certissimū effectū cōsecutura Deus præuidit: non autē talis gratia, quæ in ipso cōuersionis instāti liberā Paulo cooperationē, liberā cōsentiēdi vel nō cōsentiēdi electionē tolleret. Quæ nūc omnia ex ipso D. Augustino, diuinæ gratiæ prædicatore maximo, breuiter ostendemus. Primum operationis diuinæ modū in hominis impij cōuersione hoc modo describit August.: *Viscerum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euāgelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentē, sed cōsentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His autē modis quādo Deus agit cum anima rationali*

Serm. 14. de Sāctis.

Gratia Paulum conuertēs qualis.

De Spirit. & lit. cap. 33.

tionali vt ei credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine. Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ volũtatis est. Hæc ille. Iam de Paulo ipso eiusque conuersione ita scribit: *Quàm rabida volun[tas] quàm furiosa, quàm cæca in Saulo! Qui tamen [de]super voce prostratus est, occurrente vtique [di]uino, quo mens illa & voluntas refracta sæuitia [re]torqueretur & corrigeretur ad fidem.* Quia igitur diuinorum suasionibus tam exteriùs quàm interiùs in Pauli vocatione huiusmodi vt Deus voluit, quæ eius sæuitiæ corrigendæ apta & congrua erant, propterea gratia Christi in eius vocatione efficacissima fuit. Vnde alibi dicit: *Vt de cælo vocaretur Paulus & tam magnâ & efficacissimâ gratiâ conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala.* Efficacissima fuit ista gratia, quia efficacissima fuit excitatio; & ideo efficacissima, quia congrua. Excitatio, inquam, hæc fuit siue excitans & præueniens gratia Dei, quæ sola quidem fecit vt Paulus vellet, sed non sola fecit Paulum velle. *Voluntas* (ait Augustinus) *desuper excitatur, vt credat, sicut Sauli, etiamsi tam auersus esset à fide, vt etiam credentes persequeretur.* Gratia igitur Paulum de cælo vocans, erat gratia Paulum excitans & præueniens. Hæc operatur sine nobis vt velimus, nõ autem operatur sine nobis ipsum velle, siue cùm volumus. Quod his verbis docet August. *Deus vt velimus operatur incipiens, qui*

Ad Simplic. lib. 1. q. 2.

De gratia & lib. arb. cap. 5.

De gratia Christi, cap 19.

Gratia solla operatur vt velimus, sed non ipsum velle.

piens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus, Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi. Vt ergo velimus, sine nobis operatur (hæc est præueniens & excitans gratia, ipsaque vocatio tam externa quam interna) cùm autem volumus, & sic volumus vt facianus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo operante vt velimus (quando præuenit nos in misericordia & benedictionibus) vel cooperante quum volumus (quia qui cœpit bonum opus, idem perficit) ad bona pietatis opera nihil valemus. Vides S. Augustinum sic ponere operantem, excitantem, præuenientem, & vocantem Dei gratiam, vt non tollat, sed pariter disertissimè ponat, gratiã nobiscum cooperantem. Non ergo Papistæ (vt garrit hoc loco Caluinus) nos cooperari diuinæ gratiæ fingũt, sed maximus diuinæ gratiæ prædicator Augustinus nos diuinæ gratiæ cooperari manifestissimè docet. Quare hæc Pauli de cælo vocatio, erat gratia operans sine Paulo vt vellet in Christum credere, eique obedire, non eum persequi. Sed vox illa Pauli iam credentis & volentis qua dixit, *Domine, quid me vis facere?* erat vox gratiæ Dei cooperantis Paulo, & vox Pauli cooperantis gratiæ Dei; nec sola operantis gratiæ nec sola Pauli vox. Quod de reliqua Pauli obedientia quam tota vita præstitit, faciens semper quod Dominus Iesus eum facere voluit, tum

De gratia & lib. arb. cap. 17.

De gratia & lib. arb. cap. 5.

tumipſemet Paulus cõmemorat, tũ ex Pauli verbis annotauit Auguſtinus his verbis: *Meritum quidem fuit in Apoſtolo Paulo, ſed malum, quando perſequebatur Eccleſiam Dei. Vnde dicit: Non ſum idoneus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Cùm ergo haberet hoc meritum malum, redditum eſt ei bonum pro malo, in eo quòd ſecutus adiunxit, Sed gratia Dei ſum id quod ſum. Atque vt oſtenderet & liberum arbitrium, mox addidit, Et gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboraui* (faciens videlicet quod Dominus Ieſus voluit eum facere: ad quæ omnia in primo conuerſionis ſuæ puncto paratum ſe oſtenderat) *tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe* (videlicet etiam iam cõuerſa ad Deum, & parata ad omne opus bonum faciẽdum) *ſubiunxit, Non ego autem, ſed gratia Dei mecum: id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola* (vt vult Caluinus) *nec ipſe ſolus* (vt voluit Pelagius) *ſed gratia Dei cum illo. Vt autem de cælo vocaretur, &c. gratia Dei erat ſola.* Hæc Auguſtinus. Apertiſsimè & quidem ex ipſis Scripturæ verbis diſtinguit B. Auguſtinus vocantẽ Dei gratiam, excitantem, & præuenientem, quæ vt Paulus conuerteretur ſola operabatur, ab illa Dei gratia quæ in Paulo, quũ conuerteretur, non ſola operabatur, ſed cum Paulo cooperabatur: idque à primo conuerſionis momento quo dixit, *Domine, quid me vis facere?*

Hæc

Hæc enim vox ſemen & principium fuit totius obedientiæ quę in Paulo ſequebatur. In illa voce *parabat ſe ad obediendum*, ait Auguſtinus, & nouum ſe hominem eſſe apertè profitebatur. Illa vox cordis vox erat non iam ampliùs lapidei, duri, obſtinati contra veritatem Euãgelicam, vti priùs, ſed cordis carnei, docilis, flexilis, & ad omnem Chriſti mandatis obedientiam paratiſsimi. Suſtulit Deus cor lapideum, & dedit cor carneum, quatenus ad vtrumque præſtandum operabatur præueniens, & cooperabatur perficiens, vt nuper ex Auguſtino audiuimus. Serm. 14 de Sanctis.

Inſulsè Caluinus ſic ex corde lapideo & duro fieri à Deo cor carneum & molle imaginatur, vt cor carneũ ſeu molle, id eſt, voluntas iam reformata & cõuerſa, ſolius Dei ſit opus, nulla interueniente cooperatione humana. Aliter S. Auguſtinus, qui gratiæ efficaciam in Scripturis reuelatam (quam tanto molimine contra impios Pelagianos eruditiſsimè defendit) multo ſaniùs intellexiſſe cenſendus eſt, quàm ſectarius & nouator Caluinus. *Vt velimus* (inquit) *operatur incipiens: volentibus*, id eſt, volũtati iam conuerſæ & reformatæ, *cooperatur perficiens*. Gratia Dei ſumus id quod ſumus: Deo obedimus, mãdata eius facimus, laboramus. Non autem ſoli hæc facimus, ſed gratia Dei nobiſcum. Vnde & alio in loco idem clariſsimus Doctor: *Gratiam Dei nihil meriti præcedit humani*; Caluinī inſcitia refutatur. Epiſt. 105.

humani; sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præuia voluntate. Hæcille. Sic in Pauli vocatione Dei gratiam nulla præceſſerunt merita, niſi mala. Sed gratia Dei cum illo iam conuerſo laborans plus omnibus, meruit augeri, vt aucta mereretur perfici, in toto illo gratiæ augmento & perfectione voluntate eius nec ſola, nec præuenien e ac ducente, ſed comitante & pediſſequa, id eſt, perpetuò cooperante. Audet ſuperbus Caluinus hanc tam luculentam S. Auguſtini doctrinam (quia eius efficacem gratiam, quę ſola totũ operatur, luculenter euerti) prorſus reijcere, & perperam à S. Auguſtino traditam aſſerere. *Quia*, inquit, *voluntas reformata vnius gratiæ opus eſt, hæc perperam ab Auguſtino homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* Hæc ille. Nos contrà: quia voluntas reformata vnius gratiæ opus non eſt, ſed quum volumus quod rectum eſt nobiſcum Deus cooperatur, propterea ſapienter & iuxta ſanam doctrinam à S. Auguſtino homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti voluntate pediſſequa obſequatur. Hinc etiam certò colligimus, gratiam præuenientem, quæ non niſi à futuro effectu efficax gratia eſt (nam gratia adiuuans ſiue cooperans, à qua Caluinus ſemper abhorret, eſt in ipſa actus productione, ſiue in ipſo cõuerſionis aut alterius cuiuſq; boni

Inſtitut. lib. 2. c. 3. num. 7.

boni operis actu) non tantùm natura, sed & tempore interdũ hominis cooperationem seu conuersionem prœuenire. Vnde rursus sequitur, à prœuenienti gratia, quantumcunque efficaci, humanam voluntatem non determinari, sed liberam relinqui. Quicquid enim voluntatem formaliter determinat, siue in malum siue in bonum, non potest esse ipso actu voluntatis prius, nisi prioritate naturæ; inquantum videlicet à tali principio ille actus procedit. Nam actus voluntatis etiam in primo instanti in quo producitur, sicuti duplex habet principium à quo fit, Dei gratiam & propriam voluntatem, ita à neutro priùs quã ab altero, sed ab vtroque simul in eodem instãti naturæ producitur. Hoc nempé est quod sapienter D. Bernardus scripsit: *Quod à sola gratia* (prœueniente) *cœptum est, pariter ab vtroque* (gratia & libero arbitrio) *perficitur; vt mixtim non figillatim, simul non vicissim, per singulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragant: totum quidem hoc, & totum illa; sed vt totum in illo, sic totum ex illa.* Hæc ille. Talis erat Pauli conuersio. A sola gratia cœpta est, pariter ab vtroque perfecta est. Sola gratia intonuit de cælo, *Saule, quid me persequeris?* Gratia non sola, sed cum Paulo respondit: *Domine, quid me vis facere?* Nec inuitus, sed liberrimè volens ita respondit: quia gratia Dei in eo va-

Gratia prœueniẽs voluntatẽ non determinat.

Lib. de gratia & lib. arb.

cua non fuit. Plus omnibus laborauit, sed gratia Dei cum illo. Nec ille solus, nec gratia sola, sed simul vtrumque.

12. *Et vidit virum Ananiam nomine introëuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat.*

Visiones Sanctorũ.

ILlustre hoc exemplum est visionum, quibus sanctos & electos suos Deus aut consolatur, aut docet, aut etiam salubriter terret: earum rerum species & similitudines illis exhibens seu vigilãtibus, seu dormientibus, quæ aut eodem tempore fieri præcipiuntur atque ordinantur, certissimèque futuræ sunt, vt in hac visione; vel etiam de facto fiunt, qualia commemorat S. Augustinus, de Ioanne monacho mulieri in somnis apparente, & de patre quodam mortuo viuenti filio debiti cuiusdam solutionem indicante, qui ad hoc etiam genus varias Martyrum opitulationes & apparitiones refert. Quæ omnia vt increduli heretici & nomine tenus Christiani aut irrident, aut contemnunt; sic ex hac visione, qua Paũlo id veluti factum aut potiùs fieri ostenditur, quod vt fieret eodem temporis momento Deus ordinauit, eorum incredulitas facilè refellitur: nisi fortè quod semel Deum fecisse Scriptura commemorat, id à Deo postea identidem fieri nequeat, aut factum esse ex gra-

In lib. de curâ pro mortuis ger. c. 11. & 17.

Lib. eod. cap. 16.

ex grauissimorum virorum testimonijs credi non debeat.

17. *Imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, &c. vt videas, & implearis Spiritu Sancto.*

NOdum hîc in scirpo inuenit Caluinus, debacchandi in Catholicos materiam, vbi nulla data erat, futiliter arripiens. *Quum*, inquit, *Ananiæ manu Spiritum receperit Paulus, plusquam ridiculi sunt Papistæ, qui solis Episcopis manuum impositionem asserunt.* Caluini stolida accusatio. Vide enim quot modis plusquam ridicula hæc accusatio est. Primùm, si per impositionem manuum Ananiæ, cuiuslibet hominis, Spiritum S. Paulus recepit; an propterea sequitur plusquam ridiculos esse Christianos, qui nõ nisi à certis in Ecclesia Pastoribus ac Præpositis Spiritus S. dona accipiũt, eorundem ministerio aut baptizati, aut ad verbi ministerium missi & ordinati? hæc duo tantùm designo, quia in istis duobus nobiscum Caluinistæ conueniunt. Atqui vide in simili quàm sit hæc collectio plusquam ridicula. Paulus *neque ab homine, neque per hominem*, sed per Christũ Apostolus factus est; ergo plusquã ridiculi sunt Christiani, qui à solis hominibus, vel per solos homines, idq; Pastores ipsos Ecclesiarum, & per eorum manuũ impositionem (quam in Ministris ordinandis retinendam censet Caluinus) verbi Ministros Gal. 1. Instit. lib. 4. cap. 3. num. 16.

nistros ordinari & creari asserũt. Quũ enim in Pauli vocatione cætera omnia extraordinaria fuerint; cur Caluinus hoc ipsum quoque extraordinarium esse non aduerit, quòd per manus Ananiæ Spiritũ acceperit?

2. Deinde, vt istũ Ananiam Episcopum fuisse non cõstat, sic nec Presbyterum aut Diaconum fuisse ex scripturis constare potest. An propterea ridiculi erunt Caluinistæ, qui solis Presbyteris baptizandi potestatem asserunt? nã ab Anania baptizatus Paulus fuit.

3. Præterea, quòd imponẽs ei manus Ananias dixit, *Vt videas, & implearis Spiritu S.* an ex eo necessariò sequitur, Paulum ex impositione manuum Ananiæ, Spiritu S. repletũ fuisse? Sanè ex illa impositione manuum Paulum visum recepisse, apertè statim Lucas commemorat: quòd Spiritu S. repletus fuerit, nõ commemorat. Baptizatum illum statim fuisse, Lucas scribit; & in eo Spiritum S. recepisse Paulum, dubitari non debet. Illa ergo verba, *Vt videas, & implearis Spiritu S.* hunc sensum commodissimè habent, Vt per manuum impositionem videas, & baptizatus Spiritum S. accipias. Sic impositio manuũ visum restituit, baptismus Spiritum S. contulit. Imò, si rectè aduertimus, hũc sensum necessariò illa verba habere debent, nisi dicere velimus Paulum etiam ante baptismum suum ex sola impositione manuum Spiritum S. accepisse. Imposuit igitur Paulo ma-

lo manus Ananias, vt videret ex ipsa manuũ impositione, iuxta illud Christi promissum, *Ægris manus imponent, & bene habebunt.* Impo- Marc. vlt.
suit manus, vt impleretur Spiritu S. scilicet postea mediante baptismo. Et sanè impositionem manuum vnam fuisse ceremoniam in baptismo vsurpari solitã, tum Paulus ad Hebræos satis insinuat, enumerans inter exordia sermonum Dei, primaque initiationis rudimenta, *pœnitentiã ab operibus mortuis, fidem ad Deum, baptismatum doctrinam, impositionem quoque manuum*; tum tota antiquitas attestatur, quæ cum oratione, & manuum impositione suos catechumenos ad baptismũ præparabant. Vide †Cõcil. Carthag. 4. & *Matisconense 2. & August. in lib. de fide & operibus. Postremò, vt demus Caluino ex ipsa impositione manuum Ananiæ etiam extra baptismum recepisse Paulum Spiritum S. nihil hoc cõtra impositionẽ manuum, quæ solis Episcopis asseritur, valere potest. Impositio quippe manuum, quæ solis Episcopis tribuitur, vel in Sacramento confirmationis, vel in Sacramento ordinis exercetur. Atqui Ananiam hoc loco per impositionem manuum aut Paulum ordinasse ad Euangelij prædicationem (quæ ordinatio & segregatio cum manuum impositione coniuncta postea Antiochiæ facta est) Calui- Instit. c. 13
nus nunquam dixerit; aut Sacramentum confirmationis, seu (vt Caluinus loquitur)

†Can. 85. *Cap. 3. 4.

Spiritum Sanctum sic accepisse, sicuti per manus Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus, Caluinus dicere non potest, quando ex illa impositione manuum iuxta Caluini doctrinam non ipse Spiritus Sanctus, sed tantùm dona Spiritus S. visibilia data erat. Paulus autem hoc loco tum ipso Spiritu S. implendus dicitur, tum illa dona per Ananiam accepisse non legitur. Ita vndique plusquam ridicula, futilis, & insulsa esse hæc accusatio Caluini deprehenditur. Superbus hæreticus petulanter alios plusquam ridiculos vocans, se ipsum plusquam ridiculum omnibus deridendum præbuit.

32. *Factum est autem vt Petrus, dum transiret vniuersos, deueniret ad sanctos qui sunt Lyddæ.*

NOn patitur Caluinus aliquid in Scriptura aut Euangelica aut Apostolica pro primatu Petri supra reliquos Apostolos ac discipulos sonare. Quicquid eò facere videtur, studiosè arrodit, mordet, lacerat. In id intentus quum esset, hunc quoque locum minimè sibi prætermittendum duxit. Animaduerterat enim hanc Petri visitationem generalem (sic enim verba sonant) ad Petri primatum aliquo modo demonstrādum à Catholicis accommodari posse. Totis igitur viribus argumentum impugnat. *Oportuit* (inquit) *Apostolos, quibus nulla erat statio attributa,*

Caluini odium in primatū Petri.

tributa, huc illuc, quocunque ferebat occasio, pergere. Quare dum singuli diuersis in partibus occupantur, hanc prouinciam obiuit Petrus. Vnde refellitur Papistarum stultitia, qui ex iure visitandi Petri primatum colligunt: quasi verò reliqui Apostoli, quum Petrus Ecclesias lustraret, Hierosolymæ tanquam priuati homines otium coluerint. Hæc ille. Breuis, sed varijs mendacijs ac paralogismis referta oratio. Quæ antequam aperiam, quia ex huius loci accommodatione Papistarum stultitiam arguit, Chrysostomi iudicium illi opponimus, quem an pro stulto Papista haberi velint Caluinistæ, ipsi viderint. Sic in hunc locum scribit: *Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat; vide vbique Petrum circumcursare, & primum inueniri.* Hæc ille. Primatum Petri hoc etiam in facto disertè obseruat. Sed nunc ad Caluini refutationem veniamus. Apostolis nullam fuisse attributam stationem, ideoque huc illuc quocumque ferebat occasio perrexisse, vnde probat Caluinus? ex qua Scriptura, ex qua veteri & approbata historia? Apostolos omnes Hierosolymis mansisse, quum prima vigeret persecutio, narrat Lucas. Propagato postea in Samaria Euangelio, Petrum & Ioannem eò missos fuisse idem commemorat: alios extra Iudeam aut missos aut spõte profectos non narrat: imò Apostolos (vno excepto Petro, *qui transibat* per *vniuersos*, &

Chrysost. in com. in hunc locum.

Act. cap. 8

Apostoli aliquot annis Hierosolymis hæserunt.

non Iudæam tantùm, sed & Samariam, to támque Syriam hoc tempore peragrauit, v mox dicetur) omnes Hierosolymis ad al quot adhuc annos perstitisse, tum Iacob

Act. 12. Apostoli martyrium Hierosolymis compl tum, tum primum Concilium Hierosol mis habitum, non obscurè testantur. Or

Act. 15. enim Antiochiæ graui controuersia de leg lium obseruatione, *ascenderunt Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs, ex Antiochia a Apostolos & Presbyteros in Hierusalem.* Mans rant igitur vsque ad eius Concilij tempu Apostoli in Hierusalē, Petro interim pera grante & visitāte omnes nouellas Eccles per totam Palæstinam & Syriam. Illo vide licet tempore, anno quarto ante morte Tiberij, Antiochenam Petrus fundauit Ec clesiam, teste Eusebio in Chronicis. San Apollonius, antiquus Theologus, agens ad uersus Cataphrygas, testatur se traditione accepisse, Saluatorem mandatum dedisse Apostolis, ne vsque ad 12. annos Hieroso-

Euseb. lib. 5. c. 17 lymis decederent, vt refert Eusebius in Hi storia Ecclesiastica. Et Paulus quidē trien nio post conuersionem suam omnes Apo stolos Hierosolymis inuenit, tametsi Pe trum duntaxat ac Iacobum salutasset, quia quindecim tantùm diebus illic hærens de-

Act. 9. *ductus est à fratribus in Cæsaream, & dimissus in Tharsum.* Pauli autem conuersio in annum Domini 36. incidit, id est, tertio post propa-

gari

gari cœptum Hierosolymis Euangelium. Concilium quoque Hierosolymis ab Apostolis habitum in annum Domini incidit 51. annis videlicet 17. post primam Euangelij prædicationem. Nam eo tempore hoc Concilium habitum fuisse, quo Paulus cũ Barnaba ex Antiochia Hierosolymam ascenderant (quod post annos 14. à sua videlicet conuersione numerandos, vt bene probat Cæsar Baronius, factum Paulus affirmat) tum certa ratio demonstrat, quia eadem intercesserit causa, nempe de abolenda circuncisione; tum antiquissimi ferè omnes Ecclesiastici Scriptores attestantur: *Epiphanius, ‡Hieronymus, ||Philastrius, & alij. Denique Apostolorum diuisio siue ante hoc Concilium facta fuerit, vt graues authores existimant, ex reuelatione tamen omnes eò confluxisse, sicuti Paulus ex reuelatione se Hierosolymam tunc temporis ascendisse diserte affirmat, siue post hoc Concilium, vt indicat Chrysostomus, affirmans Apostolos vsque ad Pauli in vrbem aduentum inde non recessisse; hoc saltem tempore quo *Petrum transisse* per *vniuersos* Lucas scribit, Apostolos adhuc in varias orbis partes diuisos non fuisse, sed Hierosolymis perstitisse, ex ipso Luca manifestè colligi potest. Si enim quo tempore Hierosolymam Paulus triennio post conuersionem veniens, subitoq; dimissus, Apostolos Hierosolymis inuenit;

Annaliũ Tomo 1. pag. 425.

*Hær. 16.
‡In Catalogo.
||Hær. 87.

Homil. 25 in Acta.

Petri generalis visitatio, cæteris Apostolis Hierosolymis manentibus.

uenit; eodemque tempore, quia Ecclesia habebat pacem, *Petrus transibat* per *vniuersa*, perspicuum fit, reliquis Apostolis Hierosolymis manentibus, solum Petrum generalem hanc Ecclesiarum visitationem obijsse. Deinde, quum post hanc Petri visitationem generalem Cornelij gentilis hominis prima conuersio accideret, Apostolorum autem diuisio ad Gentium maximè conuersionem facta est; rursum perspicuum fit Apostolorũ diuisionem necdum hoc tempore factam fuisse. Sed & quum satis diu post hanc Petri visitationem Paulus Antiochiæ Syriæ cum Barnaba ad Ecclesias Asiæ fundandas missus esset (Act. 13. 3.) & ad Antiochiam Pisidiæ veniens, vt Christi resurrectionẽ probaret, diceret, (Act. 13. 31.) *Qui visus est per multos dies his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem, qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem*; dubium non est, quin ipsos maximè Apostolos designauerit, eo adhuc tempore Hierosolymis hærentes. Deinde Apostolos quidem in certas orbis terrarum prouincias mutuo consensu destinatos fuisse, & Iacobum fratrem Domini Hierosolymis Episcopum constitutum solam Iudæam procurasse, omnium veterum calculo comprobatur. Sed vtcumque in amplissimis, quas obibãt, prouincijs certam stationem Apostoli non habebant, generalem tamen aliquam omnium Ecclesia-

rum

rum visitationem eos obijsse, sicuti de Petro scribit Lucas, aut etiam vllas hoc tempore Ecclesias visitasse, tametsi postea Paulus & Barnabas varias Ecclesias visitauerint, nulla Scriptura commemorat, nulla historia Ecclesiastica memoriæ prodidit.

Quod ergo addit Caluinus, *Dum singuli in diuersis partibus occupantur, hãc prouinciam obiuit Petrus*, duplex mendacium est. Nam nec illo tempore extra Hierosolymã Apostoli erant (vt iam ostensum est) nec vnam aliquã prouinciam obiuit Petrus, sed *transibat vniuersos*, ait Lucas. Sic Scripturam nequiter corrumpit Caluinus, vt cauillationi locum faciat. Quàm autem futile est quod addit Caluinus, *Apostolos Hierosolymæ tanquam priuatos homines otium coluisse*, si solus Petrus Ecclesias lustraret: quasi verò aut Hierosolymis, vbi tanta fidelium messis erat, nihil Apostoli quod agerent habebant; aut, dum illam messem colebant, tanquam priuati homines agerent. An verò dum Petrus & Ioannes in Samariam mittebantur, inferemus cum Caluino, reliquos decem Apostolos Hierosolymis tanquam priuatos otium coluisse? Aut quando facta persecutione magna in Ecclesia, exceptis Apostolis, omnes alij dispersi erant, rursum colligemus, Apostolos omnes Hierosolymis tanquam priuatos homines otium coluisse? Sed hæc sunt futilissima Caluini argumenta, cuius

Caluini duplex mendacium.

Caluini consequẽtia futilis.

Act. 8.

cuius ingenium stulti homines sic adm
rantur.

Nam & vide adhuc iterũ hominis cęcit
tem. *Deinde* (inquit) *vt demus fuisse primariu
Apostolum (quod Scriptura sæpe ostendit) an inde
sequitur fuisse caput orbis?* Cui respondemus

Petrus totius orbis caput.

Si Petrus primarius fuit Apostolus, vt Scr
ptura sæpe ostendit, id est, cæterorum Apo
stolorũ caput, princeps, & vertex (hoc enim
sensu eum primarium Apostolum fuis
Scriptura sæpe ostendit, idque in hoc Act
rum volumine, vt & antea, ostensum est,
ostenderetur postea magis) manifestè sequi
tur, totius orbis eum caput fuisse. Qui enim
ipsorum capitum singulorum caput era
quomodo non membrorum omnium to
tiusque populi fidelis caput erat? nisi forte
Christianos aliquos ostendere Caluinu
queat, qui Apostolis reliquis subiecti non
erãt, aut qui Apostolorum labore, & eorum
qui vel ab Apostolis missi sunt, vel illis suc
cesserunt, in Ecclesiam collecti non fuerũt
Petrus igitur ipsorũm Apostolorum caput
& inter eos primarius Apostolus, vt ab ipsa
Scriptura eum sæpe ostendi Caluinus nunc
ipse fatetur, totius Ecclesiæ Catholicæ &
Apostolicæ, totius orbis Christiani caput
indubiè demonstratur. Quæ in Caluino se
quuntur, mera conuitia, rixæ, contumeliæ,
fustuario magis quàm refutatione egent.
Sed bene est; dum perstringere primatum

Petri

Petri Caluinus studuit, vt is magis nouoq; argumento illustraretur, sua importunitate effecit.

37. *Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cœnaculo.*

INuenit & hîc Caluinus quo Christianos Catholicos leuissima ex causa rursum morderet. *Præposterа* (inquit) *fuit hac in parte, vt in ceremonijs omnibus, imitatio. Inconsideratè enim Christiani hoc exemplum* (vt mortuorum corpora lauarent) *ad se traxerunt: quasi perpetuæ esse deberet figuræ legalis obseruatio. Nam inter Euangelij primordia, tametsi abolita erat necessitas, vsus tamen licitus fuit, donec temporis successu obsolesceret. Atqui hodiè monachi non secus Iudaismum æmulantur, atque olim Gentes, sine delectu & iudicio. Lauantur enim apud eos cadauera, vt Christum in vmbris sepeliant; quæ in eius sepulchrum abdi a nunquam in vsum reuocari debuerant.* Hęc ille. Ad hanc Caluini in re tam leuicula (defunctorum enim corpora lauare, nec vt religionis ritus aliquis, nec vel à Iudæis vel à Gentibus sumpta ceremonia, sed veluti ex iure naturæ deriuatus instinctus esse videtur, quo defunctorum amicorum corpora quàm honestissimè tellure recondi, sensus quidam humanitatis homines admonet) tam acrem contra Christianos reprehensionem, quasi paganus ille, non Christianus foret, breuiter respondemus. Tametsi consue-

Christianorũ hostis Caluinus.

tudo

tudo ista lauandi defunctorum corpor veluti ceremonia aliqua olim legalis, in Ec clesia Christiana retenta fuerit: cur tame repudiari debeat, nulla ratio est. Nam a

Ceremoniæ legales non omnes abolēdæ.

omnes ceremoniæ legales in vniuersu abolendæ sunt, aut aliquo cum delectu & iudicio retinendæ. Si omnes in vniuersu abolendas dixerit Caluinista quispiam, il Caluinum ipsum opponemus, qui ad il

Ad cap. Act. 3. v. 1

verba, *Petrus & Ioannes ascenderunt in templu ad horam orationis nonam*, ita scribit: *Quòd stat horas Deus veteri populo esse voluit, inde colligi mus, non posse carere Ecclesiam certa disciplina. hodie, nisi obstaret nimius torpor, vtile esset quoti die habere tales conuentus.* Ecce, placuit hi Caluino distinctos habere ad publicas pre ces conuentus; horarum videlicet 1. 3. 6. & 9. quia tales statas horas veteri populo Deu esse voluit. Hîc igitur vna ceremonia lega lis est, quę piè & laudabiliter retineri possit.

Ad cap. Act. 9. v. 17.

Rursum de manuū impositione ita scribit: *Solemne & quasi ordinariū fuit Iudæis, vt, quotie aliquē Deo cōmendabāt, manus imponerēt.* Et alio

Institut. lib. 4. c. 3. num. 16.

in loco de eadē ceremonia addit: *Licet nullum extet certū præceptū de manuū impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam accurata obseruatio præcepti vice nobis esse de bet.* Hîc igitur alia ceremonia legalis & Iudaica est, sic ab Apostolis in suū vsum transla ta, vt illa obseruatio præcepti vice nobis esse debeat. Nō igitur omnes in vniuersum

cere-

ceremoniæ & obseruationes legales ex Ecclesia Christiana exterminari debẽt. Iam si aliquæ legales ceremoniæ & obseruationes in Ecclesię Christiane ritus trãsferri possunt, cum delectu & iudicio; hic sanè delectus, hoc iudicium non penes vnum hodie Caluinum aut Caluinistas, sed penes veterem maximè Ecclesiam fuit, estque semper penes Ecclesiæ Catholicæ legitimos pastores. Tota igitur hac de re controuersia est, non vtrùm aliqua in Ecclesia Christi ceremonia, aut aliqua populi Christiani consuetudo, ideo reprehendenda & abolenda sit, quia Iudaica illa olim ac legalis ceremonia aut obseruatio fuit; sed vtrùm circa ritus Ecclesiasticos & consuetudines Christianas retinendas vel abolendas, vnius Caluini, & Caluinistarum, aut alterius cuiuscumque nouellæ sectæ hodie primùm exortæ, an potiùs Ecclesiæ Catholicæ, maximeque vetustissimæ Ecclesiæ, iudicio standum ac credendum sit: hoc est dicere; Quæstio est an nulla hactenus fuerit in orbe Christiano Ecclesia Christi, quæ modum ac ritum colendi Deum tenuerit; an potiùs hodie & hac demũ ætate post annos 1500. à nato Christo, Christiani esse homines cœperint. Qui nullam hactenus fuisse Christi Ecclesiam ad hanc ætatem vsque persuadere sibi potest, ille sanè Caluinũ, aut quemlibet alium nouatorem audiat, siue qui nunc dogmati-

Cõtrouersiarum de religione quæstiones quales hodie.

zat, siue qui post aliquot annos aliter dog-
matizabit. Qui autē Christianus quum si
tā absurdè & impiè de Christo sentire no
potest, quòd tot videl. seculis nullam in te-
ris Ecclesiam habuerit quæ eum ritè colu
rit, ille has Caluini & aliorum hodie hæ-
ticorum tam frequentes exceptiones & re-
prehensiones facilè contemnet, quibus
Ecclesia Christi Catholica multa exagitā
veluti ritus Iudaicos & obseruationes leg
les. Quod semel contra Caluinum dictum
in vniuersum circa istud reprehensionu
& cauillationum genus valere debet.

CAP. X.

4. *Orationes tuæ & eleemosyne tuæ ascenderu
in memoriam in conspectu Dei.*

Caluini crassa & fœda calumnia.

DVPLICI criminatione Catholica
doctrinam hoc in loco grauat Ca
uinus. *Bifariam* (inquit) *hoc loco ab
tuntur Papistæ. Nam quia preces & ele
mosynas Cornelij Deus respexit, vt eum Euange
fide donaret; id ad præparationes à se confictas d
torquent; quasi sua industria & virtute homo a
quirat fidem, & Dei gratiam operum meritis a
teuertat. Deinde generaliter colligunt, bona ope
sic esse meritoria, vt singulis augeantur Dei grati
prout meriti sunt.* Hæc ille. Quod priori loc
Catholicæ doctrinæ imputat, putidum &
affectatū mendacium est. Hæresem quippe
propri

propriè Pelagianã, quam Catholica semper dãnauit Ecclesia, & horũ tẽporum Catholici non secus exhorrẽt, ac demũ Concilij Tridẽtini Patres disertissimè anathematizant, homo nequam & mendax magister Catholicis affingit. Quòd homo sua industria & virtute fidem acquirat, his verbis damnat Concil. Tridentinum: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus S. inspiratione, atque eius adiutorio, hominẽ credere posse, anathema sit.* Sess 6. can. 1. & 3. Rursum quòd Dei gratiam operum merita anteuertant, (propriam Pelagij sententiam) tum his verbis dictum Concilium execratur; *Si quis dixerit hominem suis operibus quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit*: tum in eiusdem sessionis doctrina disertè reijcit his verbis; *Declarat Synodus, iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum præcedentibus meritis vocãtur.* Cap. 1. Hæc ibi. Sed vetus & obsoleta ac putida hæc omnium hæreticorũ hodie calumnia est, ex eo nata, quòd præparationes ac dispositiones ex parte peccatoris ad primam iustificationem consequendam Catholici ponunt. Sic hunc locum Caluinus *ad præparationes à se confictas à Papistis detorqueri* ait. Atqui vel studio lectorem fallit, vel stupidè & crassè ipsemet fallitur. Præparationes quas ponunt Catholici, ope-

Præparationes ad iustificationem ex Dei gratia procedunt.

ci, opera esse diuinæ gratiæ, & non humanæ virtutis aut industriæ, iuxta perpetuam Catholicorum fidem declarat Concilium Tridentinum his verbis: *Disponuntur peccatores ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidē cōcipientes, liberè mouentur in Deū*, &c. Vbi enumeratis præparationibus illis quibus homo ad iustitiam disponitur, fide in Deum & redemptorem Christum, diuinæ iustitiæ timore, spe veniæ, dilectione Dei, odio peccati, aliisque pœnitētiæ actibus, exordium & principiū harum omnium præparationum ab excitante & adiuuante Dei gratia sumunt, & opera esse specialis gratiæ Dei has omnes præparationes manifestè docent. Merum igitur & putidum mendacium est quod de præparationibus priori loco criminatur Caluinus. Quare quod in sequentibus Cornelij eleemosynas & orationes ex fide profectas esse accuratè demonstrat, Pelagianorum dementiam (quos postea commemorat) rectè conuellit; Catholicorum præparationes nō infirmat. Nam & de ipso Cornelio iam dudum ex Augustino contra Pelagianos disputantes didicerant Catholici, *Cornelium, antequam credidisset in Christum, sine aliqua fide nec eleemosynas dedisse, nec Deum orasse.* Hoc igitur nos docet exemplum Cornelij, bona opera ex fide & Dei gratia profecta hominem præparare atque disponere ad salutem, idque adeò, *ut*

De præd. st. sanct cap. 7.

Cornelij opera ante baptismum qualia.

Euan-

Euãgelij fide Cornelius donaretur (sicuti hîc Caluinus loquitur) Cornelij opera Deũ respexisse. Erãt quidem Cornelij opera Deo grata: *Non enim* (ait Aug.) *debemus improbare hominis iustitiam quæ prius esse cœpit antequam coniungeretur Ecclesiæ, sicut esse cœperat iustitia Cornelij priusquam ipse esset in plebe Christiana; quæ si improbaretur, non dixisset ei Angelus, Acceptæ sunt eleemosynæ tuæ*, &c. non tamẽ erãt vel huiusmodi ex quibus saluus fieret, vel ipsius salutis postea datæ merita aliqua propriè dicta. *Si illa Cornelij iustitia* (ait eodem loco Augustinus) *sufficeret ad capessendum regnum cælorum, vt ad Petrum mitteret non moneretur.* Et iterum in eodem opere: *Quoniam quicquid boni in orationibus & eleemosynis habebat Cornelius, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ; iubetur mittere ad Petrum, & per illum discit Christum*, &c. Et rursum alibi: *Si posset sine fide Christi esse saluus Cornelius, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Erat igitur in Cornelio aliqua iustitia disponens, ex fide vnius veri Dei originem capiens, siue aliqua bona opera ad salutem præparantia; sed non vnde coram Deo iustificaretur, aut saluus fieret. Illa quoque eius opera respexit Deus, non vt propriè meritum, & causam simpliciter necessariam vel efficacem vocationis ad fidem Euãgelicam, sed vt quasdam præparationes congruas, vel, vt aliqui Scholastici

De Baptis. contra Donatist. lib. 4. cap. 21.

Lib. 1. cap. 8.

De præd. sanctor. cap. 7.

stici loquitur, merita de congruo: quæ de facto Deum respicere, & veluti suæ bonitati congruèter acceptare, (vt eorum interdum intuitu, quos priùs sua gratia præuenerat, eos ad plenam nominis sui cognitionem, & ad fidem in mediatorem Christum, ipsamque salutem adipiscendam, homines adducat) hoc Cornelij exemplum apertè nos docet. Ait enim Angelus: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, id est, Deus illas recordatus est, acceptauit, & gratas habuit. *Et nunc mitte viros in Ioppen*, &c. id est, *nunc igitur* (vt Beza vertit) viam tibi salutis patefacio. *Mitte ad Simonem Petrum: hic dicet tibi quid te oporteat facere*; videlicet *quibus saluus fias cum tota domo tua.* Satis perspicuè docet Angelus orationum Cornelij & eleemosynarum coram Deo acceptationem, aliquam causam fuisse quæ Dei bonitatem congruenter moueret, vt ad fidem & notitiam Christi perduceretur. Qua de re sic præclarè Gregorius Magnus scribit: *Cornelius Centurio, cuius eleemosynæ ante baptismum Angelo testante laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Si enim in Deum verè & ante baptismum non crediderat, quid orabat vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat?* (vnde alibi idem Gregorius de hoc Cornelio scribit, *quòd bona opera pro fide percipienda faciebat*) *Sciebat igitur creatorem omnium*

Act. 11.

In Ezechiel. lib. 2. homil. 19.

Ibidē lib. 1. homil. 9

Deum

Deum: sed quod eius omnipotens filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere quæ Deo placerent, nisi antè credidisset. Scriptum namque est, Sine fide impossibile est placere Deo, Fidem ergo habuit cuius operationes placere potuerunt: bona autem actione promeruit vt Deum perfectè cognosceret, & incarnationis eius mysterium crederet, quatenus ad Sacramentum baptismi perueniret. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Hæc ille. Tantundem in hunc locum scribit Beda.

Cornelius ab Angelo admonitus adiit huc fidē Christum nō habuit

Falluntur egregiè hoc loco Caluinus, Beza, alijque hæretici, qui Corneliũ Christi fide imbutũ, & spiritus Christi participem, quum iam ei Angelus loqueretur, denique cultum veri Dei, quem soli Iudæi adorabãt, amplexũ fuisse, ideóque aliquid de redemptore promisso audiuisse, & in eum venturum credidisse affirmant. Quæ ideo dicunt, vt nullam in Cornelio præparationem fateri cogantur, sed potiùs veram in eo ex fide iustitiam extitisse, quã Deus hac missione ad Petrum auxerit, & ampliori Euangelij luce veluti mercede donauerit. Cæterùm Cornelium istum hominem Gentilem & Italum, nec Iudaica religione imbutum, nec proselytum eorum & aduenam fuisse, sed penitus incircuncisum, & per consequens de Messia nihil audiuisse, inuictum argumentum est, quòd postea hoc Petri factum cæteri Iudæi Christiani facti tam ægrè tulerunt,

Infrà cap. 11. runt, vt expostulãtes cum Petro disceptauerint aduersus illum dicentes, *Quare intrasti ad viros præputium habentes?* Cornelius igitur præputium habuit, circumcisus non erat, Iudaico ritu (cuius principium circumcisio est) Deum non coluit, ideóque Messiam promissum, vt eius Spiritus particeps esset, expectare non potuit maximè quum infrà ver. 12. Caluinus dicat, *Gentiles, quamdiu in præputio manebant, alieni erant à Deo. Aliquatamen fide* (vt loquitur Augustinus, docétque Gregorius loco citato) ipsius veri Dei imbutus erat, sicut & multi alij Gentiles toto orbe dispersi, qui etiam ad ouile Dei pertinebant, vt docet S. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei[a], & de prædest. Sanctorum[b], & veluti de hoc genere hominum vocatur à Luca *vir religiosus & timens Deũ*, quã phrasim fæpe Lucas vsurpat, de ijs loquens qui ad fidem conuertebantur. Sed quia Euangelio Christi iam propagari cœpto, talis fides vnius Dei, vel etiam fides implicita de Mediatore, ad salutẽ nõ sufficiebat, vocatur à diuina misericordia Cornelius ad plenã Euãgelij fidẽ & Christi notitiã explicitam. Atque hæc de prima Caluini accusatione.

De præd. sanctor. cap. 7.

a. Cap. 47.
b. Cap. 9.

Act. cap. 13. 43. cap 16. 14. cap 17. 4. 17.

Ad alteram criminationem Caluini, quòd ex hoc loco colligunt Catholici, generaliter bona opera sic esse meritoria, vt singulis augeantur Dei gratiæ prout meriti sunt; respondeo ex hoc loco istud à Catholicis non

coll gi

colligi, qui Cornelij orationes & eleemosynas non sic intelligunt vt augmenti gratiæ meritorias, sed vt ad primam gratiam præparatorias: quo in sensu Catholicorum sententiam hactenus Caluinus impugnauit, vt hæc secunda criminatio prorsus inuertat priorem. Si enim præparationes ad fidem & salutem ex hoc loco colligunt Catholici, profectò augmen um fidei & salutis ex eodem loco non colliguntiquando illæ ad eos spectent qui in statu salutis adhuc non sunt, hoc ad eos pertineat qui in via salutis ambulant, & quotidianos progressus faciunt. Ad rem ipsam quod attinet, videlicet bona opera sic esse meritoria vt singulis augeantur Dei gratiæ prout meriti sunt, & ad hoc probandum istud Cornelij exemplum facere, ipsemet Caluinus, (qui, vti diximus, Cornelium, antequã ei Petrus loqueretur, vera fide veraque iustitia imbutũ esse vult,) hoc ipso in loco con ra seipsum rotundè affirmat, & accuratè docet his verbis: *Hanc causam assignat Angelus cur dignetur Cornelium Dominus plena Euangelij luce: quia precet eius exaudierit, & gratas habuerit eius eleemosynas. Vnde colligimus, virtutes & benefacta non tantùm placere Deo, sed ornari etiam splendida hac mercede, quòd in eorum gratiam cumulat nos amplioribus donis, & locupletat, iuxta illud, Habenti dabitur: Item, Euge serue bone & fidelis: quia fidelis fuisti in paucis, supra multa te constituã. Sic enim continua*

Caluinus seipsum refutat.

Gratiæ augmentum cadere submerito Caluinus docet.

Caluinus ex sua disputatione refutatur.

Matt. 13. 12.

donorum suorum serie Dominus suos quasi certis gradibus euehit, donec ad summum perducat. Hæc Caluinus. Docet disertè, & ex Scripturis probat (tametsi posterior locus ad mercedem gloriæ, non gratiæ, pertineat) *virtutes & benefacta hac splendida mercede ornari; vt in eorum gratiam amplioribus donis homines locupletentur.* Atqui hæc *ampliora dona* quid aliud sunt quàm augmenta gratiarum? Illis quoque hominem *locupletari & cumulari in virtutum ac benefactorum gratiam*, id est, propter ipsa benefacta, adeoque illis veluti *splendida mercede ornari*, quid aliud est, quàm bonis operibus per modum meriti augmenta gratiarum retribui? Mercedem enim merito correspõdere, absque summa impudentia negari non potest: & alioqui de verbo est controuersia, non de re. Caluinus igitur ipsemet tam nostram doctrinam confirmat, quàm suã refutat. Sed istud in exordio tractationis huius loci more suo fecit, vel vt lectorem lactaret, vel quia hanc illi veritatem textus extorsit, iuxta sensum à se ipso confictum contra præparationes ad gratiam à Catholicis assertas. Postmodum verò notat pro secundo Catholicorum errore, quòd bona opera augmentum gratiæ mereri doceamus, iuxta illam Augustini clarissimam doctrinam: *Cùm fides impetrat iustificationem* (vt in hoc Cornelio opera fidei quæ faciebat) *non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani*

Epist. 105.

(quia

(quia prima fides erat ex gratia;) *sed ipsa gratia* (ex eius recto vsu) *meretur augeri, vt aucta mereatur perfici,* (id est, magis ac magis augeri) *comitante non ducente, pediſſequa non præuia humana voluntate*: quia videlicet ad ſingulos actus adiutorium gratiæ datur, & ſola voluntas non meretur. Et hanc tam Auguſtini quàm noſtram immo omnium Catholicorum receptiſsimam doctrinam acriter hoc loco & prolixè impugnat. Expendemus paucis quæ adfert. Sunt enim perpetua & maxima cauſæ Caluinianæ contra merita operū firmamēta quæ hîc Caluinus adfert.

Quod ad ſecundū (inquit) *errorem ſpectat, dum fingunt quemque noſtrum, prout meritus eſt, augeri maioribus gratijs, non magno negotio refelli poteſt. Primùm negamus quicquam bonorum operum nobis ſuppetere quod non Deus gratuitò in nos contulerit.* Reſpondeo, idem & à nobis negari, quatenus præuenit nos in miſericordia & miſeratione: ſed cum Auguſtino reſpondemus: *Deus quum merita noſtra coronat, ſua dona coronat; quia omne meritum præceſsit gratia.* Pergit Caluinus: *Deinde rectum donorum Dei vſum ab ipſo quoque eſſe dicimus; atque hanc ſecundam eſſe eius gratiā, quòd rectè vtimur prioribus eius donis.* Reſpondeo, in hac ſecunda gratia & recto vſu donorum Dei aliquas eſſe partes noſtras, quia in illis omnibus Deo cooperamur, ſicuti in primo genere Deus ſine nobis operatur, vt nuper ex Auguſtino oſtendimus.

Meritum augmenti gratiæ cōtra Caluini argumēta defenditur. De grat. & lib. arb. cap. 8. & 9.

Supra ad cap. 9.

mus. Facit hæc cooperatio nostra, vt gratiæ in nos collatæ nostræ fiãt, & veluti nostras Deus illas remuneret; quod ipse Caluinus alicubi dissimulare non potuit. Postquam enim contra liberum arbitrium multa disputasset, hanc tandem moderationem subiunxit: *Sed tamen, vt inexhausta & multiplex Dei est beneficentia ac liberalitas, quas gratias in nos confert, quia nostras facit, perinde ac nostras virtutes remuneratur.* Nostras autem facit Deus gratias quas in nos confert, non quòd illas veluti vasa vacua & bruta accipimus, sed quia illis vt creatura rationalis libere cooperamur. Sic quippe & nostra opera fiũt, quæ Deus operatur in nobis. Sanè thesaurus in vase non est ipsius vasis, sed eius qui vas possidet. Si Deus gratiarum suarum thesauros nostros facit; si *diffundit charitatem in cordibus nostris*, vt illa charitas nostra sit, nósque eam opere exerceamus, *diligendo non verbo & lingua tantùm, sed opere & veritate*; si fides Dei donum in nobis est, vt illa fides nostra sit, nosq; & *corde credamus ad iustitiam, & ore confiteamur ad salutem*; profectò nõ veluti vasa bruta has Dei gratias accipiẽdo sic nostras fecimus, sed velu i rationalis creatura actu proprio intellectus & voluntatis nostræ illas gratias exercẽdo, eisque cooperando, sic demum fecimus, vt nostræ virtutes & bona opera nostra sint, quæ vt faceremus nos, fecit in nobis Deus: iuxta illud,

Instit. lib. 2. cap. 5. num 2.

Dei dona fiunt virtutes nostræ.

Rom. 5.

1. Ioan 3.

Rom. 10.

Faci:m

Faciam vt faciatis. Quando facimus opus gratiæ, tunc illud opus nostrum est, tametsi à gratia. Denique sic rectus vsus donorum gratiæ & noster est, quia nos illis rectè vtimur; & Dei est, quia ex ipso & per ipsum, per adiutorium gratiæ eius, donis Dei rectè vtimur. Dixit Paulus, *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Ad quæ verba Augustinus: *Non quia ipse nihil boni agebat, sed quia nihil ageret si illa non adiuuaret*. *Ter ió* (ait Caluinus) *egamus quicquam nos operibus mereri, quæ semper mutila sunt & vitiosa*. Respondeo: neque opera solius Dei mutila ac vitiosa esse possunt (opera autem piorum iusta & recta, iuxta Caluinum, sunt vnius Dei opera, qui totum in nobis operatur, nobis nihil cooperantibus & sic ipsa seipsam Caluini doctrina cõficit; neque opera filiorum Dei, quibus iuxta sanam doctrinam gratiæ diuinæ cooperãtur, & quatenus cooperantur, vel ex vllo peccato admixto vitiosa sunt, vel ex vlla imperfectione adiuncta sic mutila sunt, vt propterea mereri desinant: quando nec carnis vitiositas, sed regenerati spiritus nouitas cooperatur; nec plena perfectio (à qua illa defecit imperfectio) viatorũ est, sed possessorum tantùm; non in hac vita militantium, sed in altera vita triumphantium; vt clarè & copiosè contra* Pelagianos docuit S. Augustinus.

Ezech. 36.

1. Cor. 15.

Epist. 106

Caluinus ex seipso refutatur.

Opera iustorũ non sunt sic mutila aut vitiosa vt non mercantur.

* Cont. 2. epist. Pelag. lib. 3. cap. 7. de peccator. mer. & rẽ. lib. 2. cap. 13. & 15.

Pergit Caluinus; *Conciliant quidẽ nobis bona*

opera

opera gratiæ augmentum, sed non suo merito. Con-
Epist 105. trà S. Augustinus: *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.* Sed suam sententiam probare vult Caluinus: *Accepta enim Deo esse nequeunt, nisi cum venia quam fidei beneficio impetrant. Quare sola est fides quæ pretium illis statuit.* Primariũ hoc est Caluinianæ sentẽtiæ contra operum merita firmamentum, sed duplici errore grauidũ. Omnia iustorum opera bona, quæ verè talia sunt, sine venia accepta sunt Deo, *& placita illi in odorem suauitatis*, vt scriptura nos docet. Veniam verò beneficio solius fidei nulla opera impetrant, sed beneficio Christi & meritorũ eius, non quatenus in Christum credimus, aut eo solo nomine (quod sibi stultissimè & impiè finxerunt hodie hæretici) sed quatenus credentes Deum per Christum humiliter pro venia inuocamus; quatenus credẽtes Deum diligimus, & eius mãdata facimus. *Hoc modo* (inquit Caluinus) *quòd Deum eleemosynis suis ac precibus fauentem Cornelius habuit, id iam ex fide pendebat.* Ex fide quidem, quatenus sine fide nulla bona opera placere possunt, sed non ex sola fide, vt sola fides illis pretium boni operis attulerit, quando & ex se ipsis suaque bonitate pretiũ quoque habuerint. Quare Angelus non fidem sed ipsa opera Cornelij Deo fuisse accepta pronunciat. Fructus laudauit, radicem tacuit: quia fructus laudari solent, non radix. Nam sine fructibus

Opera iustorum, sine venia placent Deo.
Philip. 4. 18.
1 Ioan 3. 22.
Fides veniam operibus non impetrat.
Fides pretium operibus non adfert.

ctibus radix esse potest, sine radice propria fructus esse nō possunt. Nec radix ad vtilitatē sed ad necessitatē facit. Necessaria est radix: fructus ipsos carpimus. Necessaria est fides, *& sine ea impossibile est placere Deo*: sed fructus bonorum operum *placent sunt Deo in odorem suauitatis, & reddet vnicuique Deus secundùm opera sua*. Præterea sicut opera æstimantur ex fide (sensu quo dictum est) sic & fides æstimatur ex operibus. *Fides enim ex operibus consummatur* (ait S. Iacobus) *& sine operibus mortua est, sicut corpus sine spiritu mortuum est*. Vnde sicut magis æstimatur corpus ex spiritu, quàm spiritus ex corpore, quum istud materiæ, ille formæ rationem habeat; sic magis æstimatur fides ex operibus, quàm opera ex fide: quum hoc nisi fundamenti necessitatem dicat, illa totius ædificij perfectionem adferant. Vnde & in Euangelio, qui posuerat fundamentum fidei Christianæ, sed bona opera non superædificauerat, omnium ludibrio exponitur dicentium: *Ecce hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere*. Quare vt D. Paulus opera Abrahæ aliorumque veterum iustorum ex fide meritò æstimauit, sine qua placere Deo non poterāt; sic vicissim D. Iacobus fidē Abrahæ ex operibus æstimauit, quibus *eius fides cōsummata est*, & sine quibus eius fides inanis & mortua fuisset. Imò ipse Paulus sic fidē ex operibus æstimauit, vt verā in Christo iustificantem

Hebr. 11.

1. Ioan. 3. 22. Rom. 2.

Iacob. 2.

Fides ex operibus magis æstimatur quàm opera ex fide.

Luc. 14. 30.

Hebr. 11.

Iac. 2.

Gal. 5. tem fidem, illam esse definiat *quæ per charitatem operatur*.

Pergit Caluinus: *Perrò si fide æstimantur opera, indulgentiæ est, non meriti, quòd Deo probantur*. Vt demus antecedens, quod falsum esse docuimus; quomodo tamẽ, quod ex eo cõsequi vult, probet attendamus. *Nam quia nihil in nobis dignum inuenit fides cur Deo placeamus, à Christo mutuatur quod nobis deest: ergo si fide æstimãtur opera, indulgentiæ est, non meriti, quòd Deo probantur*. Nec antecedens vlla veritate subsistit, nec valet consequentia. Fidem à Christo mutuari quod nobis deest, spectrũ est cerebri Caluiniani & Lutherani, aliorumque nostri temporis hæreticorum, qui fidem definiunt promissionem Dei seu apprehensionem seu persuasionem. At talem fidem nec scripturæ docẽt, nec Ecclesia tradidit. Fides in Scripturis tradita, illa virtus diuina est, qua credimus Deo non promittenti tantùm, sed & comminãti, aut quamlibet aliam veritatem reuelanti. Deinde si fides ista apprehendẽs statuatur, non propterea omne mutuatur à Christo quod nobis deest, tum quia iuxta huius fidei figulos & architectos nihil aliud mutuatur præter mortem Christi, & beneficium redemptionis; tum quia in beneficio redẽptionis non omnia continentur quæ nobis desunt, nisi tanquam in radice, seu principio, seu fonte generali; ideoque alia quàm plurima gratiarum

Fides apprehẽdẽs, spectrum hæreticõrũ hodiè.

Fidẽs hæreticorũ non omnia à Christo mutuatur quæ nobis desunt.

rum Dei dona adhuc nobis in particulari desunt, quibus Christi beneficio gaudeamus; ipsa inprimis charitas, & tota mandatorum Dei obseruatio, sine qua Christi beneficium (vtcumque & quomodocumque fides illud apprehendat) nobis erit inutile. *Christus* enim *per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi*: vt obtemperare & obedire mãdatis oporteat, si Christi mortem nobis esse volumus salutarem. Vnde non sola fides, sed ipsa maximè charitas (vnde propriè sumus filij adoptionis) beneficium mortis Christi nostrum facit, nobisque appropriat. Præterea, non quia nihil in nobis fides dignum inuenit, ideo omnia mutuatur à Christo, sed *ideo primùm fides datur* (ait Augustinus) *vt ex ea impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur ex quibus iustè viuitur*. Salutis exordium fides est. Ante acceptam fidem nullum opus Deo placet. Non propterea fides omnia à Christo mutuatur in sensu Caluini, vt soli fidei, & propter solam fidem, sine vllo operum merito, totum Christi beneficium à Deo tribuatur, sed propterea ex fide debent omnia bona opera veluti ex radice & fundamento proprio promanare, vt coram Deo ad salutem valeant. Sic antecedens Caluini propositio nulla veritate subsistit.

Hebr. 5.

De prædest. sanct. cap. 7.

Consequẽtia etiam inualida & vana est. *Tametsi enim fide æstimarentur opera,

*Fides sola nõ iustificaret, tametsi ea opera æstimarẽtur.

non tamen sola fide, vt dictum est. Imò tametsi fides in sensu Caluini omnia à Christo mutuaretur quæ nobis desiunt, id est, tametsi tota Christi iustitia, sanctitas, & redemptio pro nobis facta soli fidei imputaretur, solis (inquam) credentibus quatenus sic credunt, id est, quia sic apprehendunt, sibique persuadent se per vnum Christum saluos fore (hic enim est Caluini sensus) non tamē sequitur, opera bona, etiam talis fidei, ex sola indulgentia & non ex merito Deo probari. Nihil enim impedit, quin & ipsa quoque opera, etiam talis fidei (si vera fides esset) augmentum gratiarum (de qua hic disputatur) adeóque ipsam salutem à Deo posset promereri: quando fides ipsa & obedientia fidei opus iustitiæ est, Deo gratum, acceptum, & meritorium, vt multa in Euángelio exempla nos docent. Sed & ideo vana est consequentia, quia nihil hoc totum ad fidem Cornelij, cuius opera Caluinus vult ex sola fide æstimari, & ex sola fide pretium accipere, quando Cornelius adhuc in Christum nō credebat, ideo à Christo mutuari non potuit quod illi deerat. Huiusmodi futilissimis argumentis primarium causæ Caluinianæ contra operum meritu firmamentum, primaria speculatio nititur.

Pergit Caluinus: *Est autem hoc plusquam peruersum, quòd quum nomen meriti subinde in*

ore

ore habent Papistæ, & inani fiducia stultos inflare non desinunt, nihil tamen afferunt quo incitentur hominum studia ad agendū: semper enim in suspenso relinquunt hominum conscientias: placeant Deo nec ne opera dubitare iubent. Alia hæc via est doctrinam de meritis operum taxādi, sed planè insulsa. Catholici sicuti docent iuxta Scripturas bonorum operum merita, sic pariter iuxta easdem docent non confidere in meritis suis, nec inani fiducia inflari; sed semper *cum timore & tremore salutem suam operari*, quia videlicet *Deus operatur in illis & velle & perficere*, id est, quia tametsi bona opera verè multum mereantur coram Deo, tamen executio & perseuerātia bonorum operum non à nobis aut à nostris viribus, sed à Dei gratia pendet; quæ in manu nostra non est, sed ab eius beneplacito expectanda. Hæc saluberrima doctrina meritis operum non aduersatur, sed necessaria & salubris est circa bonorum operum merita consideratio. Atqui ait Caluinus, *sic in suspenso relinquuntur hominum conscientiæ, & dubitare iubentur placeántne sua bona opera Deo nec ne.* Mentitur & fallit. Non iubentur dubitare, sed bene atq; optimè sperare, quòd placeant Deo opera ipsorum bona, ideóque viriliter agere & confortari, iuxta illud: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Et iterum: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Vnde

Meritis operum timor bene operādi nihil præiudicat.

Philip. 2.

Conscīē. tiæ Catholicorū nō relinquuntur in suspēso.

Psal. 26.

Psal. 30.

non in ſuſpenſo relinquuntur, ſed in firmâ ſpe, quæ non confundit, ſtabiliũtur Catholicorum conſcientiæ. At verò quia fiducia & certitudo Caluiniana, id eſt, impia præſumptio, Catholicis diſplicet, idcirco alterum extremum perpetuæ dubitationis illis impingitur. Hæ ſunt Caluini artes.

Sed quid adhuc in eo ſequatur videamus. *Vbi talis animi trepidatio occupat, an non deſides & ignauos flacceſcere neceſſe eſt?* Cui reſpondeo: Si trepidatio de operum bonitate, vel, vt Philip. 2. Apoſtolus loquitur, *timor ac tremor circa ſalutis operationem*, ignauos ac deſides facit; quáto magis tota bonitatis operum negatio, quam Inſtit. lib. 3. cap. 17. num. 3. Caluinus ſtatuit, (affirmat *omnia iuſtorum opera bona magis probrum quàm laudem perpetuò mereri, & peccatis magis quàm virtutibus accenſenda eſſe*) deſides & ignauos omnes Caluiniſtas neceſſariò faciet! Sed vt hanc ter impiam ſuam ſententiam tegat hoc loco Caluinus, ita proſequitur, totamq; tandem diſputationem concludit: *Nos verò, & ſi meritum operibus detrahimus, tamen docemus repoſitam eſſe illis mercedem, optimo ſtimulo incitamus ad rectè viuendi ſtudium homines. Tunc enim demum alacriter ad ſeruiendum Deo nos accingimus, quum perſuaſi ſumus operam nos minimè ludere.* Vide Caluinus ſuis repugnantijs lectorem ludificat. fraudulentam impoſtoris artem. Ait ſe docere *repoſitam bonis operibus mercedem*, tametſi meritum illis detrahat. Sic alibi eadem arte vſus: *Nos nulla meriti mentione, ſingulari tamen conſo-*

consolatione, fidelium animos nostra doctrina erigimus, dum eos docemus in suis operibus Deo placere, indubieq; acceptos esse. Vtrobique vel pugnantia loquitur, vel verbis lectorem ludificat. Si enim merces bonis operibus reponitur, ergo meritum illis detrahi non potest, quod mercedi necessariò respondet. Sic gratiam à mercede distinguit Apostolus, vt in mercede debitum ponat, gratiam solam neget. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam*, supple, solam & puram, *sed secundùm debitum*: quia videlicet operanti merces veluti debita, & (vt alibi loquitur) veluti *à iusto iudice redditur*. Si ergo merces vt debita redditur, & per modum iustitiæ; opus illud, cui redditur, non puræ & solius gratiæ, sed etiam meriti vim ac rationem habebit. Nemini enim merces debetur, nisi quam aliquo opere promeretur. *Dignus est operarius mercede sua*. Denique non alio sensu merita operum prædicant Catholici, quàm quia merces iusta à iusto iudice illis retribuitur. Si (vt loco posteriùs citato Caluinus scribit) *non est cur vnciam nobis in bonis operibus vendicemus*; quomodo nunc *repositam esse illis mercedem* agnoscit? Merces quippe debiti rationem habet, iuxta Apostolum; ideoque eam sibi opera bona vendicant. Hæc igitur vna & manifesta doctrinæ Caluinianæ repugnantia. Sequitur altera. Ait se docere fideles, *in suis operibus Deo placere, indubieque acceptos*

Instit. lib. 3. c. 15 num. 7.

Mercedi meritum necessariò respondet.

Rom. 4.

2. Tim. 4.

Matth. 10

Alia Caluini repugnantia.

ceptos esse. Quomodò igitur eodem in libro paulò pòst dixit, *opera seruorum Christi probrum magis quàm laudem perpetuò mereri, & omnia fidelium opera imperfectione inquinata peccatis magis quàm virtutibus accensenda fore, nisi ea Deus cum venia susciperet, non imputata imperfectione illa qua inquinantur?* Quomodo Deo indubiè placent quæ probrum merentur, non laudem? An Dei iudicium secundùm veritatem non est? Si *secundùm veritatem est eius iudicium*, quomodo indubiè accepta habet, quæ indubiè acceptanda nõ sunt, quia probrum merẽtur magis quàm acceptationem? Quomodo mercedẽ operibus reponit Deus, quæ non nisi cum venia susciput? Venia peccatis datur, merces virtuti rependitur. Aut igitur operibus iustorum bonis nulla merces rependitur, aut falsum est, illa, quatenus talia, cum venia susci pi, & peccatis magis quàm virtutibus accensenda esse. Alia igitur hæc repugnantia est.

Cap. 17. num. 3.

Rom. 2.

Sed vide nunc vt lectorem suum ludificet. Ait se *optimo stimulo homines ad bene viuendum incitare, quia docet repositam esse bonis operibus mercedem*. At quæ tãdem hæc merces est? An vita æterna, de qua Christus dixit, *Merces vestra copiosa est in cælis?* an augmentum gratiarum, de quo dictum est, *Habenti dabitur?* Nihil minùs. *Alacriter* (inquit) *ad seruiendum Deo nos accingimus, quum persuasi sumus operam nos minimè ludere*. In qua phrasi lectorem

Alia Caluini ludificatio.

Matth. 5.

Matt. 25.

rem ille mirè ludificat. Longè quippe aliud, diuersum, excellentius, & ad bonorũ operum stimulum excitandum fortius & accõmodatius est, bonis operibus *iustam mercedem, copiosam, & æternum gloriæ pondus* retribui, vt Scripturæ loquuntur; quàm, vt iste impostor loquitur, *operam minimè ludere?* Deus Pater vocans in vineam suam operarios, non dicit illis, Operam minimè ludetis; sed ait, *Quod iustum est, dabo vobis*; & conuenit cum eis *de denario diurno*, id est, de vita æterna retribuenda. Rogo Caluinistas omnes, an ad labores & operas conducendi pro eodem habeant, si dominus & conductor dicat, Dabo tibi iustam mercedem, talem ac talem; vel si dicat, Operam minimè ludes. Sanè qui sic se conduci pateretur, aut qui tam simplici promissione proposita alacriter ad seruiendũ domino conductori se accingeret, Caluinistarum neminem esse existimo. Atqui perpetua hæc est Caluini phrasis, vt veri nominis mercedem à Deo promissam eludat. Sic ad illa Christi verba, *Reddet vnicuique iuxta opera sua*, ita scribit: *Animantur fideles ad rectè agendi studium, dum certi sunt se operam non ludere.* Sic ad alia Christi verba, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*, eodem modo lectorem ludificat: *Ne fatigemur bene agendo, pronunciat Christus non irritum fore eorum laborem, qui se fideliter in sua vocatione exercuerint.* Et iterũ: *Con-*

2. Tim. 4. Matth. 5. 2. Cor. 4.

Matt. 20.

Mercedẽ bonorum operum qua arte Caluinus eludit.

In Harm. ad Matt. 16 ver. 27. cap. 25. vers. 21. & 33.

cipienda est bonis alacritas, quia intelligunt se minimè operam ludere. Sic ad alia rursum Christi verba de separatione iustorum, *Huc*, inquit, *tendit Christi sermo, vt sciant fideles piè & innoxiè viuendo se operam non ludere, quia tandem apparebit discrimen.* Et paulò pòst: *Est non vulgaris exhortatio ad patientiam, dum certò persuasi sumus homines non frustra se tendere.* Ad quas eius ludificationes vide quæ in Antidotis nostris Euangelicis ad eadem Christi verba diximus. In hac refutanda Caluini disputatione prolixior fui, quia contra merita operum primaria hæc est, perpetua, & millies repetita Caluini & aliorum speculatio.

Ad Matth c. 16 v. 27. & cap. 25. vers. 21.

34. *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gẽte, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Acceptio personarũ quæ non cadit in Deum.

NOn loquitur hîc Beatus Petrus de illa acceptione personarum quæ vitium est, & iustitiæ opponitur, quasi aliquando cogitauerit Deum duobus similiter promerentibus similiter nõ retribuere; sed loquitur de illa acceptione personarum quæ ad electionem & optionem gratuitam pertinet, quia Iudæi, sub quorũ persona, & propter quos astantes ista loquitur Petrus, semper existimauerant Deũ sic solùm populum Iudæorum præ alijs omnibus gentibus elegisse, vt sicut olim soli Iudæi, aut eorũ proselyti, ad Synagogam pertinebant; sic & nunc

nunc soli Iudæi, aut eorum proselyti, ad Ecclesiam pertinerent, & ad redemptionis per Christum participationem (cæteris omnibus neglectis) vocandi essent. Dicit igitur Petrus ad instructionem astantium Iudæorum, & ad consolationem Gentilium, *se iam in veritate comperisse*, id est, manifestis argumẽtis tam factę sibi reuelationis, quàm factæ Cornelio Euangelicæ admonitionis, deprehendisse, quòd ad sui nominis cultum & gratiam non solos Iudæos, veluti personas singulariter electas, Deus vocaturus erat; sed contrà, *quòd ex omni gente* & populo, siue Iudæo, siue Græco, *quicunque timent Deum, & operantur iustitiam* (quibus verbis vtriusque tabulæ perfectio, & vtraque Dei ac proximi dilectio continetur) *accepti sunt illi*; id est, apti & idonei sunt ad beneficium gratiæ Christi percipiendum, videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, & salutem. Notandum autem quòd duo dicat. Vnum est, non esse Deum personarum acceptorem, quia tam Gentes quàm Iudæos ad salutem vocat. Alterum est, eos vocari *qui timent Deum, & operantur iustitiam*; quod non est sic intelligendum, quasi non alios vocet, quum innumeri peccatores flagitiosi & scelerati, qui nec Deum antè timuerunt, nec vllam operati sunt iustitiam, ex pura Dei misericordia ad salutem vocentur; neque sic intelligendũ, quasi timentes Deum,

Operãtes iustitiam ad fidem vocari, quo sensu verum.

& iustitiâ operantes, vel ex eorum operum merito vocentur, vel sine fide & speciali Dei gratia Deum timuerunt, ac iustitiam operati fuerunt: sed obseruans Petrus duo, vnum, vocari Gentes ad fidem; alterum, vocari istum Cornelium hominem timentem Deum, & operantem iustitiam; vtrumque pronunciat: prius quasi cum admiratione ad instructionem Iudæorum astantium, posterius per modum exhortationis. Neque enim de posteriori isto Iudæi ipsi bene instructi vnquam dubitauerunt. In istis igitur duobus Petri dictis duo notanda sunt. Primum est Pelagij error, qui propter gratuitam electionem, qua Deus hunc trahit, illum non trahit, Deum esse personarum acceptorem clamitabat, vt his verbis docet Augustinus: *Quòd personarum acceptorem Deum esse credere existimat, si credant quòd sine vllis præcedentibus meritis, cuius vult misèretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit; parum attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato.* Hæc ille. Docet, Pelagium hoc sensu Deum acceptorem personarum existimasse, quòd præueniétem congruam gratiam, quam illi negabant, Deus quibusdam daret. Vnde postea ibidem de illis dicit: *Ita se fatentur ad habendam seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, vt sui præcedat aliquid meriti; quasi priores volentes dare, vt retribuatur illis*, &c. Propter hanc igitur præuenien-

Pelagij error circa acceptionem personarum in Deo. Epist. 105.

nientem gratiam, à Pelagianis propriè negatam; & quæ maximè propriè gratuita est, prorsúsque indebita, acceptorem personarum esse Deum illi impiè admodum existimabant. Et hoc sensu negat iam Petrus acceptorem personarum esse Deum; non quidem respectu cuiuslibet personæ, vt Pelagiani, (quum etiam stante Synagoga multi particulares Gentiles Iudæorum proselyti fierent, & in fœdus populi Dei adsciscerentur) sed tantùm respectu totius populi Iudaici seu circumcisi, & totius gentilitatis toto orbe dispersæ, non circumcisæ.

Alterum hoc loco notandum contra horum temporum hæreticos est, affirmari & doceri hîc à Petro acceptos esse Deo, ad salutem videlicet consequendam, eos qui timent Deum, & operantur iustitiam, id est, qui ex præuenienti & speciali Dei gratia vtrumque præstant, tametsi nondum iustificati, nec primam gratiam adepti, quæ remissio peccatorum per Christi sanguinem est: quod propter Cornelium dicit Petrus, qui Christi fidem adhuc penitus ignorans, vir erat *religiosus, & timens Deum, orationes & eleemosynas faciebat, quæ Deo acceptæ essent*, & ita acceptæ, vt eorum non quidem merito aut debito, sed intuitu & consideratione benigna, diuinæque misericordiæ congrua, veluti præparatione & dispositione commoda, ab Angelo visitaretur, ad Petrum mitteretur; ad

Præparationes ad primam iustificationem probãtur.

tur, ad Christi fidem adduceretur. Nempe vt gratiam præuenientem nullum meritum, adeoque nulla ex parte nostra dispositio præcedit, ita gratiam iustificantem aliqua semper in adultis hominis præparatio præcedere debet, sed sensu iam dicto. Quam quidem præparationem, à quibusdam Scholasticis *meritum de congruo* vocatam, Augustinus contra Pelagianos veluti Pelagianam aliquam sententiam (vt volunt hodie hæretici) nunquam refutauit aut damnauit, vt doctè & rectè ex varijs Augustini locis ostendit Andreas Vega. Tametsi enim Deus bono vsui liberi arbitrij præuiso alligatus non fuerit, vt eo ab æternitate præscito debuerit propterea ad iustificantem gratiam vocare quos præuenienti sua gratia rectè vsuros præuidebat, sed potuit stante illa præuisione, salua iustitia, eos nō vocare; tamē ad huiusmodi multa Deum pro suæ bonitatis æquitate de facto respexisse, tū aliæ Scripturæ docent, vt suis in locis annotauimus, tum hoc loco D. Petrus affirmat. Quod totum (vti dixi) cōtra hæreticos notandum est, qui propter huiusmodi doctrinam, consolatione plenam, hunc locum variè contaminant.

De Iustific. lib. 8. cap. 12.

Primùm, quod de Dei timore & operatione iustitiæ Petrus dixit, magna cum impudentia ad solam fidem trahunt. Sic hoc loco Bullingerus. *Sunt*, inquit, *timere Deum, & opera-*

Bullingeri fœda corruptela.

& operari iustitiam, effectus fidei, quos posuit Petrus pro ipsa fide & causa, & est simplex huius loci sensus, sine delectu personarum omnes gentes gratas esse Deo propter fidem quã in eum habent. An non hæc pulchra est hæreticorum Theologia? Quia ponitur sæpe in Scripturis causa pro effectu, veluti nobilius pro eo quod ignobilius est, vt meritò tribuatur causæ quicquid tribuitur effectui, causæ, inquam, propriæ & adæquatæ, ideo viciſsim colligunt effectum poni pro causa, & illud tribui effectui quod debetur causæ, causæ quoque nec propriè, nec adæquatæ, sed impropriæ & partiali: Neque enim operum bonorum fides causa propria est, sed gratia Dei & voluntas operantis. Nec rationem causæ improprię, quatenus velut radix & principium est (quæ non est causa propria, vt efficiens ac formalis causa sunt) plenam & adæquatam habet, sed partialem tantùm, idque inter partiales causas inferiorem: principium enim, radix, & origo omnium bonorum operum charitas est nõ secus quàm fides, imò magis charitas quàm fides. Fides enim per charitatem operatur, non charitas per fidem. Fides fit operatoria, actuosa, viua beneficio charitatis, quæ formal eam, & in actũ educit. Charitas non fit operosa beneficio fidei, quasi eam informantis, aut in actum educentis, sed in fide fundatur, & ex fide operatur. Denique quum fides intellectum purificet & dirigat,

Charitatis & fidei collatio.

dirigat, charitas verò voluntatem accendat & inflammet; quis non videt operis boni potiorem causam esse charitatem quàm fidem? Aut quis dubitat operationum principium esse voluntatē, sicut speculationum principiū intellectus est? An fortè propter hæreticorum placita etiam ipsum rationis humanæ lumen extinguendum est? Vide ergo quot modis hæc explicatio fallax & absurda est. Nec effectui tribui solet quod causæ debetur, quum latiùs hæc pateat, nobiliorque existat quàm effectus; nec bonorum operum causa aut propria, aut adequata fides est, sed partialis tantùm & impropria: vt ei propterea tribui nō debeat, quod bonis operibus tribuitur. Deinde, iuxta hāc pulchram explicationem, quoties in Scripturis vel iubentur vel commēdantur opera bona, toties non illa sed illorum nomine fides iubetur & commendatur. Inuenta est ratio omnem Christi doctrinam de pietate in Deum, & iustitia erga proximum, vno fidei verbo euacuandi. *Beati pauperes spiritu*; id est, qui credunt. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*; id est, qui fidem appetunt. *Beati pacifici*; id est, credentes. *Beati mundo corde*; id est, qui fidem in corde habent. *Beati mites*, *Beati misericordes*; id est, credentes. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; id est, fidem habe. *Possidete regnum; Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*; id est, credidistis enim in me.

Corruptelæ hæreticæ vana impietas.

Matth. 5.

Matt. 19.

Matt. 25.

Et in-

Et innumera in vno Euangelio alia. Dixit quoque Apostolus: *Tria sunt hæc, fides, spes, charitas.* 1.Cor.13. Non est ita, ait Bullingerus: Vna fides hæc omnia sunt. Addidit Apostolus: *Maior horum charitas.* Contrà hæreticus: Maior horum fides, & adeò maior, vt hęc omnia non sint nisi fides, quia effectus ponuntur pro causa. Talis est Bullingeri hoc loco explicatio quum dicit, *Qui timent Deum, & operantur iustitiam, accepti sint Deo*: id est, *propter fidem grati sunt Deo.* An hac explicatione aliquid magis portentosum aut impium dici potuit? Eam tamen Marloratus omittere noluit, vt dignum esset patella operculum.

Non ita crasse hoc loco Caluinus, sed vafre admodum & astutè, in summa tamen non minùs impiè. Quæstionem proponit, *an opera bona Dei fauorem concilient.* Respõdet cum distinctione, *duplicem esse Dei respectum in hominibus diligendis. Priorem, qua homines impios reconciliat, quæ prorsus gratuita est, nulla habita operum ratione.* Quod verum est si *rationis* nomine meritum intelligamus, verum nõ est si eodem nomine præparationem & dispositionem accipimus: qua de re nuper satis diximus. *Posteriorem Dei respectum* ponit *in illis diligẽdis, quos iam sibi Deus adoptauit, & Spiritu suo regenerauit. Horum bona opera* dicit *Deo esse accepta & grata.* Rectè hoc totum. *Sed*, inquit, *hic aliud quæritur, præueniátne homo Dei gratiam*

Caluini astuta & vafra corruptela.

gratiam ſuis meritis, ſeque in eius amorem inſinuet: an verò quum tantùm odio dignus ſit, gratis initio & ſine operum reſpectu ametur. Mentitur ac fallit. Hoc iſto loco non quæritur. De prœueniente hac Dei gratia Petrus non loquebatur quũ diceret: *Ex omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Talem quippe Deus iam ſua gratia prœuenit. Nec timere Deum, & operari iuſtitiam, aliquis poteſt, vel Cornelius potuit, ſine prœueniẽte Dei gratia. Vnde de hoc Cornelio Auguſtinus: *Quidquid & antequam in Chriſtum crederet, & cùm crederet, & cùm credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne forte quis extollatur.* Habuit igitur Cornelius, quum Deum timeret, ac iuſtitiam operaretur, hanc prœuenientem Dei gratiam. De eo autem iam timẽte & operante iuſtitiam ait Petrus, quòd acceptus erat Deo. Quæritur igitur quomodo tanquam vir timens Deum, & operator iuſtitiæ, antequam in Chriſtum credidiſſet, ſic acceptus erat Deo, vt ſingulari Dei vocatione ad fidem Chriſti tanquam talis adduceretur. Hæc eſt huius loci propria quæſtio, quam in ſuperioribus ſatis (niſi fallor) diſcuſsimus. Hanc veram & propriam huius loci quæſtionem fugit Caluinus, & aliam fingit, vt aliquid aliud diſputans, prorſuſque extra chorum ſaltitans, ad rem præſentem diſputaſſe videatur. Mox enim multis repetit, *fidelium opera bona*

Quæſtionem ſibi fingit Caluinus à præſenti loco alienam.

De prædeſt. ſanct. cap. 7.

Loci præſentis propria quæſtio.

bona placere quidem Deo, sed ex fidei tantùm ratione, quæ à Christo mutuatur quod operibus deest, non ex ipsorum operum aliqua dignitate & merito. Quam eius futilem euasionem, perpetuam Caluini cantilenam, in præcedentibus refutatam dedimus. Pauca tamen hîc addimus. Primùm, fidē à Christo mutuari quod operibus deest, spectrum esse cerebri Lutherani, Caluiniani, profanam vocis nouitatem, doctrinam denique & traditionem hominum ab hæreticis hodie adinuentam, in nulla Scriptura traditam, in Ecclesia Dei hactenus inauditam. Deinde & illud addimus: *Quod operibus nostris deest*, duplicem sensum legitimum habere potest. Primùm, vt hoc nomine operum bonorum imperfectio quædā intelligatur, quatenus ex perfecta Dei dilectione non promanant, aut cum aliquo veniali peccato coniuncta sunt. Secundò, eius, quod fieri à nobis conueniebat, omissio & neglectio, non affectata, sed ex fragilitate nata. Neutrum horum fides à Christo mutuatur, in sensu Caluini, id est, sola fides, seu fiducia ac persuasio diuinæ beneuolentiæ. Vtraque sanè ex Dei per Christum indulgentia pijs ignoscitur. Quod aduertens August. scripsit: *Tunc omnia mandata implentur, quando quicquid non fit* (per negligentiam venialem, vel imperfectionem infirmam) *ignoscitur.* Hæc ignoscentia, hæc venia, hæc misericordia à Deo per Christum, id quod

Fidem à Christo mutuari quod operibus deest, vanum & profanum

Retract. lib. 1. cap. 19.

operibus nostris deest, supplet. Nec id sola fide mediãte, sed maximè illa fidelium omnium oratione interueniente, *Dimitte nobis debita nostra*. Vnde alibi Augustinus ait: *Quum hæc oratio exauditur, iustificamur*. Et alibi hanc ipsam ob causam ait, *ipsa Dei mandata pertinere ad orationem Dominicam, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra*. Atqui hæc oratio Dominica dilectionem proximi necessariò requirit. Vnde additur conditio: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Ita vt suppleatur per veniam quod operibus nostris deest, dilectio proximi inprimis requiritur. Vnde de hac dixit Petrus: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Adeò falsum ac prophanum est, solam fidem mutuari à Christo quod operibus nostris deest, idque manendo in eius propositionis legitimo sensu. Alium quippe planè Satanicum sensum his verbis coquit Caluinus, *id quod operibus nostris deest*, id est, vniuersam legis obseruationem, quæ nobis impossibilis est, fidem à Christo mutuari, quia ille pro nobis totam legem impleuit, & nos eius iustitiam fide apprehendentes, ab eo mutuamur quod nobis deest, vt omnis nostra legis transgressio per illam iustitiam tegatur, idque solius fidei beneficio. Contra quæ portenta alibi disputauimus. Vafer Caluinus maluit aliò disputationem conuertere, quàm rem præsentem tractare, in qua præparationes ad primam iustificationis gra-

Cont. Iulianum lib. 2. Cont. 2. Epist. Pelag. lib. 3. cap. 7.

1. Pet. 4.

Caluini vafricies.

nis gratiam manifestè doceri satis oculatè perspiciebat. Manet interea firmum, bona quædam ex fide & gratia Dei opera, vt orationes, eleemosynas, iustitiæ actiones, ante acceptam iustificantem gratiam, ante adoptionē in numerū filiorum Dei, acceptaDeo esse& grata, non quidē ad meritū, & ad regnū cælorū capessendū, sed ad legitimam & congruam subiecti dispositionem ac præparationem, quam Deus non ex debito, sed ex suæ bonitatis & misericordiæ largitate, ad huiusmodi finem acceptat.

37. *Post baptismum quod prædicauit Ioannes.*

TEmperare hîc sibi Caluinus non potuit, quin Catholicæ & orthodoxæ doctrinæ vnum ex multis, quos ad extremam vsque ætatem in malè sano suo capite radicitus infixos tenebat, caninum dentem infigeret. *Admonet* (inquit) *Petrus, Ioannis baptisma non fuisse mutum signum, quum dicit, Ioannem baptismum prædicasse. Et certè hoc in Sacramentis omnibus caput est, vt Dei verbum illic insculptum refulgeat, & clara vox personet. Quo magis detestanda est impia profanatio quæ in Papatu cernitur, quòd sepulta prædicatione Sacramenta magico tantùm murmure incantant.* Hæc canis ille; cuius latratum in Antidotis nostris Euangelicis cōpescuimus, vt hîc nihil repetere sit opus. Ostendimus eo in loco, verè detestandam esse impiam Caluini blasphemiam, qui verbi Euan-

Caluini blasphemia in baptismi formam à Christo institutā. Ad Marc. cap. 1. vers. 4.

bi Euangelici iuxta Christi institutum in baptismi Sacramẽto pronunciationem, quæ forma eius Sacramenti est, magicæ incantationis incusat. Ostendimus prædicationem verbi, quam fingit sibi Caluinus, cum verbo Euangelico Sacramentis proprio nihil habere cõmuneide quo & infrà aliquid dicendum erit. Ostendimus denique Ioannis baptismum non ita fuisse cum prædicatione coniunctum, vt ipsa prædicatio verbi pars ac forma aliqua esset ipsius baptismi: sed eo tantùm sensu prædicasse baptismum, quòd non solùm multos baptizauerat, sed etiam ad baptismum præmissa prædicatione multos exhortatus fuerat. Ostendimus postremò alio in loco, baptismum Ioannis, vnde hanc prædicationem verbi baptismo Christi necessariam probare Caluinus vult, à baptismo Christi toto genere diuersum fuisse. Ex quibus omnibus importuna ista & rabida in totam Christi Ecclesiam calumnia satis superq; refutata & reiecta videri potest.

A c.28.v.19.

Ad Marc. cap.1.v.4.

In Prom. Cathol. Dom.2. Aduẽtus.

43. *Huic omnes Prophetæ testimoniũ perhibent.*

PRæclarum hîc aliquid ex Brẽtio *Expositioni* suæ, vt vocat, *Catholicæ & Ecclesiasticæ* inserere voluit Marloratus, quod huiusmodi est: *Hoc* (inquit Brentius) *verè est allegare testimonium vniuersalis Ecclesiæ. Sunt enim multi, qui citaturi testimonium Ecclesiæ, nescio quos mores aut opiniones in Hispania, Gallia, Italia, inque aliis locis*

Brentij inepta cauillatio.

locis sibi consentientes commemorant. At hoc nondum est cõsensus vniuersalis Ecclesiæ, quod Hispani, Galli, & Itali vno ore comprobant, sed quod Prophetæ & Apostoli sentiunt. Hæc ille. Homo nasutus, quia Prophetarum testimonium Petrus allegauit, pulchrum sibi nactus argumentum videtur vniuersalis Ecclesiæ testimonium eludendi: quod veluti pulchrum & obseruatione dignum Marloratus prætermittere noluit. Sed vtriusque ineptiam paucis ostendam. Primùm, B. Petrus vniuersalis Ecclesiæ Christianæ testimonium in ipso Ecclesiæ exordio vix adhuc Iudææ fines egresso allegare non potuit. Deinde, si vt veteri populo Prophetas, sic nouo populo non solùm Apostolos, Euangelistas, Prophetas, ad prima Ecclesiæ fundamenta toto orbe ponenda, sed etiam Pastores & Doctores Deus dedit, idque ad perpetuam Ecclesiæ suæ ædificationem, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei*; quare non liceat, imò quis non videt necessarium esse, nõ secus nunc diffusa semel per orbem Ecclesia, Pastorum & Doctorum, qui eam toto orbe collegerunt, ædificauerunt, plantauerunt, rigauerunt, pauerunt, docuerunt, rexerunt, veluti vniuersalis Ecclesiæ testimonium & consensum, de Christo Christique doctrina allegare, quàm Petrus hîc Prophetarum testimonium allegauit? Quod enim veteri populo Prophetæ fuerunt, hoc

Ecclesiæ vniuersalis testimonium quale & quantum valet.

Ephes. 4.

Act. 20 nobis sunt Pastores, & Doctores, *quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam suam.* Quare hæc Petri allegatio vniuersalis Ecclesiæ testimonium adeò non infirmat, quod istis stolidis hæreticis visum est, vt illud maximè confirmet atque corroboret. Quare S. Augustinus sagacissimus doctor diserte profitetur, se in Christum credidisse propter totius orbis consensionem. *Quibus* (inquit) *testibus & docentibus de Christo crediderim, nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodùm celeberrimæ: hos autem populos Ecclesiæ Catholicæ mysteria vsquequaque occupasse.* Nec de sua tantùm fide ita loquitur, sed hominem hæreticum, atque à fide Catholica alienum, ex hac vniuersalis Ecclesiæ contempta consensione veluti definit. *Quicunque* (inquit) *ab Ecclesia ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quantumcunque diffundatur, vel in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia.* Quare Optatus Augustino cõtemporaneus, vniuersalis Ecclesiæ testimonium, cõsensum, & fidem (quam à solis Prophetarum & Apostolorum testimonijs petendam esse bonus Brentius suadere vult) ex locorum & prouinciarum (vbi Christiana fides vigebat) consensione colligit. Cùm enim varias gentes Christiani orbis enumerasset, tres Pannonias, Thraciam, Daciam, Mysiam, Achaiam, Macedoniam, totam

De vtilitat. cred. cap. 14.

De vnit. Eccles. cap. 4.

Lib. 2. contra Parmenian.

totam Græciam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Pamphyliã, Phrygiam, Ciliciã, tres Syrias, duas Armenias, Aegyptum, Mesopotamiam, in quibus Donatistæ non erant (vt in Italia, & alijs Europæ partibus, quas ideo non commemorat) Catholici autem erant, non secus quàm in illis alijs prouincijs pars Donatistarum erat; paulò pòst hunc in modum concludit: *Cùm manifestum sit, & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot prouincias nobiscum esse; iam videtis, vos in parte vnius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomẽ Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.* Hæc ille. Hoc est ergo vniuersalis Ecclesiæ testimonium iuxta hos doctissimos Patres. Addemus adhuc alios. Athanasius, doctissimus & exercitatissimus Arianorum Antagonista, cæterique Episcopi Aegypti, Thebaidis, & Libyæ in vnũ congregati, ad Imperatorem Iouinianum pro Nicænæ fidei defensione scribẽtes, eumque ad eam amplectendã hortãtes, hoc vniuersalis Ecclesiæ testimonium nec à veterum Prophetarum nec ab Apostolorum scriptis, sed à plurimorum orbis Christiani prouinciarum consentiente sententia, hunc in modum & his verbis deducunt: *Dedimus operam necessariò, vt fides in Concilio Nicæno roborata tuæ pietati traderetur; quo ipse intelligas, quanto in errore versentur hi qui fidem cõtrariam doceant.* Apud Theodoret. Eccles. hist. lib. 4. c. 3.

Nam pro certo scias velimus, Auguste sanctissime, hanc ipsam ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse. Hanc confirmarunt sancti Patres Nicææ coacti. Huic omnes vbique Ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, & Ecclesiæ Aegypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum, Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis quæ sectæ fuerunt Arianæ. Nã istarũ omniũ re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam, literasque ab illis accepimus; próque certo scimus, Auguste sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso. Hæc Athanasius cum cæteris Episcopis. Hoc est vniuersalis Ecclesiæ testimonium, quod à Pastorum & populorum Christianorum consensu peti, ita veluti rem nouam, insolitam, atque absurdam bonus Brentius demiratus est. Plura le-
Lib. 4. c. 3. ctor videre potest in opere nostro de principijs fidei.

Addit adhuc hoc loco Brentius (quasi in vna sententia semel insanire parum fuisset) aliud non minùs crassum & apertum delirium. *Locus*, inquit, *hic facit aduersus Iudæos, Turcas, & Papistas, qui alibi quàm in Christi nomine peccatorũ veniã quærunt. De quo nomine vide supra 4. v. 12.* Atqui eodem capite & versu supra tam contra Caluinum quàm contra

Brentij putida calumnia.

Bullin-

Bullingerum, quos in medium produxit Marloratus, hãc putidam calumniam abstersimus, & Catholicos non nisi in Christi nomine salutem quærere contra insulsa & puerilia eorum cauilla breuiter sed perspicuè ostendimus. Quid autem hos hæreticos dicere aut mentiri pudebit, quos tam fœdè & crassè mentiri non pudet, vt scribant negari à Catholicis Christum esse humani generis Mediatorẽ, quemadmodum Iudæi & Turcæ negant, quibus in hac parte Catholicos veluti in scelere pares cõiungunt & copulant? Alibi quippe quàm in Christi nomine peccatorum veniam Catholicos quærere, aut nesciunt isti noui sectarij, aut nescire se fingunt. Interim hoc impudente & effronti mentiendi audacia simplices & imperitos ita dementarunt, vt eodem penè loco Catholicos & Turcas plerique eorum sectatores nunc habeant.

44. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum.*

QVia Cornelius ante baptismum Spiritu S. donatus est, magnũ se argumentum nacti opinantur noui hodie sectarij, baptismi Sacramẽto diuini Spiritus & regenerationis gratiam non conferri. *Delapsus est Spiritus S. ante baptismum* (ait hoc loco Bullingerus) *vt palàm fieret & Iudæis, & Gentibus,*

tibus, iustitiam Dei nullis acquiri rebus externis. Nam & ante baptismum & sine circuncisione & ceremonijs donatus est Spiritu Sancto Cornelius. Hæcille. Acriùs, more suo, & mendaciùs Caluinus. *Papistarum*, inquit, *superstitionem validè hoc testimonium refellit, qui Spiritus gratiam signis alligant, eámque exorcismis non secus elici putant è cælo, quàm olim sagæ lunam suis carminibus detrahere se putabant. Atqui quum narret Lucas, Spiritu sancto iam fuisse donatos qui nondum baptismo initiati erant, Spiritum baptismo minimè esse inclusum ostendit.* Hæc Caluinus. Cui primùm Seorsim respondeo, hominem nimis reprehendendi auidum, dum vndique Catholicos ferire contendit, suo se telo confi-

Caluinus suo se telo conficit.

cere. Nunc enim quidem, vt Spiritus sancti gratia baptismum spolier, vult Cornelium Spiritu sancto donatum esse, ex eo quod Lucas narrat, *Cecidit super eos Spiritus S.* Atqui paulò antè ad eundum locum ita scripsit: *Differunt à gratia regenerationis hæc dona, quorum meminit Lucas.* Si ergo à gratia regenerationis illa dona differant, & gratia Spiritus S. quam in baptismo dari docent Catholici, non est alia quàm regenerationis gratia; profectò quòd Cornelius priùs Spiritu S. donatus dicitur, nihil probat contra baptismi efficaciam: nihil impedit quo minùs in ipso baptismo hanc gratiam regenerationis acceperit. Rursum suprà cap. 8. vbi dicitur *per impositionem manuum Apostolorum datum*

tum esse Spiritum sanctum, fortissimè sustinet Caluinus (vt contra eum eo loco disputauimus) *nihil aliud hoc fuisse, quàm externa & visibilia illa dona, loqui linguis, &c. ad ornamentum vel ædificationem Ecclesiæ data; nullam autem internam Spiritus sancti gratiam fuisse*; quæ videl. priùs per Philippum in baptismo data vel potiùs obsignata fuerit. Rursum igitur sequitur, ex eo quòd super Cornelium & alios ceciderit Spiritus sanctus, nihil concludi aut probari posse (in sensu Caluini) quòd postea baptizati regenerationis gratiam non acceperint. Non enim in textu apparet (stando in sensu Caluini) hanc internam & propriam Spiritus Sancti gratiam illos priùs accepisse. Ita, vti dixi, dum vndique ferire & nocere contendit Caluinus, sibi ipsi manus intulit, suas ipse assertiones & collectiones destruxit.

Sed nunc ad rem ipsam, & ad vtriusque collectionem breuiter ex S. Augustinos respõdemus qui hoc in Cornelio priuilegium baptismi virtuti & efficaciæ nihil derogare ante tot secula docuit. Sicut enim nihil derogat circumcisioni quòd Abraham ante circumcisionem iustificatus fuit; ita nihil derogat baptismo, quòd Cornelius ante baptismum sanctificationem spiritualem accepit. *Sicut in Abraham* (ait Augustinus) *præcesserit fidei iustitia, & accesserit circumcisio signaculum iustitiæ fidei; ita in Cornelio præcesserit sanctificatio*

Baptismi efficaciæ Cornelij priuilegiũ nihil derogat.

De baptism. cont. Donat. lib. 4. cap. 24.

tificatio spiritualis in dono Spiritus Sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. In vtroque præedens iustitia & sanctificatio, priuilegium & documẽtum erat ad vtriusque Sacramenti vim & efficaciam denegandam argumentum non erat. In Abraha & priuilegium erat, vt eo modo omnium credẽtium pater esset, tam ex præputio quàm ex circumcisione (sicut Paulus demonstrat) & documentum erat, non ex lege aut ceremonijs legalibus, sed ex fide in verum Deum per charitatem operante, hominem instificari. In Cornelio & priuilegium erat, quòd primus ex Gentibus ad fidem Christi vocatus, sanctificationis gratiam ante Sacramentum eius acciperet; & documentum erat propter conuersos Iudæos, sed legis adhuc zelatores, vt hoc extraordinario miraculo intelligerent etiam non circumcisos ad nouum fœdus pertinere, & ad pœnitentiam vocari. Hoc enim ipsum quum allegasset Petrus, dicens; *Cùm cœpissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut in nos initio; si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut & nobis qui credidimus, ego quis eram qui possem prohibere Deum?* statim his auditis *tacuerunt, & Deum glorificauerunt dicentes: Ergo & Gentibus pœnitẽtiam dedit Deus ad vitam.* Propter infirmos ergo conuersos Iudæos, & vt eorum animi hac nouitate minùs perturbarentur, deque zelo legis remitterent (*monstri quippe*

Abraham cur ante circumcisionem iustificatur.

Cornelius cur ante baptismũ Spiritum S. accepit.

Act. 11.

quippe loco habebant, ait infrà Caluinus, *Gentiles sibi aggregari, non secus ac si ex lapidibus homines formatos audissent*) extra ordinẽ factum est, vt primi Gentiles conuersi ante baptismum, & ante incorporationem Ecclesiæ, tam sanctificationẽ inuisibilem, quàm visibilia eius dona acciperent. Docet igitur hoc exemplum, vt alio in loco colligit Augustinus, *quòd inuisibilis sanctificatio quibusdam affuerit atque profuerit, possitque interdum adesse & prodesse, sine visibili Sacramẽto*, & quòd Deus non alligatur suis Sacramentis, quod vulgare Theologorum axioma est. Sed non docet visibile Sacramentum ideo semper esse expers gratiæ, aut nullam gratiam conferre, quia interdum & aliquando absque Sacramẽto confertur gratia: videlicet quando (vt vtroque citato loco Augustinus) *mysterium baptismi non contemptus religionis, sed necessitatis articulus excludit*. Denique obseruat sapienter Augustinus, Cornelium *inuisibili sanctificatione priùs donatum, Sacramentum tamen baptismi suscipere debuisse, quia salus hominis ex vtroque perficitur*, tam cordis cõuersione quàm baptismi Sacramento. Vnde & ipsum baptismum in Cornelio vocat *sanctificationem visibilem*. Manet ergo salua baptismi vis & efficacia ordinaria quam scripturæ docẽt, vt sit *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, vt per illum saluos nos fecerit* Deus, quatenus salutis adipiscendæ ianua & initium

In Leuit. lib. 3. q. 84

Cap. 25. lib. citati.

In Leuit. vbi suprà.

Tit. 2.

1. Pet. 3.

Ephes. 5. Gal. 3. tium erat, *vt in illo Christum induerimus*; vt denique *in hoc lauacro aquæ & verbo vitæ*, (verbo Euangelico quod ad elementum accedit) *Ecclesiam suam Deus quotidie inundet*. Nec inuisibilis sanctificatio Cornelio & socijs eius primitijs Gentium singulari priuilegio ante illum susceptum collata, sanctificationi, quæ per illum ordinariè confertur, quicquam derogat.

Ad hæreticorum odiosa verba quod attinet, quibus semper causam orthodoxam aggrauant; *nec rebus externis iustitiam Dei acquiri docet* Catholici, vt Bullingeri verba habet, vel absque vera & interna cordis conuersione, vel ex ipsarum rerum externarum aliqua virtute, quæ tota ex Dei instituto pendet, qui (vt alibi scripsit Caluinus) *symbolis externis liberè vtitur, vt testatum faciat tantum esse potentiæ in singulis creaturis, quantum ipse dare velit, & vt ostendat suo arbitrio subesse omnia*: nec *Spiritus gratiã signis alligant*, vt garrit Caluinus, addens spiritu Lucianico & ethnico nos *exorcismis Dei gratiam è cælo sicut sagas lunam carminibus elicere*; sed per signa quidẽ & Sacramenta à Deo instituta ordinariè Deum operari dicimus; licet extra ordinem absque illis omnem sæpenumero gratiam quibusdam cõferat. Exorcismi ceremonia in baptismo adhibita adeò peruetusta, & per totam Ecclesiam recepta ceremonia est, vt Cynici huius latratus omnes, tametsi veterum

In comment. ad Ioan. 9. ver. 6.

rum hæreticorum rabiem & furorem excedant, Pelagianorum scilicet, qui illam ceremoniam in tota Ecclesia vsitatissimam conuellere (ex qua tamen eorum error aperte conuincebatur) non sunt ausi, aduersus eam frustra, & non sine nota summæ infamiæ, post tot iam sæcula obganniant. Antiquitatis consensum contra similes Caluini grunnitus in Antidotis nostris Euangelicis produximus.

Vide August. de peccato orig. lib. 2. cap. 40. & de vnico bapt. cap. 14. & epist. 105.

In Matth. cap. 12. ver. 26.

CAP. XI.

3 *Quare introijsti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem.*

QVia B. Petrus, expostulantibus & scandalum non leue passis fratribus, facti sui rationem aperte & modestè explicat, duplex ex hac Petri modestia venenum fugit Caluinus. Primùm, nullam fuisse Petri supra cæteros authoritatem. *Quia* (inquit) *meminerat se vnum esse ex grege, non modò in ordine se cogi patitur, sed sponte Ecclesiæ iudicio se submittit.* Et in sua Institutione: *Quum accusatur quòd ad Gentes ingressus fuerit, etiamsi id fit immeritò, respondet tamen, & sese purgat.* Hæc ille. Atqui hoc factũ Petri insignem quidem modestiam & supremo Pastore dignam demonstrat, authoritati

Petri authoritas astruitur.

Instit. lib. 4. cap. 6. num. 7.

ritati eius supremæ nihil derogat. *Vide* (inquit in hunc locum Chrysostomus) *quomodo rationem reddit, & non vult doctoris authoritate vti. Sciebat enim quòd quo modestiùs loqueretur, hoc magis eis prodesset.* Hæc ille, sanior & sanctior interpres quàm diuinæ Scripturæ corruptor Caluinus. Sed & B. Gregorius idem animaduertit. *Petrus*, inquit, *Apostolorum primus, &c. querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit. Si enim, cùm à fidelibus cuparetur, authoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere sic poterat, vt Pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset.* Hæc ille. Laudatur ergo in hoc facto Petri modestia, mansuetudo, prudentia; facti sui rationem modestè reddit, aliorum querelis mansuetè respondet. Quod magis profuturum sciebat, in respondendo modū tenet. Authoritati aut primatui eius nihil derogatur: nec propterea *veluti vnus ex grege in ordinem cogitur*, vt insulsè garrit Caluinus. Nam iuxta hāc insulsam Caluini collectionem, non solùm primatum inter Apostolos nullum, sed nec apud populum fidelem Apostolatum vllum teneret; sed & cuiuslibet Pastoris loco excideret. Atqui vt propter hanc modestam facti sui rationem redditam Apostolus & Pastor esse non desijt; ita nec propter eandem

Homil. 24 in Acta.

Lib. 9. epist. 39.

Caluinii inepta collectio.

dem Apostolorum ac totius Ecclesiæ princeps ac caput esse destitit. Ita primo Caluini veneno facile antidotum dedimus.

Caluini procax in Rō. Pōt. sed futilis debacchatio.

Sequitur nunc alterum magis virulentum. *Vt demus* (inquit) *voluntariæ hoc fuisse submissionis, cur tamen ostensum sibi tale modestiæ exemplum non imitatur Romanus Pontifex, si Petri successor est? Quanquam non longo circuitu hic opus est. Nam si verum est quod in sacrilegis suis decretis vomunt Papæ, perfidè suæ sedis privilegia deseruit Petrus, atque ita Romanæ sedis proditor fuit. Postquā enim Papā totius mundi iudicē fecerunt, qui hominū iudicio nō subiaceat, postquā eum extulerunt supra nubes, vt, à reddenda ratione immunis, arbitriū suum ac libidinem pro lege habeat; mox sedis Apostolicæ patronū constituunt, qui eius priuilegia strennuè tueatur. Cuius ergo ignauiæ damnandus erit Petrus, si ius sibi à Deo collatū tam facilè cedendo abiecit? Cur non saltem obijciebat se legibus solutum esse, & communi ordine exemptum? Atqui nihil tale præfatur, sed rectà ingreditur in causam. Nos verò meminerimus nihil obstare, quominus idolum illud securè contemnere liceat, quando sibi tam effrenem tyrannidem vsurpans, se ex Episcoporū numero expunxit.* Hic est hoc loco rabiosi huius canis latratus, quem paucis compescam. Romanus Pontifex, Petri successor, D. Petri modestiam ac moderationem, quandocunq; causa fidei ac religionis agitur (qualis hæc erat à fratribus Petro proposita) ita luculenter & conspicuè obseruat, vt (quod

Eadem refutatur ac reijcitur.

toti orbi Christiano notũ est) nullam in cau-
sa fidei emergẽtem difficultatẽ, nullas Chri-
stianorũ hominũ circa fidem querelas, con-
tradictiones, oppositiones vel aliquando
reijciat (quoties rei grauitas id deposcit) vel
solus definiat, sed consultis fratribus, quos
hoc potissimũ nomine perpetuò apud se re-
tinet Cardinalitia dignitate præditos, viros
semper eruditione & sapientia conspicuos,
aliquando etiam alijs aduocatis viris vnde-
quaq; doctissimis, vel etiam Synodali facta
aliorũ Episcoporum coitione, de omni cir-
ca fidem quęstione grauiter ac maturè dispi-
ciat. Petri igitur hac in re modestiã & pru-
dentiam ad amussim imitatur. Nec vlla de-
creta Pontificia hanc Papæ authoritatem
tribuunt, vt de nulla fidelium dubitatione
ac quæstione dispiciat, consultet, tractet; vt
nullorum querelas audiat, quibus audiendis
perpetuam aurẽ præbet; sed vt semel ab eo
responsa ac definita nemo alius conuellat.
Sicuti & Petri satisfactioni semel factæ fi-
deles illi non restiterunt, sed statim acquie-
uerunt, glorificantes Deum; tametsi in causa
quæ illis absurdissima videbatur, & à qua
maximis animis abhorrebant. Nihil igitur
aliud quàm fallit ac mẽtitur Caluinus. Sed
nec Petrus ius sibi à Deo collatum cedendo
abiecit, vt iã ex Chrysostomo & Gregorio
adeoqué ex certa ratione ostẽdimus. Vide-
rit igitur Caluinus, & viderint Caluinistæ
omnes,

omnes, quàm securè Petri successores contemnãt, & illã Apostolicam Sedem ore sacrilego *idolũ* vocent, cui propriè & peculiariter *claues regni cælorũ Christus dedit*, cui totius ouilis pascendi curam triplici asseueratione commisit, cui denique cæteros omnes confirmandi potestatem tribuit. *Effrenem tyrannidem* quã memorat Caluinus, non Romani Pontifices, sed horum temporum Archihæretici, ipse inprimis Lutherus atque Caluinus exercuerunt, seque non ex Episcoporum modò, sed & omniũ membrorum corporis Christi numero expunxerunt. Quæ enim magis effrenis, tyrannica, & superba vox quàm illa Lutheri in fine libri de seruo arbitrio? Quia Erasmus cui in illo libro respondet, suam disputationem *Diatribam* inscripserat, quasi collationem de libero arbitrio inuestigandæ veritatis causa factam, Lutherus contrà hunc in modum concludit: *Ego in hoc libro non contuli, sed asserui & assero: & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo vt præstent obsequium.* Item in libro contra Regem Angliæ: *Ego certò scio me mea dogmata habere de cælo.* Rursum quæ magis effrenis, tyrannica, & superba vox quàm illa Caluini? *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum, nomina nos impediant, quominus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus num ex Deo sint.* Rursum alio in loco: *Nos sedula meditatione adhibita, sensum*

Matth. 16. Ioan. 21. Luc. 22.

Lutheri effrenis arrogantia.

In fine libri de seruo arbitrio.

Caluini vox effrenis & arrogantissima. Institut. lib. 4. c. 9. num. 13.

verborum Christi (Hoc est corpus meum) *amplectimur quem Spiritus Dei suggerit; quo freti, despicimus ex alto quicquid terrenæ sapientiæ contrà opponitur.* Adhuc alio in loco: *Non sum nescius quam à hîc appareat hominibus profanis & absurditas & repugnantia* (nempe Deum velle arcanâ quadam voluptate & operari peccata; quæ manifesta sua & reuelata voluntate prohibet fieri:) *Sed quicquid illi garriant aut allatrent, mea mihi conscientia instar mille testium est.* Denique non alia ex causa Caluinus cum suo Farello sententia 200. Senatorum Geneua expulsi sunt, quam quia, vt ille Senatus scripsit, *in libera ciuitate tyranni esse voluerunt, & quia nouum Pontificatum reuocarunt.* Quando igitur isti duo nefarij Archihæretici vllam fidei suę rationem reddent, quando vlli mortalium se submittent, quando vllius iudicio subiacebunt, qui *penes nullum volunt esse iudicium*, qui clamitant *se certò scire se sua dogmata habere de cælo*, vt Lutherus; qui *nec Concilia, nec Episcopos, nec Pastores* audit vllos, sed *omnium sententias examinare* vult; qui *omnes alios ex alto despicit*; qui *suam solam conscientiam instar mille testium* habet; qui propter tyrânidem affectatam Geneua pelli debuit, vt Caluinus? Quid est in causa fidei effrenem tyrannidem exercere, si hoc non est? Qui enim alium neminem audire vult, se ipsum ab omnibus audiri flagitat.

Ibidem c. 17. num. 25.

In lib. de æterna Dei prædestinatione.

Capito ad Farellũ in ter epist. Cal. epist. 6.

26. *Vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.*

CVR nominis discipulorum facta fuerit mutatio, & quæ sit huius noui nominis præstantia, operæpretium est aduertere. Causam mutationis factæ hoc modo describit Athanasius: *Quia multi nouorum dogmatum authores extiterant, doctrinæ obuiantes Apostolicæ omnes sectatores suos discipulos nominabant, nec erat vlla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, siue Christi, siue Dosithei, siue Iudæ cuiusdam, siue Ioannis sectatores, qui se quasi Christi Ecclesiæ venditabant; Apostoli cõuenientes Antiochiæ omnes discipulos vno nomine Christianos appellabant, discernentes à communi discipulorum vocabulo: & vt Domini per Esaiam oraculi sermo compleretur, quo ait, Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum.* Hæc ille, nominis quoque dignitatem obiter explicans: quod latiùs facit Ignatius: *Simus digni cognomento quod accepimus. Qui enim alio nomine cognominatur præter hoc, hic non est Dei; nec accepit prophetiam loquentem de nobis, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, & erit populus sanctus. Antiochiæ appellati sunt Christiani, quum Petrus & Paulus Ecclesiam fundarẽt.* Hæc ille. Etymologiam nominis accommodatè explicat Gregorius Nyssenus in serm. de professione Christiana. *Participatione* (inquit) *Christi, Christiani appellationem sortiti sumus. Ita & per consequẽs conuenit*

In Disputat. eõtra Arium. Christianorũ nũcupatio vnde & qualis.

Epist. 6. ad Magnesianos

Esai. 2.

Greg. Nyssenus.

uenit omnium quoque ſublimium nominum nos aſciſcere communionem & ſocietatem, vt quemadmodum in catena qui eum, qui in extremitate eſt, annulum attraxerit, eos qui continentur inter ſe cohærentes neceſſe ſit attrahi. Hæc ille. Vide plura de hoc nomine apud Euſebium lib. 1. cap. 1. hiſt. Eccleſ. Porrò vt propter primos illos hæreticos diſcipulorũ nomẽ in Chriſtianos conuerſum eſt, ſic propter multiplicatas poſtea tã varias hæreſes ſub nomine Chriſtiano, adiectũ eſt cognomen Catholicũ. De quo ſic Pacianus Barcilonẽſis Epiſcopus ante annos 1200. epiſt. 1. ad Sẽpronianũ Nouatianum: *Cùm poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, qui incorrupti populi diſtingueret vnitatẽ. Vnde Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit; hoc probor, inde ſignificor.* Hæc ille. Sanè S. Auguſtinus etiam hoc nomen ab Eſaia prædictum docet; *Redẽptor tuus ſanctus Iſrael, Deus vniuerſæ terræ vocabitur:* & concludit; *Tenẽtes ergo Eccleſiam quæ dilatatur per omnes gentes, non figmentum ſequimur humanũ* (hoc enim Donatiſta obijciebat) *ſed promiſſum factumque diuinum.* Hæc ille contra Gaudentium. Sanè in Symbolo Apoſtoli vtrumq; ſignificare voluiſſe vidẽtur dicentes: *Credo in Eccleſiam, ſanctam, Catholicam.* Vocata eſt *ſancta*, quaſi proprio nomine, quia non niſi fidelium ſocietas eſt, qui tempore Apoſtolorum vocabantur *ſancti*. Addita eſt *Catholica*,

Catholicũ cognomen.

Eſai. 54.

Lib. 2. c. 43.

Catholica, quasi cognomen quo inter ipsos sanctos, fideles Christianos, ab omnibus hęreticorũ Gregibus clara distinctio fieret.

Sed latratus Caluini etiam hoc in loco compescendus est. *Egregium* (inquit) *fuit vrbis Antiochiæ decus, quòd illinc nomen suum instar vexilli Christus protulit: vnde palã fieret toti mundo, populum esse aliquem qui Christum haberet pro duce, eiusque titulo gloriaretur. Quòd si haberet Roma talem superbiẽdi prætextum, quis insolentes Papæ & suorum iactantias ferre posset? Tunc non sine colore detonarent Romam esse Ecclesiarum omniũ matrem & caput. Sed bene habet, quòd tametsi nihil non sibi arrogẽt, quum ad rem ventum est, inanes prorsus deprehenduntur.* Hæc ille. Ingentem suum pruritum & rabiosam nocendi libidinem hoc etiam loco prodit insigniter Caluinus, qui ex occasione tam leui in Romanam Ecclesiam tam acerbè inuehitur. Fatetur ipse, si id Romæ accidisset quod hîc Antiochiæ factum narrat Lucas, habiturã Romam *superbiendi prætextum, nec sine colore Ecclesiarum matrem Romam videri posse.* Fuisset igitur hoc totum *prætextus* tantùm *& color* alicuius præeminentiæ in vrbe Roma. Nunc vide stolidi cauillatoris ineptiam. An quia *isto prætextu & isto colore* Roma caret, Antiochia gaudet, idcirco Antiochia Ecclesiarum mater habenda, aut Roma eadem habenda non est? An res tanta nudis prætextibus & coloribus nititur? Si totum hoc priuilegium

Caluini latratus in Ecclesiam Romanam.

Caluini stolida accusatio.

uilegium niſi prætextus & color eſt alicuius præeminẽtiæ (neque enim plus ei Caluinus tribuit) profectò nec Antiochia propter hoc priuilegiũ vlla præeminentia gaudebit, nec Roma illo carens vlla præeminentia carebit. Nec Antiochiæ dignitati, quoad primatũ ſupra cæteras Eccleſias aliquid ex eo conceſso acceſsit, nec Romæ ex eo negato aliquid deceſsit. Ad Caluini ineptiã demonſtrandam ipſa Caluini verba ſufficere poſſunt. Rurſum, an tam truncos & bardos Catholicos exiſtimat, vt propter *prætextus & colores tã inſolẽtes iactantias* proferrent, *quas ferre nemo poſset?* Quàm ridiculus amplificator Caluinus eſt, & quàm ſtolidos ſibi aduerſarios fingit! Addit ineptiæ ſuæ planè puerili vocem aliam extremæ demẽtiæ plenam: *Nihil non ſibi arrogant* (inquit) *qui Romam Eccleſiarum Caput & matrem affirmant; ſed quum ad rem venitur, inanes prorſus deprehenduntur*. Vaniſsimi hominis eſt mendacium prorſus impudẽtiſsimum. Pro Eccleſię Romanæ primatu & ſedis Petri ſuprema prærogatiua tum ex Scripturis diuinis tum ex tota Antiquitate Eccleſiaſtica, tam copioſè, grauiter, variè, tam multi ijdemq; eruditiſſimi Tractatores Catholici diſputarũt, tot libris hoc vnum argumentum, ſtudioſiſsimè proſequuti ſunt, vt craſsiſsimus porcus Caluinus eſse debeat, qui Catholicos in hoc argumento *prorſus inanes deprehendi*, dicere non

Caluini varia ſtoliditas.

Cal. mẽdaciũ impudens.

non erubescat. Solus de hoc argumento Roffensis noster, Episcopus & Martyr sanctissimus, diu ante Caluinum scribens, (vt alios multos taceam, ipsumque inprimis Thomam VValdensem nostrũ, qui & contra VViclephi insanias hoc argumentum copiosè tractauit) hunc fœdum eius grunnitum compescere potuit. Nunc autem ne sic amplius obganniant Caluinistæ, vnius Nicolai Sãderi nostri opus laboriosissimum de visibili Ecclesiæ monarchia vt attendere non grauentur, eos monemus.

CAP. XII.

3. *Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum.*

VT nullum non mouet lapidem Caluinus, quo Ecclesiam Catholicam passim infamet, suique scorti honorem tueatur; ita hoc in loco obseruans Herodẽ (qui & Agrippa maior vocatur) hanc in Apostolos persecutionem concitasse, *nec* (vt ille existimat) *legis Mosaicæ zelo* (cuius tamen maximo & ardentissimo zelo hunc Herodem affectum fuisse, tam ea quæ cum Caio gessit, ne eum pro Deo habere, eiusq; statuam templo Hierosolymitano inferre Iudæi cogerẽtur, quàm quæ sub

Philo Iudæus de leg. ad Caium. Iosephus Antiq. li. 19. cap. 5.

Claudio cum Petronio, Syriæ proconsule, contra Dorenses egit, qui in Iudæorum synagogas statuã Cæsaris intulerant, luculentissimè demõstrãt) *nec odio Euangelij, sed vt suis rebus consuleret, populique fauorem cõciliaret;* hũc in modũ declamat: *Nec alia hodie est nostra conditio. Nam quum certatim omnes in Christi membra insaniant, paucos superstitio incitat; sed alij se Romano Antichristo tanquam frugi mancipia venditant; alij rabiosis monachorum vel plebis clamoribus indulgent & obsequuntur: nos interim vilia capita eorum ludibrio subiacemus.* Hæc Caluinus de Hugonotorũ suorum in Frãcia persecutione, quæ sub Frãciſco primo & Henrico 2. aliquãtulum feruens citò deferbuit, illis duobus Regibus verè Christianissimis ad fatalem Frãciæ perniciẽ immatura morte sublatis. Sed recogitent nunc Caluinistæ an de illis in Anglia iam à 36. annis rerum gubernacula tenentibus nos Catholici Angli tantundem verissimè dicere non debeamus. Hæc enim certè à tot annis nostra cõditio est: & quũ certatim omnes qui rerum in Anglia potiũtur, in Christi membra, Catholicos maximè Sacerdotes, insaniãt, paucos admodũ superstitio Caluinistica & nefaria eius dogmata incitarũt; sed alij se Reginæ suæ (quã tamen primis annis sui regni inuitã ac reluctantẽ eò cõpulerunt) tãquam frugi mancipia venditant, & eius iniquissimis de religione legibus etiam reluctante conscien-

Persecutio Anglicana.

conſcientia ſubſeruiunt; alij rabioſis miniſtrorum clamoribus indulgẽt, & obſequuntur; alij denique priuatis commodis conſulentes eos deferunt, & ad necem vſque pertrahunt, ex quorum morte rem ſe facturos ſciunt: quo in genere nec frater fratri, nec filius patri, nec vxor viro parcit. Horum omnium exempla non pauca perſecutio hodie Anglicana ſuppeditat. Catholici interim veluti viliſsima capita omniũ nõ ludibrijs modò, ſed & iniurijs exponũtur: adeò ſanè, vt Catholico in ius vocato publica negetur iuſtitia. Sed (quod de ſuis Hugonotis vt veritatis ſimia ſubiunxit Caluinus) *vna eſt conſolatio quæ nos præclarè ſuſtentat; quòd ſanguinem noſtrum, rapinas & exilia noſtra, quibus probrosè mundus abutitur, ſcimus Deo pretioſa eſſe*, ſuaq́ue ampliſsima mercede non caritura: *imò quo indigniùs & magis contumelioſè ab impijs* hæreticis *tractamur, eo minùs nos deſeret Dei bonitas*: ſed virga ſua Aſſur, qua nunc Iſraelem percutit, tandem abiecta, & in ignem ſuæ iuſtæ maledictionis cõiecta, diſperſos populi ſui cõgregabit; & Inſulam illam quondam in fide florentiſsimam in priſtinum tandem pietatis decus reſtaurabit; vbi vid. completa fuerit iniquitas Amorrhæorum, & iuſtum Dei iudicium noſtra ipſorum iniquitas accendere deſierit. Potuit; iſte Herodes Agrippa decollare Iacobum Apoſtolum, ſicut alter Herodes Tetrarcha huius ſororius decollauit Ioan-

uit Ioannem Baptiſtam: ſed exitum acerbiſſimum vterque habuit; ille vermibus corroſus, vt hîc Lucas narrat, & copioſiùs Ioſephus deſcribit; hic tetrarchia ſua boniſque omnibus à Caio Cæſare exutus, & cum ſua Herodiade in exilium pulſus, mœrore animi conſumptus interijt. Qui horum tyrannorum facta imitantur, æquum eſt vt exitus ſimiles perhorreſcant: nec tam diu blandiente fortuna omnia ſibi ſalua promittant; *Altiſſimus enim eſt patiẽs redditor*, & tarditatem vindictæ grauitate compenſat.

Antiquit. lib. 19. c. 97.

Ibidẽ lib. 18. c. 9. & Egeſipp. de excid. Hieroſol. lib. 2. c. 5.

Eccleſ. 5.

15. *At illi dicebant: Angelus eius eſt.*

Angelorum peculiaris cuſtodia.

PErſpicuè probat hic locus (quod hæretici pertinaciter negant; diuinæ bonitati ingrati) dari à Deo vnicuiq; proprium Angelum ad peculiarem cuiuſque cuſtodiam. Chriſtiani fideles in hac domo collecti, quũ Petrum pro foribus ſtare ſuſpicari non poſſent, adeſſe tamẽ qui ſe Petrum diceret intelligerent, ex cõmuni ſenſu & conceptione fidelium dixerunt, *Angelus eius eſt*, illi videlicet proprius ac peculiaris, qui ad aliquid de eo nunciandum ad nos miſſus eſt. Neque enim dicere poterãt, *Angelus eius*, ſed, Angelus aliquis, dicere debebant, ſi non peculiarem Petri Angelum intelligerent, ſed generalem quandam Angelorum cuſtodiam cogitantes, de aliquo Angelo in Petri gratiam ad eos miſſo ſuſpicati eſſent. Ad hũc locum quàm

quàm ineptè Caluinus in sua Institutione cauillatus fuerit, alio in loco explicatũ dedimus: vbi & vetustissimorũ Patrum consensum pro peculiari Angelorum custodia, quam Catholica tradit Ecclesia, in medium produximus. In Prõpt. Cathol. in Fest. S. Michaelis.

Nunc quid hoc loco Caluinus ac Beza garriant, quibusq; modis apertum hunc diuinæ Scripturæ sensum contaminent, examinabo. *Quod vulgò elicium* (ait Caluinus) *singulis hominibus attribui singulos Angelos, qui eorũ curam gerant, nimis infimum est.* Cur ita, Caluine? An nõ Scripturæ verba clarè hoc pronuntiãt? Quid ad ipsa Scripturæ verba, quid ad textum ipsum respondes? Aduerte Lector. Ad Scripturæ verba nihil respõdet: textum ipsum nõ expẽdit; sed eo penitus neglecto, quasi nihil ad rem faceret, quid hoc loco Scriptura dicat parui pendit: quid alijs locis quasi contrarium dicere videatur, studiosè obseruat. Ita Scripturas inter se committit, suum ipsis iudiciũ nõ submittit. Frequens hic Caluini ludus est. *Nam* (inquit) *Scriptura testatur magno interdum populo vnum Angelum dari, & vni tantùm homini ingentem exercitum*: quod exemplis probat de curribus igneis qui Eliseo aderant, & de Angelo Persarum ac Græcorum apud Danielem. Cui respõdeo, hoc *interdum*, vt ipsemet loquitur, fieri, & extra ordinem; sicut in exemplo *Eliseì*. Quod autem hic locus habet, rem planè ordina- Caluinus Scripturis suum iudicium non submittit, sed eas inter se committit. 2. Reg. 17. Dan. 10.

ordinariã & vſitatam dicit. Neque enim de aliquo extraordinario modo aut medio in tam repẽtino caſu cogitare fideles iſti poterãt. Rurſum reſpondeo, generalem ſiue interdum ſiue ſemper vnius prouinciæ aut regni cuſtodem Angelum non magis obſtare quo minùs peculiaris cuiq; Angelus à Deo detur, quàm generalis Dei ſingulorum omnium adeoque rerum omnium gubernatio obſtat, quo minùs tam regnis quàm ciuitatibus, adeóque ſingulis familijs peculiares ductores, Principes, magiſtratus, patresfamilias aſsignẽtur; deniq; vt cõciſiùs dicam, quàm generale Dei auxilium & concurſus in rebus omnibus, ſpeciale eius adiutorium in quibuſdam impedit. Pergit Caluinus: *Nec Scriptura ſuum cuique certum & peculiarem Angelum promittit, ſed potiùs quòd Angelis ſuis mandauerit Deus vt ſingulos fideles cuſtodiant, & vt caſtrametentur in circuitu piorum.* Reſpõdeo: Satis eſt quòd Scriptura affirmat, tam hoc loco quàm apud Matth. *Angeli eorum vident faciem Patris mei, &c.* Non eſt opus vt promittat. Deinde aliæ promiſsiones de Angelorum cuſtodia in genere, huic peculiari cuſtodiæ (vt iam diximus) nihil præiudicant: non magis profectò quàm ipſe Spiritus S. ſingulis fidelibus promiſſus & datus, ipſi Angelorum cuſtodiæ ſeu generali ſeu peculiari præiudicare cenſendus eſt. Placuit Deo (vt Scriptura nos docuit) varijs medijs humanæ

Angelorum generalis cuſtodia nõ præiudicat peculiari.

Pſalm. 91. & 34.

manæ infirmitati succurrere. Ne simus eius bonitati ingrati.

Nunc Bezæ hoc loco glossas videamus. *Apparet* (inquit) *Ecclesiã eo tempore, præterquam quòd ex Dei verbo norat fideles præsidio Angelorum esse circumseptos, etiam huiusmodi visis assueuisse. Loquuntur enim de Petri Angelo, vt de re minimè noua aut ambigua.* Hæc ille. Vult quasi de visione Angelica istos fideles loquutos fuisse: vt hic sit sensus, *Angelus Petri est*, id est, Angelica visio est Petro facta, vel de Petro. Atqui Scriptura non loquitur de visione Petri, sed *de Angelo Petri*. Nec tametsi visionibus Angelicis assueuerint tunc fideles, vnquam tamẽ legitur visionem vni factam alteri apparere, saltem ordinariè tale quippiam tunc factum fuisse non legitur. At isti fideles (vt ipse Beza fatetur) *loquuntur de re minimè noua aut ambigua.* Qua igitur visione aut quo somno edoctus Beza, hoc nouum suum & singulare commentum nobis obtrudit? Alium suorum sodalium sensum attexit, pariterque reijcit. *Qui* (inquit) *plebeios & vulgares homines putant, quum hæc dicerent, ex vulgi opinione loquutos, vereor ne cum Sadducæis dubitent an sint Angeli, aut ne potiùs nullos arbitrentur.* Meritò hanc suorum euasionem reprobat Beza, quum hos fideles, ad quos Petrus venit, non nisi ex cordatissimis fuisse, omnique superstitione vacuos dubitari non debeat. Tertiũ adhuc sensum profert, quem in me-

Beza Scripturã inuertit.

Hæreticorum aliorum corruptelæ.

in medio relinquẽs nec suo calculo approbat, nec tamen reijciendum affirmat. *Non desunt etiam qui hunc locum ita conuertunt, Nuntius est ab eo: vt ἄγγελος non pro spiritu sed pro homine accipiatur, qui nuntius Petri, id est, à Petro missus, aut de Petro aliquid nuntiaturus venerit; sicut Angelus Domini, dicitur Angelus missus à Domino.* Hæc Beza, huiusmodi sensum nec probans, nec improbans; in medium tamen proferens, vt, si cuiusque fortè palato placeat, is eum amplectatur. Hoc enim agunt isti Scripturarum corruptores, Caluinus maximè ac Beza, vt quemuis etiam absurdissimum sensum vel confingant, vel ab alijs cõfictũ admittant, modò orthodoxum & germanum earum sensum remoueant. Nam aut Bezæ hic sensus placet, & nec illud dissimulare, nec alium priùs sensum ponere debuit; aut non placet, & illum proferre non oportuit. Cæterùm illum approbare non est ausus, quia prorsus nouellum & absurdissimum vidit, vt Angelus pro homine poneretur, aut hominem significaret: vnde & phrasis illa, *Angelus Domini*, quam Bezain illius sensus fauorem attexit, nihil simile huic loco habet; quæ videlicet nunquam hominem à Deo missum significat, sed spiritum. Prætermittere tamen noluit, quia sensum Catholicum peruertere quocumque tandem modo, seu probabili seu improbabili, seu apparenti seu absurdissimo, vni-

Scripturarũ sensum vt hæretici corrũpãt.

mo, vnicè desiderauit. Hæc est hæreticorum erga S. Scripturæ textum reuerentia. Sic illi non pro Scripturarum veritate, sed pro suis placitis pugnant.

23. *Confestim autem percussit eum Dominus, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.*

OBseruatione dignum mihi videtur, hoc iustum & terribile Dei iudicium, quod in Agrippam Herodē exercuit Deus, sic à Caluino hoc loco tam quoad mortis genus quàm quoad causam eius describi, vt non tā alterius quàm suū casum describere videatur: *Qualis* (inquit) *fuerit species morbi non satis compertum est. Nomen quo vsus est Lucas,* (σκωληκόβρωτος) *significat à vermibus fuisse exesum. Multi coniciunt morbum fuisse pediculárem.* (Et hoc sanè vis vocabuli docet, vt annotauit Beza) *Hoc quidem certum est, fœtore & putredine, quum adhuc spiraret, fuisse corruptum, vt esset quasi animatum cadauer. Ita non tantùm diris tormentis cruciatus fuit* (idque, vt scribit Iosephus, per totos quinque dies) *sed omnium probris & ludibrio expositus. Nam pœnæ genus eligere voluit Dominus, quo superbi hominis ferociam extrema ignominia obrueret.* Et paulò pòst: *Quum illi infesti sint pediculi & vermes, & ex eius corpore fœtida hæc putredo erumpit, quæ ipsum arrosum conficiat, pro sua dignitate ac merito tractatur. Nam qui quisque excellentiùs se extollit, eò dignior est* Caluinus in Herodē suā plagā ac mortē describit.

quem Deus contumelioſè ad extremos vſque inferos deijciat. Tam conſpicuum horribilis vindictæ exemplum in regia perſona terrere nos non parum debet, ne plus ſumere nobis, quàm par ſit, audeamus. Hæc Caluinus. Atqui ô alta, & occulta, ac tremenda iudicia Dei! Idem mortis genus ipſe Caluinus ſubijt, nec niſi ex eadem cauſa, vt tota eius poſt hæreſis profeſsionem vita manifeſtè docuit. De genere mortis ocularis eius teſtis ita ſcribit: *Caluinus deſperatione plenus moritur, magno numero fœdiſsimorum morborum & vlcerum diſcruciatus, quæ Deus in Deuteronomio (cap. 28.) rebellibus & refractarijs comminatur. Quod veriſsimum eſſe affirmare poſſum, qui morienti interfui, & mortis eius oculatus teſtis fui.* De vita & moribus ita ſubiungit: *Vita eius nihil aliud erat quàm perpetua moroſitas, quum natura eſſet ambitione, inuidia, maleuolentia plenus, ad extremum vſque biliosus, in quoſlibet ei aduerſantes maledicus & mordax, ſine vlla fronte mendax, omnia ſuſpecta habens. Frequentes Geneuæ ſeditiones concitauit, ciues contra exteros, vt in mutuam cædem ſæpe parati fuerint. Ab exilio autem ſuo Geneuam reuerſus (vnde & homo turbulentus fugere compulſus eſt) nunquam deſtitit, donec primarias eius vrbis familias in exilium pepulerit, multoſque ciues & probitate & dignitate conſpicuos vita priuarit.* Hæc Miniſter ille Ioannes Haren. Sed de Caluiniana Geneuæ tyrannide eſt ex noſtris in Anglia Proteſtantibus qui prolixè & copioſè ſcripſit. Claudius quo-

Ioann. Haren Miniſter Geneuenſis in ſua Palinodia F. H. a.

Author examinis diſciplinæ prætenſæ cap. 2.

quoq; Saincteſius cõtra Bezam ſcribẽs pau-
cis rem perſtringit. *Geneuæ*, inquit, *reſtitutus Caluinus à conſiſtorio, & eorum ſanguine per quos pulſus fuerat, & quorum potentiam reformidabat, exorſus eſt Pontificatum. Inſuper Geneuenſis Reip. formam conſiſtorij inſtituti miniſterio magna ex parte aggreſſus eſt immutare, & quàm plurima à Farello & alijs antea de religione conſtituta decreta tollere, ſuáque ſubſtituere (quod dicebat reformare) ne alius quàm ipſe haberetur Eccleſiæ Geneuenſis inſtaurator & fundator. Huius conatibus quum multi ciues & plerique Miniſtri reluctarentur, ipſe improbarum ſuarum in eo machinationum non priùs finem fecit, quàm aliorum ignominioſo ſupplicio oculos ſuos pauiſſet, & alijs variè afflictis & fugatis ſolus gallus in alieno regnaret ſterquilinio. Non obſcurum de tali ſuo reditu ab exilio iudicium in præfatione commentar. in Pſalmos facit, vbi nefarias ſuas actiones pietatis ſpecie ita excuſat, imò exornat, vt cum Dauide comparandum ſe prædicet: quem vt continuis bellis fatigarunt Philiſtæi, & alij exteri hoſtes, & interior perfidorum hominum malitia & improbitas grauiùs vulnerauit; ita Caluinus tacitè innuit ſe Regem à Deo conſtitutum ſuper Sion Geneuenſem, ſuper montem ſanctum eius, vix momentum vnum vel ab externis vel ab inteſtinis pugnis quietũ habuiſſe: ſed tandem non ſine ſuis magnis ſudoribus viciſſe.* Hæc Saincteſius ad Bezam, tyrannidis & regni Caluiniani ſpeciem aliquam compendio exhibens. Atqui quis eius typhus ac faſtus, quæ incredibilis

In reſpõſ. ad apologiam Theod. Bezæ pag. 39.

arrogantia, quanta superbi hominis ferocia fuerit, ex ijs solùm eius verbis constare potest quæ nuper in medium produximus, quum de Petri satisfactione egimus, qua conuersis Iudæis de prædicatione Gentibus facta rationem reddit. Ex hoc fastu, & dominandi libidine, non solùm Antiquitatem omnem ex alto despexit, Patrum consensum nō secus ac quisquilias reijciens, adeoque alicubi scribens *omnia Patrum scripta ipsi seruire debere*, sed & Lutheranos penitus cōtempsit, Cinglianos delusit, Farellum, à quo Geneuam vocatus erat (vnde & primùm Farellistæ vocabātur) Geneua expulit, vt ab ipso postea tractus illius sectarij nomen acciperent: Bezæ consortium, veluti æmuli sui, viuus semper exhorruit: omnes autem scriptis & calamo ipsi aduersantes, non Catholicos modò, sed & Lutheranos (atque inprimis Ioachimum VVestphalum) nebulones, porcos, asinos passim nuncupans, innumeris conuitijs & contumelijs proscidit. Lutheranorum hac de re querelas & exempla innumera videre qui volet, legat Stanislai Rescij Ministromachiam ante biennium editam. Verbis igitur Caluini concludo: Quo quisque excellentiùs se extollit, eo dignior est quem Deus contumeliosè vsque ad inferos extremos deijciat. Quare in Caluini morte pœnæ genus eligere Dominus voluit, quo superbi hominis ferociam

Suprà ad cap. 11. sect. 3. & 4.

In præfat. Institut.

Coloniæ an. 92.

ferociam extrema ignominia obrueret. Tales Arij, Manetis, ac nostro tẽpore Lutheri, Carolstadij, & aliorum exitus fuere. Sed vt Arianos & Manichæos nihil illa antiquiora mouerunt, sic nec Caluinistas ac Lutheranos hodie hæc recentia Dei iudicia cõmouere potuerũt, quo minùs singulæ sectæ ad animarum perniciem, occulto Dei iudicio, toto orbe grassarentur.

CAP. XIII.

2. *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus, &c.*

Sacrificij Christianorum astruitur.

TAxant & mordent hoc loco Catholicos scriptores interpretes hæretici, quòd verbum Lucæ, *Ministrantibus illis Domino*, de sacrificio Christianorum publico, à Latinis *Missa* nuncupato, exponunt. *Verbum quo vtitur Lucas* λειτουργούντων αὐτῶν (ait Caluinus) *sæpe pro sacrificia offerre accipitur. Qui sensus Papistis maximè arrisit, vt aliquod fuisse in vsu Apostolis sacrificium probarent.* Addit Beza: *Vertit Erasmus, Sacrificantibus, quæ interpretatio tolerabilis quidem videri posset, quòd sic transferri soleat sacrificij nomen non modò ad publicas Ecclesiæ Christianæ functiones, sed ad priuatam quoque sanctorum vitam, Rom. 12. 1. & 15. 16. Ephes. 5. 2. Phil. 2. 17. & 4. 18. Hebr. 13. 15. 1. Petr. 5.* (*qua etiam ratione certum est, Cœnam Domini à veteribus nonnullis* λειτουργίαν, ἱερουργίαν, *sacrificium vocari*) *sed tamẽ omnino est ex-*

Execrabilis Bezæ verba execranda.

pungenda: tum quia nimium est angustum, tum verò propter execrandum illorum errorem qui Filium Dei re ipsa quotidie in Ecclesia sacrificari & offerri contendunt: id est, qui religionem Christianam radicitus convellunt. Hæc illa execrabilis bestia. Vtrique respõdemus: tametsi vocabulũ illud λειτθργοῦντων latè pateat, & in nouo Testamento varia significet, vt metaphoricè quidẽ ipsam verbi prædicationẽ ad Rom. 15. vbi Paulus se vocat λειτουργον, ministrum Christi, & ad metaphoram continuandam, *sanctificare se Euangelium*, ἱερθργοῦντα το εὐαγγελιον, ipsosque auditores fieri *oblationem acceptam & sanctificatam*, προσφορὰν εὐπρόσδεκτον καὶ ἡγιασμένην, ait; quæ omnia non nisi metaphoricè dici nemo dubitauerit; vel etiam opus aliquod pium, vt 2. Cor. 9. eleemosynarũ distributionem vocat *ministerium officij sui*, διακονίαν τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, quo etiam sensu vtitur ad Philipp. 2. aliàs verò *quoduis publicum ministerium*, siue sacrum siue profanum, vnde & magistratum ciuilem vocat Paulus λειτθργον θεοῦ, Dei ministrum, & ipsos Angelos λειτουργικα πνεύματα, *ministrarios spiritus*, & Epaphroditum *Apostolum & ministrum*, καὶ λειτουργον, *necessitatis suæ*; tamen propriè sacris operari & sacrificandi actionem compluribus in locis significat, vt ad Heb. 10. *Omnis sacerdos præstò est quotidie ministrãs* λειτθργῶν: & ad Heb. 9. *Omnia vasa ministerij* τῆς λειτθργίας *sanguine aspersa*: & Luc. 1. de Zacharia,

Verbi λειτουργεῖν. varij sensus metaphorici.

Rom. 13. Heb. 1.

Philip. 2.

Liturgia propriè sacrificium significat.

Zacharia, *Impleti sunt dies ministerij eius*, τῆς λειτουργίας αὐτοῦ. Hoc autem in loco aliter intelligi hoc vocabulum nec posse nec debere, illud adiunctum, τῷ Κυρίῳ, Domino, perspicuè demonstrat. Propriè sacrificij actio in solum Deum dirigitur, verbi prædicatio ad populi ædificationem assumitur. Quare hoc adiunctum hæretici interpretes prorsus dissimulant, quum tamē verbi tam latè patentis significatio ex adiunctis suis maximè inuestigari debeat. Nam & alia adiuncta circumstantia, *ieiunantibus*, non obscurè docet de Liturgiæ actione Lucā loqui quæ propriè sacrificium est. Sacrificium quippe Christianorū perpetuò antecedit ieiunium, vt antiqui Patres monuerunt, [a] Augustinus, [b] Basilius, & alij. Prædicationi verbi ieiunium necessariò coniunctum non est. Neque obstat quòd vetus interpres, *ministrantibus*, verterit, non autem, sacrificantibus: quum in alijs itidem locis citatis ad Heb. 9. & 10. & Luc. 1. vbi propriè de sacrificio agi manifestum est, *ministerij & ministrationis* verbo idem vsus fuerit. Iam verò negari non potest, apud Ecclesiasticos Patres Græcos, Liturgiam illud vocari, quod apud nos Latinos Missa dicitur: vt Liturgia Iacobi Apostoli, Basil. Chrysost. & aliorū, quorū farraginem collegit Georgius Cassander. Et Suidas quidem de hac voce ita scribit: λειτουργία κυρίως ἡ δημοσία ὑπηρεσία, παρὰ τὸ λήϊτον

Christiani presbyteri Antiochiæ sacrificabant.

a. Epist. 19
b. Homil. de laude Ieiunij.

Vide Liturgica Cassandri

καὶ τὸ ἔργον. id est, Liturgia propriè dicitur officium seu ministerium & munus publicum, à voce λητον, quod publicum significat; & ἔργον, quod est munus seu opus. Sed quum hoc munus & opus publicum propriè ad Christi cultum restringitur, vt hoc loco, λειτουργουντων τῷ κυρίῳ, *ministrantibus Domino*, quo vocabulo Christū propriè Lucas designat, intelligi nō potest nisi de proprio Christianorum cultu publico, quem Christus propriè instituit, & qui ad commemorationem mortis Christi propriè celebratur. Hæc adiuncta, hæ circumstantiæ, vocem alioqui latè patentem ad hanc sacrificationis significationē propriè restringunt.

Quæ Beza in contrarium adfert vt hæc versio expungatur, non ridiculam modò sed & blasphemam disputationē habeant. Ridiculum est in probatione principium petere. Negat Beza de sacrificatione intelligi debere, quia execrandus error est, Filium Dei in Ecclesia quotidie sacrificari. Hoc est dicere, quia vetus omnium Patrum doctrina execrādus error est, & nostra noua doctrina pura veritas est. Atqui, bone Beza, non debebas pro certo illud ponere, quod vt minimum hodie controuersum esse non ignoras. An non istud est ad vestra placita Scripturas contorquere, ipsum autem literæ sensum ex suis adiacentibus expressum penitus negligere? Cæterùm te tuos-

Bezæ blasphema & & ridicula disputatio refellitur.

tuosque execrando errore laborare, qui quotidianum in Ecclesia sacrificium, vbi (vt Augustinus loquitur) *Christus quotidie immolatur*, nefariè sustuliſtis; tum alij maximo numero eruditiſsimi tractatores Catholici luculenter docuerunt, tum nos contra tuum Caluinum in alia huius operis parte luculẽter ostendimus. Blasphemia tua coniuncta illa est, qua asseris *ex hoc sacrificio quotidiano religionem Christianam radicitus conuelli*. Ad quàm blasphemiam nihil aliud respondeo, quam; *Væ vobis, qui lucem tenebras, & tenebras lucem dicitis*: quando absque sacrificio isto externo, quod Christus in vltima cæna instituit, religio Christiana proprio ac præcipuo cultu spoliatur, testamẽtum Filij Dei summo scelere rescinditur, mortis Dominicæ perpetua annunciatio abrogatur. Apage cum istis tuis blasphemijs vultuosa bestia.

Epist. 23.

Ad Matt. caput 26. in refutat. expos. Caluini super illa verba, *Accipite & manducate, &c.*

Sed paulò liberalior quàm Beza Caluinus hoc loco est. *Vt Papistis* (inquit) *detur quod postulant, λειτουργοῦντων pro sacris operari & sacrificari hic accipi, ridiculè tamen in suæ Missæ patrocinium Antiochenos Doctores sacrificasse obtendunt*. Quî sic, Caluine? *Primò* (inquit) *quum verbum sit pluralis numeri, sequetur Missas fuisse à singulis celebratas*. Et quid hoc, quæso, absurdi est, vbi plures Doctores & Prophetæ essent, eos singulos seu vicissim seu varijs in locis eiusdem amplissimæ vrbis sacrificasse? Sed hanc ratiunculam veluti ineptam ipsemet

celeriter relinquit. *Sed* (inquit) *omissis ineptijs* (vnde se hactenus ineptijsse nos monet) *considerandum est quale sacrificij genus Ecclesiæ suæ Christus commendauerit. Fingunt Papistæ, sibi ad ad immolandum Christum iniunctum esse sacerdotij munus.* Respõdeo: Nõ Papistæ hoc fingunt, sed tota Christianorum Patrum antiquitas illud credidit, docuit, scripsit, vt alio in loco contra Caluinum ostendimus. Pergit: *Huius rei adeò in Scriptura nulla fit mentio, vt potiùs hunc sibi vni honorẽ Filius Dei vindicet.* Respondeo: Huius rei adeò in Scriptura fit mentio, vt quũ Christus Dei Filius, Redẽptor noster, in vltima cæna seipsum Patri incruẽto modo immolasset, vt idem Apostoli, eorũque successores facerent expressè docuerit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem:* vt illam Christi actionem illaque Christi verba tota semper hactenus Ecclesia intellexit, veterumque Patrum perspicua & crebra testimonia contestantur, quæ & alibi contra Caluinum protulimus. Cruentum sanè sacrificium, qua *vna oblatione consummarẽtur in æternum sanctificati*, & eius peragendi honorem, Dei Filius sibi vni vindicauit, & in Cruce cõsummauit. Hæc alibi tum ab alijs centies luce clariùs demonstrata, tum à nobis (quod satis erat) contra nudas & simplices Caluini centies repetitas & nunquam probatas assertiones, veterum testimonijs confirmata, documẽto & argumento maximo sunt

Ad Ioan. cap. 16. ver. 13. & cap 20 ver. 22.

Locis suprà citatis

mo sunt, Lucam de alio sacrificij genere locutum hoc loco non esse, quàm quod Christianorum Pastorum atque doctorũ in Ecclesia Christi proprium ac peculiare est. De prædicatione verbi hunc locum rectè non intelligi (vt vult in sequentibus Caluinus) ex adiunctis, quæ diximus, satis liquidò cõstare potest. Sunt quidem in suo genere res sacræ diuini verbi prædicatio, & Scripturæ interpretatio; sed sacratius quiddã est, proprieque Christo sacrum, diuini sacrificij à Christo instituti sacratissima peractio & celebratio, à Græcis Patribus communiter dicta Liturgia.

2. *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos.* 3. *Tunc orantes & ieiunantes, imponentèsque eis manus, dimiserunt eos.*

QVod alicubi contra Caluinum Ioachimus VVestphalus Lutheranꝰ scripsit (vt ipsemet refert Caluinus) *anguilla per caudam capi non potest*, hominis de re sacramentaria variam, lubricam, dubiam, & inconstantem, rimosam, hac illac perfluentem doctrinam notans; hoc in huius loci tractatione manifestè apparet. Quum enim hæc Pauli & Barnabæ (quos tum antea ad prædicandum Christus miserat, tum hîc à Spiritu S. ad opus prædicationis assumptos legimus) ordinatio Ecclesiastica, manuum pres-

Caluin. in 2. defensione cõtra VVestphalum.

Pastorum ordinatio & missio legitima.

presbyterij impositio; ac sollēnis dimissio, manifesto & luculēto documento sit, Deum in vocatione ministrorum Ecclesiæ, Pastorum ac Doctorum eius, quantumlibet extraordinaria, ordinationis & missionis Ecclesiasticæ medio ordinario vti; (quæ vna res Caluini, Bezæ, & ante eos Lutheri, Melanchthonis, Buceri, & post hos omnes tot aliorū in Anglia, Scotia, Germania, Gallia, qui nemine mittente cucurrerunt, vocationem penitus illegitimam, missionem nullam inuictè demonstrat, eosque lupos ac latrones esse, qui ascēderunt aliunde, perspicuè docet;) Caluinus, vt ab hac difficultate se explicet, in varias hîc se formas vertit; & veluti vertigine capitis percussus, modò ait, modò negat; modò veritatem astruit, modò rursum pedem refert; & quod rectè statuerat, perperam deprauat & destruit. Ludum hunc eius tantisper spectabimus. *Iubet* (inquit) *Deus Ecclesiæ suffragijs emitti Paulum & Barnabam quòd ipsos destinauit. Vnde colligimus, nullam esse legittimā Pastorum electionem, nisi in qua Deus primas tenet partes.* Primas quidem partes tenet Deus, sed secundas tenet Ecclesia, quatenus à Deo hanc mittēdi potestatem accepit. Vnam veritatem vrget, alteram tegit impostor. *Nam* (inquit) *quòd iussit ab Ecclesia eligi Pastores & Episcopos, non ideo tantum licentiæ permisit hominibus, quin ipse tanquam summus moderator præsideat.* Præsi-

Vocatio legitima Caluinū vertigine percussit.

Deo prima tribuūtur, vt Ecclesiæ secunda negentur.

det

det quidem semper Deus, quia eius authoritate & potestate semel data nituntur qui in Ecclesia Pastores eligunt: electio tamen penes illos est, & non alios. An fortè sic præsidare Deum & primas partes tenere in electione Pastorum Caluinus vult, vt expressa in singulis eligendis reuelatio, expressum Dei mandatum, quale hîc apparet, expectari debeat? Hoc sanè intelligere velle videtur Caluinus, vnde statim excipit: *Differt quidem ab hac Pauli & Barnabæ designatione ordinaria Pastorum electio, quia futuros Gentium Apostolos cælesti oraculo constitui oportuit: quod quotidie in ordinandis Pastoribus fidei necesse non est.* Rectissimè hoc totum: quia quoad oraculum, & reuelationē expressam, extraordinaria hæc missio erat; at quoad impositionem manuum, Ecclesiæ ordinaria fuit missio. Nunc pedem refert Caluinus. *Hoc tamen* (inquit) *cōmune habent, quòd sicuti Paulum & Barnabam testatus est Deus suo decreto iam ad Euangelium prædicandum destinatos esse; ita non alios ad docendi munus vocari fas est, nisi quos iam Deus sibi quodammodo delegit.* Quid hoc mysterij est? Electionem Ecclesiæ vt electio quædam diuina præcedat, Caluinus vult. Vnde hîc ex Bullingero infarcit Marloratus: *Et sanè non nisi à Deo electi & vocati ad Euangelij prædicandi ministerium idonei esse possunt.* At quæ tandem hæc Dei electio & vocatio est, electionem Ecclesiasticam præcedens?

Dei electio, iuxta Caluinū, Ecclesiæ electionē debet præcedere.

dens? aut vnde nobis de illa constabit? An reuelatio aliqua manifesta diuinæ electionis expectanda est, qualis hîc in Paulo & Barnaba apparuit? Atqui *hoc quotidie in ordinandis Pastoribus fieri necesse non esse*, diserte fassus Caluinus est. Fassus quidem illud est veritate cogente, sed nunc rursum aut diffiterur, aut ænigmatibus ludens sphingam agit. Sanè ne penitus diffiteri videatur quod semel fassus erat, veluti eundem reuoluens circulum, ad priorem sententiam redit. *Porrò* (inquit) *necesse non est vt nobis Spiritus è cælo inclamet diuinitus vocatum esse eum de quo agitur.* Expressa igitur reuelatio, qualis hîc erat, nõ est expectanda. Sed quare rursum hoc repetitur, aut quæ tandem electio diuina Ecclesiasticam electionem præcedere debet? *Quia* (inquit) *quos Deus instruxit necessarijs dotibus, quum eius manu formati sunt, & aptati, non secus ac de manu* (*vt aiunt*) *in manum ab eo nobis traditos recipimus.* Sed quid si huiusmodi dotibus instructos, aut eos saltẽ qui se instructos putant, Ecclesia non eligit, non ordinat, non mittit? An tales veluti à Deo electi, *eiúsque manu formati & aptati, veluti de manu in manum nobis à Deo traditi* censendi sunt, & pro Pastoribus agnoscendi? Quis dubitat huc collimare Caluinum? & quod priùs dixerat, *in legitima electione Pastorum & Episcoporũ primas esse Dei partes*, id eo sensu dixisse vt solius Dei sint partes? & vocationẽ quidem

Dei electio qualis sit iuxta Caluinum.

dem cũ expressa reuelatione cõiunctã, qualis hîc in Paulo & Barnaba apparuit, non esse necessariam; Dei tamen quandam electionem necessariò requiri; quatenus quĩ dotibus necessarijs à Deo instructi sunt, illi à Deo electi & nobis traditi videri debeant? Ita Caluinus, Lutherus, & alij, quos Ecclesia per impositionem manuum nunquam segregauit ad opus, nunquam misit, tamen quia omnibus necessarijs dotibus apprimè, à Deo instructi sibi visi sunt, eos veluti à Deo electos, nobisque de manu Dei in manum nostram traditos, pro Pastoribus agnoscere, & ambabus vlnis amplecti debemus. Hoc est vocationis Caluinianæ & Lutheranæ mysterium, ex hoc loco veluti aqua de pumice expressum. Cæterùm vno verbo totum mysterium funditus euertitur, quòd data huiusmodi quæ fingitur electione diuina, quum illa potior & excellentior esse nequeat, quàm reuelatio diuini Spiritus expressa, qualis hoc loco cernitur, ad illam accedere oporteat legitimam Ecclesiæ segregationem, manuum impositionem, & ad opus missionem. Sanè vnus Paulus, tametsi è cælo à Christo vocatus, vt *vas electionis*, & organum singulariter electum *ad portandum nomen eius coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel*, tamen mittitur ad Ananiam, qui eum doceat quid eum oporteat facere. Ab Anania baptizatus & instructus fuit *cum Discipulis*

Vocationis Caluinianæ fundamentũ.

Idem funditus euertitur.

Dei vocationi Ecclesiæ segregatio, ordinatio missio cõiungẽda.

Act 9. 19. *Discipulis* (ait Lucas) *qui erant Damasci per dies aliquot.* Quorsum verò, nisi vt Ecclesiæ mẽbris se adiungens, doctrinam fidei cum alijs interim audiret? Rursum, quanquam ipse
Gal. 1. alibi scribit quòd *Apostolus Iesu Christi, neque ab homine neque per hominem factus fuerit, sed per Iesum Christum & Deum Patrem*; tamen non hoc ita dicit, vt omnem humanam missionem & ordinationem excludat, quam hic eum accepisse Lucas commemorat; sed partim vt doceat, primam eius vocationem à solo Deo per Iesum Christum factam fuisse,
Act. 9. 15. dicente Christo, *Vas electionis mihi est iste, &c.* (vnde Chrysostomus hoc loco, *Manifestat apud Galatas quòd non homo illum vocauit, id est, non adduxit*) partim vt ostendat se non à solis hominibus, aut sola Apostolica authoritate, sine aliquo expresso diuinæ missionis argumento missum (sicut plerique alij missi sunt, & ordinariè fieri solet) sed sic ab hominibus missum ad opus, vt luculentum diuinæ missionis testimonium accederet: Dicit, *non per hominem* (ait iterum hoc loco Chrysostomus) *quia non ab aliquo missus est, sed à Spiritu. Ideirco & sequitur: Igitur illi quidem missi à Spiritu, descenderunt in Seleuciam.* Missus igitur Paulus est tum à Spiritu diuino, (extraordinario eius adhibito testimonio,) tũ per segregationem & impositionem manuum presbyterorum Ecclesiæ. Sic Deus extra ordinẽ huius & Barnabæ vocationem

hono-

honorare voluit, vt ordinariam tamen Ecclesiæ ordinationem retinuerit. Dicit hîc Caluinus: *Non ideo nunc ab Ecclesia ordinari Paulum Deus præcipit, vt ab hominum iudicio eius vocatio pendeat: sed decretum illud suum, quod paucis adhuc notum erat, Deus nunc promulgat publico edicto, & solemni Ecclesiæ subscriptione obsignari iubet.* Demus Caluino figmẽtum hoc suum. Quî igitur factum est, vt Caluinus, Lutherus, & alij, qui se à Deo, non ab Ecclesia, aut ab hominibus vocatos iactitant, hac saltem solemni Ecclesię subscriptione vocationem suam obsignatam non ostendunt? An meliori loco esse aut maiori priuilegio gaudere volunt quàm Paulus ipse? Effrenem & effrontem impudẽtissimorum nebulonum audaciam quis non videt? Paulum ab Ecclesia Deus ordinari voluit, non quidem vt ab hominum iudicio eius vocatio pẽderet, hoc videlicet sensu, vt talem diuinitus factam electionem cum tam manifesta reuelatione cõiunctam rescindere in hominum arbitrio esset; sed vt hominum, id est, aliorum Præpositorum Ecclesiæ iudicio eius vocatio innotesceret; omnibusque constaret Paulum & Barnabam nõ esse huiusmodi, qui *nemine mittente currerent*, non esse *lupos ac latrones, qui aliunde ascenderent in ouile*, sed esse legitimos Pastores, *intrantes per ostium* in ouile, id est, per illam ordinationem & institutionem quam princeps Pastorum Christus, qui

Lutheri & Caluini vocatio pessundatur.

Paulus à Deo vocatus cur ab Ecclesia ordinatur.

ſtus, qui eſt oſtium ouium, inſtituit, & in ſua Eccleſia perpetuam & ordinariam eſſe voluit. Hac tota quia Caluinus caruit, hãc quia oſtendere non poteſt, cum tota ſua myſtica & imaginaria electione ac vocatione diuina, non niſi lupus, fur, ac latro eſſe deprehenditur.

11. *Et nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſque ad tempus.*

QVærit hoc loco Caluinus: *Quum hodie multi ex Papiſtis impietate magum iſtum ſuperent, mirum videri poteſt, cur illis impunè cedat audacia, in qua tam inſolenter ſe iactant. An manus Dei imbecillior eſſe cœpit? An illum tangit minor gloriæ ſuæ cura? An viuificandi Euangelij curam remiſit?* Hanc quæſtionem multo veriùs ac iuſtiùs Caluino & Caluiniſtis nos proponimus. Quum hodie multi ex Caluiniſtis, & ipſemet impius Caluinus, impietate magum iſtum ſuperent, quum tot annis nefario ſuo ſchiſmate Eccleſiã vexauerint, vias Domini rectas peruerterint, diuinas Scripturas fœdiſsimè polluerint, deprauarint, corruperint, (quod vel hæc noſtra docebunt Antidota) quum tam multis, tam impijs, tam prophanis dogmatibus Euangelicam veritatem contaminauerint, quum tam horrenda ſacrilegia, homicidia, adulteria in vna Gallia patrauerint, tot ſeditiones, tot bella, tot ſtrages & clades concitauerint

Caluini in Catholicos calumnia in ipſius caput retorta.

uerint & intulerint; mirũ & valde mirum videri potest cur illis impunè cedat tam multiplex audacia, nequitia, impietas, in qua tot annis tam insolenter se iactant. An manus Dei imbecillior esse cœpit? An illum tangit minor gloriæ suæ cura? An conseruandæ & protegendæ Ecclesiæ suæ curam remisit? An promissionum suarum immemor est, quòd *portæ inferi non prævalerent aduersus Ecclesiam suam*, & quòd Ecclesiæ suæ Matth. 16
affuturus esset *omnibus diebus vsque ad consum-* Matth. 28
mationem seculi? Attendamus quid huic suæ quæstioni respondeat Caluinus. *Responsio* (inquit:) *visibilis hæc pœna quæ mago semel infligta est, & similes, perpetuæ iræ Dei exempla sunt in eos omnes qui puram Euangelij doctrinam vel corrumpere & adulterare, vel palàm suis calumnijs oppugnare non verentur. Scimus enim ad hunc finem ad tempus edita fuisse miracula, vt perpetuò vigeant ac ante oculos versentur. Cæterùm Deo hanc vel illam ratione, qua puniat hostes suos, præscribere nostrum non est. Neque verò ita cessat Deus, quin diuersis modis formidabilem suam potentiam contra Euangelij sui hostes exerat, nisi ad considerandà eius iudicia tam hebetes nobis essent oculi.* Placet hæc Caluini responsio, & eam Caluinistis ipsis considerandam relinquimus, ne tam multis ac magnis impunè perpetratis flagitijs ac sceleribus, & in tam secundo impietatum suarum progressu efferantur: à suo potiùs Caluino eiusque infa-

mi & teterrima morte discant, nec abbreuiatam esse manum Domini, nec iustitiæ suæ immemorem.

12. *Tunc Proconsul, quum vidisset quod factum est, credidit, admirans super doctrina Domini.*

PAulus nouæ doctrinæ prædicator Gentibus, sic extra ordinem mittitur, vt prædicationis suæ veritatem miraculo confirmet. Caluinus hoc aduertit, & dicit: *Quum minimè obscurum diuinæ virtutis specimen Sergius Proconsul oculis cerneret, Paulum agnouit diuinitus missum esse: atque ita eius doctrinam, in eius fide priùs hæsitabat, suspicere incepit.* Rectissimè istud. Quæro iam: Caluinus noui hodie Euangelij, nouæ doctrinæ magister (tota quippe illi displicet antiquitas) cur aliquo etiam miraculo suam prædicationem, vt eum diuinitus missum esse cognoscamus, non confirmat? Non tam hebes fuit, quin ex hoc loco istud aduersus eum excipi posse cerneret. Occurrit igitur, & dicit: *Nunc si Dominus Euangelij fidem, quæ tot tamque validis vndique machinis concutitur, mirabiliter in multorum animis firmiter sustinet, si incredibili modo facit vt per mille obstacula eluctetur fidei cursus; hac eius gratia contenti, ne obmurmuremus si miracula quotidie noua pro voto nostro non fiant.* Hęc ille. Simili ferè modo ad eandē cōtra nouū suum Euangelium difficultatem respondit

Luthe-

Lutherus. Cui quod eleganter replicauit Thomas Morus, Angliæ decus, Caluino quoque respondemus. Luthero quippe *postulanti pro miraculo haberi, quòd tantus Christianus populus tam breui tempore in sectam eius conceſserit*, respondit Morus: *Ad propositam vitæ libidinosæ licentiam populum ruere, id habet tantam miraculi speciem quàm saxa deorsum cadere*. Cui non absimile est, quod Callistæ meretrici Socrates respondit. Iactitante enim illa ac dicente, Tu neminem ex amatoribus meis à me potes abalienare; ego, quum libitum est, tuos auditores omnes à te voco: respondit Socrates; Mirum hoc non est: tu siquidem ad decliuem voluptatis tramitem omnes rapis; ego ad arduum virtutis callem cogo. Idem Caluino de sua numerosa secta exultanti, & id pro miraculo haberi postulanti, nos Catholici respondemus. Miraculum nullum est, in illam sectam innumeros mortalium certatim confluere, maximè *abundante* hodie *iniquitate, & refrigescente charitate multorum* (quam Christus causam assignat, cur *pseudoprophetæ seducant multos*, & esse grassantium hodie hæresum propriam causam in quadã Oratione de causa grassantiũ hodie hęresum olim prolixè ostendimus) quæ tota carnalis est; quę mandatorum obseruationem impossibilem docet; quæ bonorum operum necessitatem tollit; quæ eorum loco studium tantùm virtutis, tametsi

Hæresum hodie progressus nullũ est miraculum ad eas cõfirmandas. In epist. aduersus Pomeranum pag. 12.

Aelian. lib. 13. variar. histor.

Matt. 24.

1.
2.
3.

4. inefficax, ponit; quæ alium pro impio non habet, nisi qui in profundum malorum ve-
5. niens, abiecto Dei timore contemnit; quæ in sola fide, id est, in certa ac firma persuasione beneuolentiæ diuinæ (quicquid sit de vitæ puritate) salutis certitudinem ponit;
6. quæ de sua electione ac prædestinatione ad salutem vnumquemque semel in Christo regeneratum certum ac securum esse iubet;
7. quæ suos electos in medijs sceleribus ac flagitijs filios Dei esse affirmat, & ex sola fide, quam retinent, remissionem peccatorũ in-
8. fallibilem illis promittit; quæ ex sola recordatione baptismi, & adoptionis ibi factæ, fi-
9. de saluos esse statuit; quæ pœnitentiam non nisi iam remissis peccatis, & de facta remissione persuasis, proponit, veluti quotidianum iustorum exercitium, quatenus se in se ipsis perpetuò impios agnoscunt aliena
10. iustitia vestitos; quæ, quantalibet virtutum opera, probro magis quàm laude digna, & vitijs magis quàm virtutibus accensenda
11. affirmat; quæ nec vitæ æternæ nec augmenti gratiarum mercedem ex vllis bonis operibus expectandam docet, sed id solùm æstimare vnumquemq; debere, se operam non
12. ludere; quæ ieiunium in victu temperato
13. definit; quæ orationibus nihil de nouo im-
14. petrari, sed solam fidem exerceri tradit; quæ virginitatis & cælibatus studium penitus eliminat; diuortia in matrimonijs frequentia ad-

tia admittit; atque ad polygamiam apertè inclinat; quæ peccati confessionem irridet, 15.
contritionem eludit, satisfactionē omnem
veluti rem sacrilegam explodit; quæ deni- 16.
que nullis legibus, seu Ecclesiasticis, seu ciuilibus, hominū conscientias astringi patitur. An huiusmodi sectam quamplurimos sectatores inuenire iam senescente mundo, & religionem Christianam Catholicam veluti rem obsoletam fastidiente, pigritia ac socordia veluti somno arctissimè compresso, miraculi loco habendum est? Ego verò magni miraculi loco habeo, & diuinæ misericordiæ maximum argumentum censeo, quòd ad tam voluptuosam sectam omnes in hoc orbe Christiani non transierint, quòd etiam vbi tyrannicè dominantur hæreses, veluti in Anglia (non tantùm vbi aut permittūtur, vt in Germania ac Gallia; aut sua vicinitate alliciunt, vt in hoc Belgio) manet adhuc firma Catholica religio, odio & despectui habetur Caluinus, Lutherus, & sectarij omnes. Sed quid? Lutherus de sua numerosa secta ad tempus triumphauit; illa iam in maximas angustias redacta, triumphat Caluinismus. Dubitandum non est, & huic quoq; suum interitū imminere. Alioqui ab Arianorū, Manichæorum, Eutychetistarum fœcunditate longissimè adhuc abest secta Caluinistica: quum & per aliquot secula & per totum Orientem & bonam

Occidentis partem illæ hęreſes numeroſiſſimos ſectatores habuerint. Sed aliquid debuit Caluinus dicere, ne nouus dogmatiſtes omni diuinæ vocationis ſigno, omni miraculo deſtitutus videretur.

15. *Poſt lectionem legis & Prophetarum miſerunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo ad exhortationem, dicite.*

Scripturarum priuata lectio futiliter à Caluino probata.

CAtholicam taxandi Eccleſiam anſam hîc arripiunt interpretes hæretici. *Hinc colligimus* (ait Caluinus) *non ſuppreſſam fuiſſe inter paucos Scripturam, ſed omnes ad eius lectionem promiſcuè fuiſſe admiſſos.* Sed hæc collectio vana ac ridicula eſt. Ex hoc loco colligimus, ad audiendas in Synagoga Scripturas omnes fuiſſe admiſſos, ſicuti in Eccleſijs Catholicis audit populus Chriſtianus. Sed de lectione Scripturarum priuata omnibus promiſcuè conceſſa hic locus nihil docet. Addit grauiorem accuſationem Bullingerus: *Tranſumpſit hoc primitiua Chriſti Eccleſia à Iudæorum Synagoga, diligenterque obſeruauit, vt liquet ex veterum Scriptorum monumentis: donec, inſcitia ſuperante, omnis Scripturarum publica tractatio redigeretur ad inutilem cantum, ſiue ad horas (vt vocant) canonicas: quæ vtique ab initio à canonicis Scripturis, quæ procul dubio à Prophetis in collegijs Eccleſiaſticis quotidie tractabantur, nomen adeptæ*

Bullingeri futilis collectio.

adeptæ sunt. Hæc ille, suam ipsemet insciti am simulque carpendi libidinem prodens. Scripturarum publica tractatio ad cantum Ecclesiasticum nunquam redacta est; sed hic cum illa, & illa cum isto perpetuò coniuncta fuit, hodieque in Ecclesijs Catholicis coniungitur: vbi præter officia diuina suus datur prædicationi locus, datusque semper est; tametsi verbi prædicatio alicubi negligentiùs habita, fouendis horum temporum erroribus causam non mediocrem attulerit. Sed quid? An quia in Anglicana hodie reformata (vt volunt) Ecclesia cantus iste Ecclesiasticus in cathedralibus maximè Ecclesijs (vbi sua adhuc retinent loca laruati canonici) diligenter retinetur, publica propterea Scripturarum tractatio ad illum redacta est? Aut putat Bullingerus, Iudæos in suis Synagogis præter publicam Scripturarum lectionem, preces quoque publicas non habuisse? Illud Bullingerum docebit Caluinus, qui in hûc locum ita addit: *Nulla hîc fit mentio precum, quas tamen certum est minimè omissas vel neglectas fuisse*. Transsumpsit igitur primitiua Ecclesia à Iudæorum Synagoga non solùm publicam Scripturarum lectionem, sed & preces publicas, ipsasque horas canonicas & cantum. Quod ne miretur Cinglianus quispiam, Bullingero fauens, illud Caluinum agnoscentem, adeóque earundem horarum

Cantus ecclesiasticus, Scripturarum in Ecclesia tractationem non excluſit.

obseruationem in suis cõuenticulis optan-
Supra c. 3 tem, proferemus. Ad illa Lucæ verba, *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, ita scribit: *Quòd statas precandi horas veteri populo Deus esse voluit, inde colligimus non posse carere Ecclesiam certa disciplina. Ac hodie, nisi obstaret nimius torpor, vtile esset quotidie habere tales conuentus.* Hęc ille. Catholica itaque Ecclesia ad nostra vsque tempora has statas horas seruauit, & canonicas vocauit, quia regulariter seruantur, idque iuxta canones ac regulas à primis Ecclesiæ Præpositis ac Magistris præscriptas: non solùm à canonicis Scripturis quæ in Ecclesia leguntur, recitantur, cantantur, vt ex mera insci-
Sozom. histor. eccles. lib. 5. cap. 15. tia affirmat Bullingerus. Sanè adeò solennis & veneranda erat horarum canonicarum in veteri Ecclesia obseruatio, vt Iulianus Apostata, inuidens Christianis hoc ornamentum, suis idolorum sacerdotibus iniunxerit, vt ipsi quoque similem formam statis horis precandi, & cantu solemni Deos suos laudandi in suis fanis instituerent. Noluit etiam Anglia schismatica hoc ornamẽto carere, veluti ad simplicem populum nouo schismati inuoluendum apprimè accommodato.

22. Inuen

22. *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

Dauid quomodo fecit omnes voluntates Dei.

BOnam hoc loco quæſtionem proponit Caluinus. *Hic quæritur* (inquit) *quum Dauid tam grauiter lapſus ſit, quomodo Deus continuæ obediẽtiæ teſtimonium illi reddat. Duplex* (inquit) *reſponſio eſt. Nam ad continuum potiùs tenorem vitæ quàm ad ſingula Dauidis opera reſpexit Deus.* Hæc reſponſio ſana & orthodoxa eſt, ac vetuſtiſsimis doctiſsimiſque Patribus conformis. Sic enim D. Baſilius: *Vtrum vult Deus ſanctis imputare? vnumne peccatum, an multam iuſtitiam? Peccatum fecit. At multas quoque iuſtitias fecit. Quid iuſtum eſt apud iuſtũ Deum? An vt paucorum memor ſit, an vt multorum obliuiſcatur? Sit æquilibrium. Si peccata plura fuerint, cenſeatur peccator: ſi verò plures iuſtitiæ, æſtimetur iuſtus. Noſtra enim omnia ex eo quod ſuperat æſtimantur. Itaque iuſti ſumus tanquam homines. Iuſtitiæ ratio non eſt eadem quæ peccati. Vnde Filius Dei iuſtitia dicitur veluti abſoluta ſine peccato: nos verò ex iuſtitiæ participatione iuſti ſumus.* Hæc magnus ille Baſilius. De eodem Dauide ſic etiam B. Hieronymus: *Multis alijs bonis ſua vitia compenſauit. Neque enim iniuſtus eſt Dominus, vt tantùm peccata condemnet, & bonorum operum non meminerit.* Nec diſſimiliter D. Ambroſius: *Conſideremus nunc opera Dauidis quibus potuit tegere peccatum. Etenim quia ſine peccato eſſe non poteſt humana fragilitas, cauendum ne plura ſint peccata*

In homil. de Pœnitentia.

Lib. 2. cõtra Iouinian.

In Apologia Dauid cap. 6.

peccata quàm opera virtutum. Et paulò pòst: *Omnia nostra quasi in trutina ponderantur. Si bonis factis peccata præponderant, præcedunt ad iudicium; contrà verò, si bona præponderant.* Moxq; de Dauide concludit: *Sic dilexit Dominum, vt nimia charitate peccatũ omne tegeret atque absconderet.* Hæc ille. Bona igitur & firma responsio hæc est, Dauidem virum vocari *qui faciat omnes voluntates Dei*, tametsi quædam fecit contra volũtatem Dei, quia non de illis rarioribus peccatis, sed de continuo eius cursu ac tenore, quo in mandatis Dei ambulauit, *exquirens & custodiens legem Dei in toto corde suo*, illud Dei testimonium intelligi debet.

Psal. 118.

Iustus in hac vita qualis.

Porrò ex hac responsione & illud colligimus, iustos esse coram Deo in hac vita, & *viros esse secundùm cor Dei*, qui etsi grauiùs interdum labantur, nec omnia Dei mandata omni tempore obseruant, totius tamen vitæ cursu & tenore cõsiderato, totam legem seruare & *omnes Dei voluntates facere* censentur. Vnde rursum ex hac ipsius Caluini responsione vera & orthodoxa, illud hæreticorum axioma euertitur, quo astruunt neminem ex legis obseruatione iustum coram Deo esse posse, nisi qui totã legem exactissimè seruauerit, ita vt vnum eius iota non sit transgressus. Et quippe Dauid *vir secundùm cor Dei*, id est, iustus coram Deo, *& faciẽs omnes voluntates eius*, absque tam exacta & perpetua legis obseruatione, imò cum aperta &

ta & grauissima eius transgressione: adulterio videl. & homicidio vno quasi habitu perpetratis: homicidio quoque non vulgari, sed ex varijs circunstantijs indignissimo. Cæterùm acerba subsequuta pœnitentia, aliæque viri excellentes & innumeræ virtutes, ita illorum scelerum memoriam coram Deo deleuerunt, vt, perinde ac si perpetrata fuissent nunquam, *omnes Dei voluntates feciße* dicatur. Quod & his verbis Augustinus docet: *Cùm præsciret Deus Dauidem peccaturum, & peccata sua pia humilitate & sincera pœnitentia deleturum; cur non diceret Deus, Inueni Dauid secundùm cor meum, cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, & cum tanta pietate viuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti?* Hæc ille. Hanc sanè totam saluberrimam & consolatione plenam doctrinam hic locus docet, datáque à Caluino responsio confirmat.

Ad octo Dulcitij quæst. 1. q. 5.

Sed verò, vt hanc illi responsionem ipsa veritas extorsit, ita quia non admodum illa placebat, (quid enim ex ea sequeretur, ignorare non potuit) aliam annectit, quasi quæ priorem corrigat. *Deinde* (inquit) *non tam prò eius merito sic eum ornauit, quàm in Christi sui gratiam.* Et paulò pòst, priori responsione repetita, quam (vt dixi) ipsa veritas extorsit, ac dicés; *Quamuis grauissimè peccauerit Dauid, quia tamen toto vitæ cursu Deum secutus est, sine exceptione laudatur quòd in omnibus obedientem se*

præbuerit

præbuerit Deo; iterum veluti alteram correctionem, alteram responsionem adiungit: *Quanquam, vt iam dictum est, altiùs nos deducit Spiritus: imò communis fidelium omnium vocatio in Christo capite hîc nobis depingitur.* Strictè & concisè latens suum venenum lectori infundit: sic quidem vt à suis satis intelligatur, à Catholicis tam euidenter deprehendi & argui nequeat. Ait in hoc Dauidis elogio, quòd fuerit *vir secundùm cor Dei, faciens omnes voluntates eius*, communem omnium fidelium vocationem depingi. Et quomodo? *In Christo capite.* Quid hoc ænigmatis est? Nempè quemadmodum omnium fidelium vocatio communis, id est, tota iustitiæ laus & commendatio cuiuslibet fidelis (iuxtà sententiam Caluini) non nisi in Christo est, quatenus tota Christi iustitia suis membris cõmunicatur, illisque imputatur, sic Dauid hoc insigni elogio (iuxta Caluinum) ornatur, non pro eius merito, sed in Christi gratiam, & propter Christum caput, Christi videlicet iustitiam illi communicatam & imputatam. Et ad hunc sensum sublimiorem Spiritum Sanctum nos ait deducere. *Altiùs* (inquit) *nos deducit Spiritus.* Atqui spiritus iste Caluinianus, aut Lutheranus, aut certè Satanicus est, qui veram Spiritus Sancti sententiam, ex diametro ei contradicens, subuertit. Si enim Dauid vocatur *vir secundùm cor Dei, & faciens omnes voluntates Dei*, non

Scripturæ diuinæ Corruptio.

pro eius

pro eius merito, non quia verè talis erat, sed quia in Christo capite sicut omnes alij fideles (est enim *communis hæc omnium fidelium vocatio*, ait Caluinus) talis per imputationem censetur & habetur, profectò falsa est responsio, *quòd ad continuum tenorem vitæ eius Deus respexerit*, eum sic vocans, & quòd, *quia toto vitæ cursu Deum sequutus sit, ideo sine exceptione à Deo laudatur, veluti qui in omnibus obedientem se probauerit Deo*. Denique de quolibet fideli iuxta hunc sensum nõ secus quàm de Dauide dici potest ac debet, *Vir est secundùm cor Dei, faciens omnes voluntates eius*. Ita, vt dixi, totam Spiritus S. sententiam spiritus iste Caluinianus funditus euertit. Sed temperare sibi non potuit Caluinus, quin manifestæ veritatis luci (alijs suis principijs tam aduersæ) aliquas tenebras offunderet, & puritatem diuinæ Scripturæ suo admixto veneno inficeret.

Ad Caluini toxicum nonnihil roborandum adiecit Marloratus hæc verba: *Sic multa de Solomone leguntur, quæ veriùs Christo quàm Solomoni competunt*. Cui respondemus, multa quidem de Solomone legi, quæ excellentiùs Christo competunt quàm Solomoni, cuius in permultis ille typus erat; non tamen *veriùs*, quasi etiam Solomoni verè ac propriè sine vllo mẽdacio aut fuco illa non competerent. Solomon verè sapientissimus Regum Israel fuit, verè pacificus, verè templum

Marloratí frigida suffusa effunditur.

plum Deo primus dedicauit, verè ampliſsimum regnum tenuit per omnes Palæſtinæ fines. Chriſtus tamen multò excellentiùs
Coloſſ. 2. *omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauros in ſe reconditos habuit*; multò excellentiùs pacem toti
Hebr. 9. mundo attulit; *multò perfectius tabernaculum* vel in ſacratiſsimo corpore ſuo, vel in Eccleſia ſua, Deo dedicauit; multò excellētiùs
Pſal. 71. *dominatur à mari vſque ad mare, & vſque ad extremos fines terræ*. Sic Dauid verè erat *vir ſecundùm cor Dei, & verè fecit omnes voluntates Dei*, ſenſu quo dictum eſt. Sed multò excellentiùs Chriſtus ille eſt de quo Pater è cœlo di-
Matt. 11. xit, *In quo mihi bene complacui*. Hæc in Chriſto ſuperexcellens excellentia, donorū gratiæ in membris ſuis veritatem non tollit: quod ſua commentitia imputatione ſuadere conantur hæretici.

27. *Qui habitabāt Hieruſalem, & Principes eius, hunc ignorātes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.*

Scripturarum lectionē vanè iactant hæretici.

QVia legis & Prophetarum per ſingula ſabbata in Iudæorum Synagoga lectio facta eſt, Eccleſias Catholicas taxare in præcedentibus hæretici interpretes voluerūt, quòd propter cantum Eccleſiaſticum ſuppreſſa in illis erat Scripturarum lectio. Eorum calumniæ eo loco ſatisfactum eſt. Nūc hoc loco aduertere contra horum tempo-

rum

tum hæreticos licet, quid frequēs & aſsiduæ Scripturarū lectio abſque legitima eius interpretatione, fructus adferat. Scripturæ inſciis, tametſi per omne ſabbatū legeretur, exprobrat hîc Paulus tam populo Hieroſolymitano quā populi Principib⁹, Scribis, & Sacerdotibus. Legebāt igitur aſsiduè Scripturas; ſed illa ſola lectio nullū illis fructū attulit: quia Chriſtū nihilominus cum omnī illa Scripturarū lectione crucifigebāt: imò & iuxta Scripturas illud ſe facere prætexebāt. *Nos* (inquiūt) *legē habemus, & ſecundū legem* Ioan. 19. *noſtrā debet mori.* Vana igitur hæreticorū iactantia eſt, legi quotidie ab eis Scripturas, ſana interim & orthodoxa earū interpretatione neglecta. Vidit iſtud hoc loco Caluin⁹ ipſe, & ait: *Docemur tali exemplo, etiāſi Dñs nobis per Scripturā illuceat, nō omnibus tamē eſſe oculos.* Nō ſola igitur ſufficit Scripturarum lectio. Sana, orthodoxa, Catholica, & Eccleſiaſtica Scripturarū expoſitio accedere debet. Legūtur hodie in conuēticulis hæreticorū ſingulis diebus Dominicis ac feſtis certa capita veteris ac noui Teſtamēti, iuxta ritū Eccleſiæ Anglicanæ (vt volūt) reformatæ. Imò legunt paſsim & promiſcuè omnes. Has garrula anus, has delirus ſenex, has ſophiſta verboſus, has vniuerſi iuuenes, puellæ, vxores, mariti præſumunt, laceranᵗ, docent antequam diſcant: ſed pari cum fructu qualem populus ac principes Iudæorum inde

decerpserunt. Christum in illis Iudæi non inuenerunt, sed occidendi materiam ex illis deprompserunt, Christianam doctrinam, qualem Christi Ecclesia his 1500. tenuit, corrumpendæ ac deprauandæ variam ex illis materiam veluti ex puris floribus noxia venena aranearum more exugũt & depromunt. Huius temeritatis ac præsumptionis hæreticæ documento hic locus est.

Et ne longè abeamus, videat, quæso, quilibet lector, quale toxicum ex hoc ipso loco elicere, & quale documentum priori penitus contrarium depromere Caluinus potuit. *Interea* (inquit) *notandum est, ad Scripturam nos reuocari, ne magnorum hominum authoritas nos decipiat. Nec est quòd sibi quisquam ex prauo aliorum sensu præiudiciũ faciat. Hortatur enim Antiochenos Paulus, vt cõtra laruatos Ecclesiæ præsules ex Scriptura iudicent. Ideo enim data est, vt legatur. Lectio autem non frustra à Domino instituta; sed vt inde pij omnes proficiant.* Hæc ille. Quum hic locus perspicuè doceat, ex praua Scripturarum intelligentia errores nasci, nec earum solam lectionẽ sufficere, ideóq; ex aliqua legitima authoritate earum sensum petendum esse; contrà ex eodem loco ostendere Caluinus vult, solam Scripturarum lectionem sufficere, ad solas Scripturas nos reuocari, magnorum hominum authoritate nõ esse quòd moueamur, aut ex aliorum sensu præiudicium pati. Deniq; Ecclesiarum

Caluini vox rebellis.

siarum Præpositos (quos laruatos Præsules vocat) ex ipsa Scriptura esse iudicandos. An non bonus hic hæreticus est, bonus rebellis & spurius Ecclesiæ filius, qui ad omnium *magnorum virorum contemptum*, totique Ecclesiæ bellum inferendum, classicum canit, qui priuatum quemque ad Scripturarum liberam vel licentiosam potiùs expositionem prouocat; aliorum omnium authoritate (ne sibi præiudicium faciat) penitus neglecta atque despecta? Sed huic spurio & allophylo rebelli, multa paucis respondemus. Scriptura data est vt legeretur, nec eius lectio frustra instituta: sed legi debet ab ijs qui intelligere possunt. Ad eius intelligentiam ante omnia fides sana prærequiritur. Ea qui carent, velamen ante oculos habent, vt Iudæi, Turcæ, Pagani, & hæretici omnes, quorum iudicium varijs erroribus præoccupatum, veritatem in illis nec videt, nec vult videre. *Deinde, quum Scriptura variam ex varijs causis difficultatem habeat, ex styli & phrasium obscuritate, vt tractatores Scripturarum longè doctissimi professi sunt, [a]Augustinus, [b]Hieronymus, [c]Basilius, [d]Tertullianus, & alij; ex rerum quas tractat altitudine & profunditate, vt notauit disertè [e]Augustinus; ex variorum sensuum fecunditate, vt omnibus patet; ac demum ex ipsa eius loquendi breuitate, vt idem passim annotauit [f]Augustinus; propter has causas,

Ecclesiæ totius contemptum docet Caluinus.

1. Scripturarum lectio quatenus capessenda.

*2.

a. De doctrina Christ. l. 2. c. 6. & epist. 1. 28 & 119. c. 21.
b. In Ezec. c. 45.
c. Epi. 75.
d. Aduersus Marc. lib. 4. c. 25
e. De doctr. Christ. lib. 4. c. 31.
f. De fide & operib. c. 9. & cō. lib 5. c. 9. Epist. 149. c. 6.

nec ipsa sana fides ad eius intelligentiam sufficit. Qui igitur Scripturas legendas dedit, earum quoque Interpretes constituit, non quemuis fidelem, sed ipsos Dei verbi Ministros, Pastores, & Doctores. Quod vt Caluinistis melius persuadeatur, ex ipso Caluino demonstrabimus. Tractans illum locum vbi Eunucho Philippus à Deo missus Scripturam Prophericam interpretatur, ita scribit: *Eunuchi exemplo adminiculis omnibus vtendum est, quæ Dominus ad intelligendum Scripturam nobis proponit. Phrænetici homines* εὐδοκιάσμους *è cælo petunt, & interea Ministrum Dei contemnunt, cuius manu regi debebant. Alij perspicacia sua freti, neminem audire, nullos commentarios legere dignantur. Atqui Deus subsidia, quæ nobis destinat, non vult contemni, & eorum contemptum impunè cedere non patitur. Atque hic memoria tenendum est, non modò datam esse nobis Scripturam, sed Interpretes simul & Doctores esse additos qui nos adiuuent. Hac ratione Philippum Dominus Eunucho potiùs destinauit quàm Angelum. Quorsum enim hic circuitus spectabat, quòd Angeli voce Philippum Deus accersit, non rectà mittit Angelum ipsum, nisi quòd ad audiendos homines assuefacere nos voluit? Hæc certè non vulgaris est externæ prædicationis commendatio, quòd Angelis tacentibus, in ore hominum vox Dei in salutem nostram personat.* Hæc ibi Caluinus. Rursum reuelationem Angeli tractans Cornelio factam, qua Petrum accersiri iubet, vt ab eo cog-

In com. in Acta cap. 8. ver. 31.

Ecclesiæ vocem in exponendis Scripturis audiendam.

noscat

noſcat quid eum facere oporteat, vnde ipſe ſaluus fiat, & domus eius tota, hunc in modum ſcribit Caluinus: *Rationi parum videtur consentaneum, quòd Doctoris partes non implet Angelus, ſed homini mortali munus ſuum reſignat. Maior enim oraculo fuiſſet authoritas, quàm quum illi Euangelium hominis ore prædicatur. Verùm ſicuti Chriſtus Paulo ſe per viſionem oſtendens, eius tamen docendi partes Ananiæ reliquit, vt prædicandi Euangelij miniſterium, quod Eccleſiæ ſuæ mandauit, tali exemplo ſanciret; ita nunc Angelus Petro locũ cedit, vt munus ſibi à Chriſto commiſſum exequatur. Ergo quiſquis vult eſſe Chriſti diſcipulus, & illuminari cæleſtis ſapiẽtiæ luce, ad externam hominum vocem, qua Chriſtus tanquã organo vtitur, & cui fidem noſtram vult eſſe annexam, attentum ac docilem ſe præbere non grauetur. Videmus enim quàm horrẽdis modis vltus ſit Dominus furioſam eorum ſuperbiam, qui contempta prædicatione reuelationes è cælo captarunt. Nam quum in hominibus audiri velit, nõ poſſunt ſine eius contemptu & contumelia ſperni Miniſtri apud quos verbum ſuum depoſuit. Ait enim: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Interea probandi ſunt ſpiritus, ne audiamus abſque delectu quicumq; ſe Chriſti Miniſtros obtẽdunt. Sed quia fides ex auditu eſt, nemo ad eam perueniet, qui verbum prædicatum reſpuet atq; aſpernabitur.* Hæc iterum Caluinus claris & perſpicuis verbis, aliorũ locorum euidenti veritate compulſus, & tribus illis illuſtribus exemplis cõmotus (vbi ad Ana-

In com. in Act. c. 10. ver. 5.

Act. 9. ver. 10.

Luc. 10. ver. 16.

Rom. 10. ver. 17.

niam Paulus, ad Petrum Cornelius, ad Philippũ Eunuchus docendi destinãtur) agnoscit ac docet, non priuatam Scripturarum lectionem, nõ Angelicas aut immediatas à Deo reuelationes, media esse ad Scripturas intelligẽdas, fideique veritatem pernoscendam, aut sola, aut sufficientia, aut primaria: sed contrà, Ecclesiæ vocem in suis Ministris, Pastoribus, Doctoribus esse audiendã. Iam ergo videt ipse, tametsi Scriptura ideo data est vt legatur, tamen datos quoque esse diuini verbi Ministros qui eam exponant; necà quibuslibet ita legendam esse, vt eius interpretes audire detrectẽt. Rursum videt quàm improbè & temere hoc loco dixerit, *sic ad Scripturam nos reuocari, vt contra Præsules Ecclesiarũ ex Scriptura iudicare debeamus, & hoc à Paulo Antiochenos edoctos esse.* Nominat quidẽ Caluinus *laruatos Præsules*, & monet *ne magnorum hominum authoritas* nos decipiat, *nec ex aliorum prauo sensu præiudicium nobis* fieri debere. Sed hac ille larua & fuco vsus, veros Ecclesiæ Catholicæ Præsules, Pastores, Episcopos intelligit; *magnorum hominum authoritate*, veterũ Patrum consentientes Scripturæ expositiones designat: quas idcirco ille, quoties libet reijcit. *Praui sensus vocabulo* receptum in Ecclesia Catholica sensum notat, à quo ille semper abhorret, nouellũ suũ & profanum sensum, quoties hæresibus suis expedit, singulis Scripturis affingens. Quæ omnia ita se habere,

Caluinus ex seipso refutatur.

habere, ex nostris hisce Antidotis liquidò constat, & constabit adhuc in sequentibus magis. Tenẽdum igitur est, Scripturarũ sensum non ex sola lectione à quolibet cognosci, sed habere verã Dei Ecclesiam suos legitimos diuini verbi Interpretes quos audire oportet. Ita ex hoc loco, & ipsius Caluini non confessione modò, sed & luculẽta probatione, peruulgata illa omniũ hodie hæreticorum & famosissima sententia de Scripturarum innata quadam perspicuitate, deque Scripturæ intelligentia à quolibet eam attentiùs legente & meditante audacter sibi vendicanda, penitus concidit; penitus euersa iacet. Illa sola quæstio remanet, sítne solus Caluinus, aut qui illi adhærẽt, verbi Dei Ministri aut Interpretes legitimi. Qua in re aduersarios habẽt Caluinistæ nõ solùm Catholicos omnes maiorum suorum & totius antiquitatis vestigijs insistentes, (qui si veræ Ecclesiæ Pastores & verbi Dei veri Ministri atque Interpretes non fuerunt, caruit hactenus sua Ecclesia Christus, quæ sine vera diuinæ Scripturæ intelligentia consistere non potuit) sed etiam Lutheranos, Anabaptistas, Vbiquitarios, nouos in Polonia Arianos, Tritheitas, & Samosatenicos: qui omnes se solos pro verbi Dei veris Ministris & Interpretibus venditant.

Controuersiæ de religione hodie quales.

38. *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.*

Cap. vnico.

HÆreticorum proprium est quod de illis B. Iudas Apostolus scripsit: *Quæ autem ignorant, blasphemant.* Et si quis dogmata hodie controuersa animo percurrat, in plerisque sanè aduertet, sententias Catholicas ab hæreticis reprehensas, non nisi falsas esse suppositiones, vel ab illis calumniosè confictas, vel ex ignorantia partim crassa, partim affectata, animo conceptas. Eius rei exemplum in præcipuo ferè Christianæ doctrinæ capite de remissione peccatorum per Christum hoc loco se offert. Sic enim hic scribit Caluinus: *Refellitur hac particula impium Papistarum commentum, quo tradunt nõ nisi originale peccatum, & actualia quæ ante baptismum commissa sunt, purè & gratuitò per Christum remitti, alia redimi satisfactionibus. Atqui Paulus clarè pronunciat toto vitæ progressu nos per Christum iustificari à peccatis.* Et paulò pòst: *Fixum ergo maneat, iustitiam, qua donamur in Christo, non vnius diei esse vel momenti, sed perpetuam; vt sacrificium mortis eius quotidie nos reconciliet Deo.* Hæc ille. Doctrinam Catholicam aut non intellexit, aut bene intellectam calumniosè traducit. Recõciliari nos Deo per Christum per totam vitam, quoties in ea peccata prolabimur, quæ gratiam in baptismo datam

Catholicã religionẽ falsò traducit.

Reconciliatio per Christum quomodo semper necessaria.

rescin-

rescindunt, perpetua & constans Catholicæ Ecclesiæ doctrina est, fuitque semper: nec minùs gratuita est remissio peccatorum in Sacramento pœnitẽtiæ quàm in Sacramento baptismi, nam & pœnitentia absolutionem præcedens, remissionem peccatorum per modum meriti non consequitur, sed ad eam necessariò disponens, beneficio mortis Christi eam accipit; nec quæ absolutionem & remissionem peccati sequitur satisfactio, ea ad peccati remissionem quicquam facit, sed ad pœnæ tãtùm, peccatis remissis, exolutionem spectat. Hæc & passim à Theologis Catholicis traduntur, & iuxta manifestas Scripturas in Concilio Tridentino definiuntur. Relapso post baptismum Simone Mago, proponitur à Petro pœnitẽtia agenda, vt remissionem peccati consequatur. An Petrus propterea peccatum illud post baptismum commissum gratuitò à Christo remittendum negauit? Eum qui à prima charitate exciderat, iubet in Apocalypsi Ioannes *vt pœnitẽtiam agat, & prima opera faciat*. An quia ad pœnitentiã hortatur, remissionem per Christum gratuitam sustulit? Paulus lapsum fornicarium Corinthium *tradit Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*. An illa hominis post baptismum relapsi talis vexatio & satisfactio gratuitæ per Christum remissioni aliquid præiudicabat? Sed malè habet impiũ Caluinum, quòd relapsis

Pœnitentiæ doctrina nõ tollit gratuitã peccatorum remissionem.

Act. 8.

Apoc. 2.

1. Cor. 5.

post baptismum ad remissionem peccatorum adipiscēdam pœnitentia præscribitur, satisfactio imponitur, sola recordatio baptismi & vna fides in Christum sufficere non docetur. Ita contra euidentes Scripturas suum impium commentum obtrudere contendit. Interim Papistarum commentum inclamat. Sed vetustissimorum & doctissimorum Patrum (non Catholicorum hodie commentum) hāc esse iuxta tam claras Scripturas perpetuam & constantē doctrinam, intelligat Lector. Pulchrè inter cæteros & appositè Basilius, Græcorum facilè doctissimus: *Deus pro remissione peccatorum nostrorum demisso vnigenito filio suo, quantum in ipso est, ea iam antè omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam & iudicium Propheta canit, necesse est vt ea quæ à Prophetis & ab Apostolis de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei.* Caluinus cum suis ita Dei misericordiam celebrant, vt iustitiam extinguant. Aliorū Patrum sententias vide apud Robertum Bellarminum. *At*, ait hoc loco Caluinus, *Paulus hic clarè pronunciat in toto vitæ progressu nos per Christum iustificari à peccatis.* Sanè quidem. Nec de hoc dubitauit Basilius, aut alij Patres, qui pœnitentiam & satisfactionem relapsis post baptismum necessariam esse docuerunt. Optimè quippe sciebant, tum cum tota hac pœnitētia & satisfactione non nisi beneficio

Pœnitentiæ & satisfactionis doctrina, omnium Patrum doctrina.

In Regul. breu. ad interr. 2.

Controu. tom. 2. de pœnitēt. lib. 4. cap. 8. & seqq. item cap. 14. & seqq.

beneficio mortis Christi gratuitam peccatorum remissionem dari, quando absque illo beneficio & fide in Christum nulla cuiusquam pœnitentia, nulla quantalibet satisfactio, aliquam peccatorum remissionem consequeretur, aut ad eam consequendam legitima esset dispositio. Optimè quoque sciebant, sic esse gratuitam per Christum peccatorum veniam, siue in baptismo, siue post baptismum, vt Christi mandatis obtemperādum sit. Quū baptismum Christus institueret, & in eo remissionē peccatorum polliceretur; ne quisquā ea sola remissione facta omnia in perpetuum salua ac tuta esse sibi persuaderet, & (vt Caluinus hîc loquitur) *iustitiam in baptismo à Christo donatam*, quæ iuxta illum nihil aliud quā remissio peccatorum est, *perpetuam esse, totaque vita permanere*, stante vna in Christum fide, adiecit Christus mandatorum suorum obseruationem necessariam. *Docentes* (inquit) *eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quod optimè Paulus intelligēs alibi dixit: *Christus per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Atqui mandatum Christi est non solùm istud, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; sed etiam illud homini post baptismum relapso, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Hæc enim in Apostolo Petro Christi vox erat. Obtēperare Christo, est, nō solùm *voluntatē Dei Patris facere*, quod toties

Baptismi institutio & mādatorum obseruatio simul à Christo cōiuncta.

Matt. 28.

Heb. 5. 9.

Matt. 19.

Act. 8.

toties in Euãgelio iusſit, ſed etiam aliquando non faciẽtes, atque à prima charitate excidentes, pœnitẽtiam agere. Iuxta has Scripturas, veteres Patres gratuitæ per Chriſtũ reconciliationis nõ ignari, iubent relapſos pœnitentiam agere, ac diuinæ nihilominus iuſtitiæ ſatisfacere, quia *miſericordiam & iudicium* canit Deo Propheta regius. *Rogandus eſt Deus, & noſtra ſatisfactione placandus*, ait doctiſsimus & ſanctiſsimus Martyr Cyprianus. Et alio in loco veluti Caluinum in hac parte Nouatianũ (vt & alibi notauimus) perſtringens: *Miſerorum pœnitẽtiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat. Datur opera, ne ſatisfactionibus iuſtis delicta redimantur.* Hæc rurſum ille. Et adhuc ſemel: *Quid debeant facere peccatores, magiſteria diuina docuere: operationibus iuſtis Deo ſatisfieri*, &c. Nec ab eo differenter D. Auguſtinus: *Non ſufficit à malis factis recedere: niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per humilitatis gemitũ*, &c. Sic & D. Gregorius: *Cogitandũ eſt magnopere, vt qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat.* Hæc tota ſatisfactio ipſi Deo facta, gratuitæ & perpetuæ per Chriſtum remiſsioni nihil præiudicat; tum quia à Chriſto habet hæc fidelium ſatisfactio vt Deus ea placetur; tum quia ſic per Chriſtum Deus mundum ſibi reconciliat, vt ab ipſo mundo variam obedientiam & iuſtitiam

Ser. 5. de lapſis.

Lib. 1. epiſt. 3.

Serm. 1. de eleemoſyna.

Hom. 50. cap 15.

Hom. 34. in Euangelia.

iustitiam flagitet; non solùm vt in filiũ eius credant, eiusque mortis beneficium agnoscant, sed etiam vt in omnibus eius voluntati obediant: ex quibus vnũ est, vt peccantes pœnitentiam agant, & dignos pœnitentiæ fructus proferãt. Sed hæretici horũ temporum sic Christum Redemptorem gratuitum prædicãt, vt Dominum & Magistrum non agnoscant. Beneficiũ mortis auidè amplectuntur; obedientiam, quam flagitat, abrenunciant. In eum credere parati sunt, eius mandatis obtemperare recusant. Pigri & mali serui sunt, de mensa Domini sui comedere volunt, operas illi suas præstare detrectant. Aiunt se tam beneficũ Dominum habere, vt omnia ab illo bona gratuitò accipiant, nullum ei obsequiũ exhibere teneantur. Modò pro Dño agnoscant, & eius se subditos profiteantur, de reliquo viuant vt volent, eius præcepta violẽt, voluntati quotidie resistant, totã familiam diuexent, quaslibet cuilibet iniurias inferant, omnia illis salua ac tuta sunt; quibus illud Augusti Cæsaris à ciue quodam Romano rusticè & tenuiter in prandio excepti, responderi potest: *Non putabam me tibi tam familiarem esse.* Certè isti satis familiariter Christo vtuntur. Sed væ illis. Alia & longè alia à Christo illis responsio dabitur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Nescio vos.*

Hæretici hodie Christum ita Redẽptorem volunt, vt Magistrum nolint.

Matt 7. & 25.

Sed

Sed ad Caluinum redeamus. Impietati suæ prætextum adfert ex illis hîc Pauli verbis: *A quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.* Sic enim ex illis ratiocinatur: *Tenendum memoria est, Iudæis mandatos fuisse legis ritus, vt eorum vsus quotidie in Ecclesia vigeret. Nam quot-quot erant legis ceremoniæ, totidem erant ad consequendam remissionem peccatorum exercitia. Eorum omnium si veritas & substantia reperitur in Christo, sequitur, non aliud delẽdis peccatis esse piaculum quàm eius mortem. Alioqui inter hanc & veteres figuras analogia nõ constaret.* Hoc est igitur Caluini argumentum. Veteris legis ceremoniæ erant quotidiana exercitia ad remissionem peccatorũ consequendam. Illis omnibus ceremonijs & sacrificijs successit mors Christi veluti vmbris veritas. Ergo sola mors Christi quotidianum & perpetuum piaculum est delendis peccatis. Respondeo, vtcumque maior propositio non est absolutè vera, quia nulla veterũ ceremoniarum exercitia, nulla sacrificia ad peccatorũ expiationem valebant, sed erãt tantùm *iustitiæ carnis*, fides autem veterum iustorum in Christum venturum, quã in illis sacrificijs & ceremonijs profitebantur, ad remissionẽ peccatorum valebat, quæ etiam fides contritione & pœnitẽtia nõ carebat; tamen illa dissimulata, & tota conclusione concessa, nihil contra Catholicam doctrinam priùs explicatã concluſit Caluinus. Christi enim mors quoti-

quotidianum est & perpetuum delēdis peccatis piaculū, sed sensu iam dicto; interueniente fide, pœnitentia, satisfactione. Imò & veteribus illis iustis sola mors Christi perpetuum erat & quotidianum delendis peccatis piaculum, sed interueniente fide in illum venturum, quam illis sacrificijs proteſtabātur & exercebāt, non sine cōtritione & satisfactione. Dato enim de pecoribus suis *sacrificio pro peccato*, iuxta legis præscriptum, tum peccatū suū aliquo modo confitebantur, tum de eo se pœnitere illa data oblatione profitebantur, quando cum peccati manēte affectu, & in peccato persistendi proposito, illa fidei suæ professio & legis obedientia, & externa ceremonia, ad remissionem peccatorum consequēdam inane & ludicrum fuisset exercitium. Cæterùm quia hanc fidei protestationem de Christo venturo in illis sacrificijs factam carnales Iudæi non intelligebant, vtpote cuius clarum & literale testimonium non habebant, vt ipse infrà docet Caluinus, imò illis suis externis sacrificijs ac ceremonijs, operibusque merè legalibus, iustificari se coram Deo, & omnium peccatorum remissionem consequi, sibi persuadebant; docet eos Paulus, non illis legalibus ritibus & ceremonijs in lege Mosis præscriptis, sed vno Christi sacrificio, *qui vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*, iustificari eos, & à peccatis liberari, idque

Leuit. 5. & Num. 5.

Vide Genebrardi scholia in Psal. 31. ver. 6.

Ad Act. cap. 26. ver. 22.

Hebr. 10. 14.

idque iuxta traditam ipsis à Patribus suis doctrinã, vt agnoscit Caluinus. Non aliud hîc docet Paulus quàm quod in epist. ad Hebræos prolixiùs tractat, quoad ceremonias legales; & in epist. ad Romanos, quoad ipsam mandatorum decalogi obseruationem multis disputat; & in epist. ad Galatas de vtroque scribit, quãquam de ceremonijs legalibus magis. Quæ omnia, fauente Christo, vitaque comite, in singulis postea locis cõtra hæreticorum corruptelas explicabuntur. Non ergo hac ex parte inter veteres ceremonias & Christi sacrificium analogia consistit, quòd sicut illæ veterum pecca is delendis perpetua exercitia erant, sic nunc Christi mors perpetuum piaculum est, vt Caluinus ponit; (nam iuxta hãc analogiam illa vetera sacrificia verè peccata delerent, sicut nunc mors Christi verè delet.) Sed hæc est veterum sacrificiorum & sacrificij crucis Christi tota analogia, quòd illa quidem typicè adumbrabãt mortem Christi, vnde fieret remissio; Christi verò mors verum sit omnibus peccatis delendis piaculum, vt Paulus ad Hebræos latè disputat. Non enim alia quærenda est veterum sacrificiorum analogia, quàm quæ vmbræ & typo conueniat; quando illa omnia merè vmbratica erant, siue *vmbram habentia futurorum, non ipsam imaginem rerum*. Est igitur vmbratica analogia, non realis. Ibi quotidiana erant sacri-

Loco citato.

Sacrificij Christi & veterum ceremoniarum analogia.

sacrificia vmbratica ad mortẽ Christi præsignificandam cum fide in Christum venturum coniuncta. Nunc absque vmbraticis vllis sacrificijs, quia veritas aduenit, ipsa fide Christi mortem tenemus. Nec sola fide tenemus, vt ex illa morte à peccatis iustificemur (in quo Caluiniani erroris cardo versatur) sed ex tota fidei obedientia eius mortis beneficium consequimur, quia mors illa Christi causa salutis facta est omnibus obtemperantibus illi. Deinde, vt mors illa in cruce semel peracta nobis applicetur, eiusque beneficio fruamur, perpetuam agimus, Christo hoc iubente, eiusdem mortis commemorationem, quæ quotidianum Christianorum sacrificium est, omnibus illis veteribus sacrificijs succedens, vt plurimis in locis docuit Sanctus Augustinus. *Veri* (inquit) *sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebantur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebantur, post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebrantur.* Et rursum: *Sacerdos est ipse offerens, ipse & oblatio, cuius rei Sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variaq; signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc vnum per multa figuraretur. Huic summo verboque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* Hæc

Christi mortem sola fide non tenemus.

Contra Faustum lib. 20. cap. 21.

De Ciuit. Dei lib. 10 cap. 20.

Augustinus. Sic ab omnibus, à quibus in lege Moysi non poterant veteres iustificari, per Christi mortem quotidiano sacrificio commemoratam, à peccatis iustificamur.

39. *In hoc omnis qui credit, iustificatur.*

HIc quoque venenum suũ aspergit Caluinus, sed eo curatu facilius, quo vulgarius, & ipso penè vsu tritum. Ad hęc quippe verba sic commentatur: *Declarat Paulus quomodo potiantur homines iustitia Christi: nempe quum * fide illã recipiunt. Quod autem impetrat fides, nullis operum meritis consequimur. Quare non ambigua est Pauli sententia, iustificari nos sola fide: quam Papistæ non minùs obstinatè quàm acriter impugnant.* Respondeo breuiter: nam & ad Euangelium Ioannis huiusmodi sententias à Caluini toxicis repurgatas dedimus, & in epist. ad Rom. latiùs explicandi locus dabitur. Declarat Paulus primum & maximè necessarium medium quo homines iustificentur à peccatis suis, id est, vt Caluinus exposuit, liberentur & absoluantur ab illis, quum per Mosaica sacrificia ab illis liberari non possent. De illa iustificatione loquitur Paulus, vt proxima sententia luculenter docet; non autem de potienda iustitia Christi, vt ex ea nos iusti denominemur ac simus. Nec loquitur * de fide Christi iustitiam recipiente; figmentum hoc Caluinianum est; sed

*Mẽdaciũ putidum.

*Fides Christi iustitiam recipiẽs figmentum Caluini.

sed loquitur de fide qua in Christum credimus, vt à peccatis liberemur: quia videl. *sine hac fide impossibile est placere Deo.* Quo in loco impostura Caluiniana aduertenda est. In priori sententia, *A quibus peccatis non potuistis in lege Moysi iustificari*, exponit, id est, liberari & absolui; iam in hac proximè subsequenti sententia, *Qui credit, iustificatur*, exponit, *Christi iustitiam recipit.* Atqui Christi iustitiam recipere nulla Scriptura affirmat. Aliud etiam est, à peccatis per Christum liberari & absolui; aliud, Christi iustitiam recipere nobis imputatam. Nullo enim alio sensu iuxta Caluinum recipimus. Deinde si, *Qui credit, iustificatur*, hunc sensum facit, Fides recipit iustitiam Christi, & sola impetrat iustificationem; ergo & illa Pauli verba, *Factores legis iustificabuntur*; item illud Pauli, *Spe salui facti sumus*; atque illud Ioānis, *Qui manet in charitate, manet in Deo*; hunc sensum habebunt, Legis obseruatio, spes, charitas, Christi iustitiā recipiunt, & sola iustificant: nisi fortè saluum esse, & manere in Deo, minùs valeant quàm iustificari. Quæ igitur nunc sequūtur, *Quod impetrat fides, nullis operum meritis consequimur, ideòque sola fide iustificamur*, manendo in sensu de recipiendo iustitiam Christi, nihil ad huius loci sententiam faciunt. Loquendo de absolutione & liberatione à peccatis, Pauli sanè sententia ambigua non est, omnes ex fide in Christum à

Heb. 10.

Impost. Caluiniana.

peccatis absolui. Sed istud non magis solam fidem iustificãtem probat, quàm Scriptu-
1.Petr. 4. ræ citatæ, itemque illud, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, solam legis obseruantiam, solam spem, solã charitatem peccatorum esse remedium & sola iustificare conuincunt. Pauli sententia nec ambigua nec obscura, sed luce meridiana clarior est, fidem, qua iustificamur, non esse solam fidem, quam hæretici hodie omnes non minùs obstinatè quàm acriter propugnant; sed esse
Gal. 5. *fidem quæ per dilectionem operatur*, id est, non solùm quæ habet dilectionem adiunctam, (per quam rimam euadere Caluinus putat) sed quæ *per charitatem*, beneficio & virtute
1.Cor.12. charitatis (quæ maior est fide) iustitiam & salutem operatur; quam sine charitate nec operatur nec operari potest, sed planè ad salutem & omnem iustificationem inanis &
Iac.2. mortua est, non secus quàm corpus sine spiritu vitæ mortuum cadauer est.

48. *Et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.*

MVlta hîc congerit Caluinus partim vera, partim falsa, vt ex admixtis veris, quæ falsa sunt, & minùs aduertantur, & facilius ac probabilius lectoris animo insinuentur. Totam eius orationem vtcumque prolixam quàm fieri potest paucioribus expendam. Habet enim de electionis certi-

tudine

tudine & fide speciali totius doctrinæ Caluinianæ summã veluti in vnum collectam. *Notanda*, inquit, *est restrictio, quum refert Lucas credidisse non ad vnum omnes, sed qui ordinati erãt ad vitam.* Vera quidem est hæc restrictio: sed veram eius causam non designat Caluinus, vt mox dicetur. Pergamus interim: *Minimè autem dubium est, quin Lucas ordinatos vocet, qui gratuita Dei adoptione electi erant.* Verissimum est & istud. *Ridiculum enim* (inquit) *est cauillum, referre hoc ad credentiũ affectum, quasi Euangelium receperint qui animis rite dispositi erant.* Hæc quidem Lucæ verba eò referre ridiculum est, qui de eorum, qui crediderunt, dispositione nihil hîc loquitur. Aliæ tamen Scripturæ eos Euãgelium recipere, qui animis rite dispositi sunt, apertè docent, qualis inprimis Cornelius erant, *cuius orationes & eleemosynæ sic Deo acceptæ erant*, vt earum intuitu ad fidem Euangelij vocaretur; quod nuper latè explicatum dedimus. Rursum Christus de hac animorum recta dispositione ad fidem Euangelij recipiendam clarissimè dixit: *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoscet de doctrina, vtrũm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Rursum: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Vbi ex Deo esse, opponit Christus, ei quod est, *ex patre Diabolo esse, & opera Diaboli facere*; vt nec illud electionem nec istud reprobationem designet; sed illud eos notet qui Dei volũtatem faciunt, istud

Dispositio recta ad recipiẽdum Euangelium requiritur. Act. 10.

Ioan. 7.

Ioan. 8.

eos apertè demonstret qui opera diaboli faciunt. Cæterùm nec Cornelij orationes & eleemosynæ, nec qui ante fidem Euangelij voluntatem Dei faciunt, vel sine speciali Dei gratia ita animis dispositi erant, nec ex eiusmodi dispositione veluti ex merito aut causa vocationis efficaci ad fidem Christi vocantur; sicuti circa Cornelij vocationem explicatum reliquimus. Quam etiam ob causam hanc rectam animorum dispositionem rariùs Scriptura commemorat; Dei autē electio, & præordinatio gratuita, vt hîc à Luca, & frequenter à Paulo, crebriùs in doctrina Euangelica percensetur. Hoc necessario præiacto antidoto, pergamus nunc ad Caluini immixta paucis sanis venenata multa axiomata. *Nec dicit Lucas fuisse ad fidem ordinatos, sed ad vitam; quia Deus suos ad vitæ æternæ hæreditatem prædestinat.* Verum quidem istud est: sed an negari potest, quòd ad ipsam quoque fidem suos præordinat? dicente Paulo, *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & iustificauit, & glorificauit.* Tametsi igitur Lucas de solo vltimo prædestinationis effectu hîc loquatur, verum tamē est alios quoque effectus prædestinationis esse, quos aliæ Scripturæ describunt, ideoque electos non solùm ad vitam, sed etiam ad fidem fideique; bona opera prædestinari. *Docet autem hic locus* (ait Caluinus) *fidem non esse humanarum virium, sed ab electione Dei pendere.* Respondeo:

Rom. 8.

Prædestinationis effectus nō solùm vita æterna, sed & fides, fideique opera

Fides

Fides quidem non est humanarum virium, quia Dei donum est; nec tamen ab electione Dei ita pendet, vt fidei actum aut ipsa electio conferat, (quũ electio nihil in electo ponat, sed ponendum præordinet) aut soli electi producant: de quo mox plura. Sed fides electorum sic ab electione pendet, vt quos ex proposito vocat Deus ad fidem, illorum quidem fides ab æterno præordinata ideoque infallibilis sit, non tamen in ipso credẽte, nisi ex hypothesi necessaria, sed absolutè libera: vtpote opus non solius gratię, sed etiã liberi arbitrij, vt in alio huius operis loco contra Caluinũ ostensum est. Quibus ita explicatis; quæ sequuntur, facilius expedientur. *Et certè* (inquit) *quum totum hominum genus cæcum sit & contumax, hærent in natura nostra morbi isti, donec Spiritus gratia corrigantur. Correctio autem non nisi ex fonte electionis fluit.* Falsum hoc postremum, quia multi corriguntur non electi ad vitam æternam: & proxima ac propria correctionis causa est non ipsa electio æterna, sed gratia in tempore data. Probare tamen vult quod dicit. *Nam* (inquit) *quòd ex duobus qui promiscuè eandem doctrinam audiũt, alter docilem se præbet, alter perstat in sua malitia, non ideo fit quòd natura differant, sed quia priorem illuminat Deus, alterum pari gratia non dignatur.* Aduerte quod probare volens correctionem naturæ ex fonte electionis fluere, non de electione æterna, sed

Electorũ fides quo modo ab electione pendet.

Ad Ioan. cap. 1. v. 12

Naturæ correctio ex fonte electionis non fluit.

de gratia illuminante in tempore data disputat. Ita quod priùs dixit, hac subiuncta ratione neutiquam probauit. Discrimen verò quod ponit à parte gratiæ verum est, si parem gratiam intelligamus: videl. non ipsos præuenientis gratiæ motus in se pares, sed eorum parem congruitatem. Pari enim gratia quoad ipsos motus in se quidam excitati conuertuntur, quidam non, quod de Tyrijs & Sydonijs futurum fuisse pronunciat Saluator, si eosdem gratiæ motus sensissent quos Capharnaitæ & Bethsaiditæ senserant. Nempe quia ad illorum conuersionem congrua media fuissent, quæ istis tametsi sufficientia, non tamen cõgrua erant, ideo que inefficacia. Deinde, sicut hîc discrimen ponitur à parte gratiæ, sic etiam verum discrimen poni potest à parte liberi arbitrij à gratia præueniente moti, excitati, adiuti: quale ponit Augustinus inter duos æqualiter per omnia affectos & tentatos; quorum alter conspecta muliere castitatem seruat, alter non seruat.

Gratiæ paritas cum effectu impari.

De ciuit. Dei lib. 12 cap. 12.

Pergamus cum Caluino. *Fide quidem* (inquit) *efficimur filij Dei; & fides, quantum ad nos spectat, salutis est ianua & principium: sed altior est Dei respectus. Neque eligere nos incipit ex quo credimus, sed adoptionem suam, quæ occulta erat, fidei dono obsignat in cordibus nostris, vt manifesta & rata sit.* Hîc iam apertiùs se prodũt venenata Caluini mysteria. Deus quidem eligere nos non

non incipit ex quo credimus, quia quos elegit, ab æterno elegit, sed in ipsa sua electione non nisi in ipsum credituros ad vitam æternam elegit, fidemque in Christum cum reliquis fidei operibus vitæ æternæ cõsequendæ media fore præuidit; & sicuti præuidit, præordinauit. Ita fons fidei aliarumque virtutum in electis non ipsa electio ad gloriam est, sed ipsa huiusmodi virtutum cum doctrinæ gratiæ adiutorio operatio libera, ab ipso Deo (secundùm nostrum modum intelligendi) priùs præuisa quàm præordinata: nam ipsam præordinationem seu prædestinationem necessariò præcedit præscientia; non quidem vt alterius causa aliqua, (facta enim omnium bonorum operationum, mediãte eius gratia si daretur, præuisione, potuit liberè & iustè gratiæ suæ auxilia non prædestinare) sed quia præscientia quum sit actus intelligentiæ diuinæ necessarius, prædestinatio verò & electio actus liber, ille hunc necessariò præcedere à nobis intelligitur: & licet prius ac posterius in actionibus diuinis non est, ordo tamen est. Prædestinationem præcedit præscientia.

Sed magis venenatũ est quod sequitur. *Adoptionem* (inquit) *suam Deus quæ occulta erat, fidei dono obsignat in cordibus nostris, vt manifesta & rata sit*. Certitudinis gratiæ & electionis cuiusque in particulari quam sibi finxerunt Caluinistæ, hæc vna sententia radix & fun-

Electionis certitudo Caluiniana euertitur.

damẽtum est. Atqui ab omni veritate alienam illam esse, hoc vno argumento inuictè demonstratur, quia multi fidei donum acceperunt qui reprobi fuerunt, non electi; videl. *naufragantes à fide*, vt Paulus loquitur. 1. Tim. 1. 19. Donum igitur fidei quum sit reprobis & electis commune, Dei adoptionem in cordibus credentium obsignare, vt manifesta ac rata sit, id est, vt omnes credentes se esse electos manifestè cognoscant, nullo modo fides potest. Falsum quippe in valde multis & fallax signaculum esset. Ponit quidem Caluinus, vt consequẽter loquatur, vnicam electorum fidem, & negat reprobos vera fide credere vel credidisse. Sed hoc portentosum eius paradoxum, vt alibi sæpe in Antidotis hisce nostris, sic & suprà in exemplo Simonis magi validè refutatũ reliquimus. In alijs quoque diuinarum Scripturarum locis illam refutandi occasio dabitur. Hoc igitur eius axiomate euerso, cætera quæ sequuntur sua sponte corruunt. *Non mirum igitur* (inquit) *si non omnes promiscuè Euangelium recipiant; quia tametsi externa hominis voce omnes ad fidem inuitat Deus, non tamen efficaciter vocat per Spiritum suum, nisi quos seruare decreuit*. Totum hoc falsum apparet, quia multi etiam efficaciter per Spiritum Dei vocantur, & electionis gratiæ participes fiunt, quos finaliter tamen seruare Deus non decreuit: qui (vt Paulus loquitur,) *postquam semel illuminati sunt*,

In Ioan. cap. 15. v. 2. & 9. & cap. 20. vers. 28. Suprà Act. 8. ver. 13.

Heb. 6.

sunt, & gustauerunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus S. prolapsi tamen sunt, &c. Pergit Caluinus: *Iam si fidei & salutis causa est Dei electio qua nos ad vitam ordinat, nihil dignitati & meritis residuum fit.* Cui respondeo: Si fidei & salutis causa non est sola Dei electio qua nos ad vitam ordinat, sed fidei quidem causa Dei gratia gratuita, cui tamen homo cooperetur; salutis verò causa ipsa opera fidei ac iustitiæ ex Dei gratia & hominis libera volũtate promanantia: profectò dignitati & meritis iustorum multũ residuum est, videl. *merces vitæ æternæ, & corona iustitiæ, quam reddet illis iustus Iudex.* 2. Tim. 4. Nunc conclusionem audiamus. *Teneamus ergo* (ait Caluinus) *quod dicit Lucas, priùs ordinatos fuisse ad vitam, qui fide insiti in Christi corpus, arrham & pignus adoptionis suæ in eo recipiunt.* Tenendum sanè quod dicit Lucas, illos credentes, de quibus hîc loquitur, præordinatos ad vitam fuisse. Sed non dicit Lucas omnes credentes præordinari ad vitam, quod ex eo colligit Caluinus. Non dicit fidem esse arrham & pignus adoptionis quæ ad solos electos pertinet, quod vult Caluinus. Sed neque quod de illis tunc ex Pauli prædicatione credentibus Lucas dicit, *præordinatos illos fuisse ad vitam æternam*, necesse est intelligere vel ex certa reuelatione Lucam hoc dixisse, illos omnes in particulari de numero prædestinatorum fuisse, sed hoc ab eo quasi cõiecturaliter vel ex pia

Impostura Caluini & collecta fallaces.

ex pia charitate & confidentia dictum esse,
Philipp.6. (sicut Paulus ad suos Philippenses dixit: *Certus sum*, id est, bene confido, *quòd qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque ad diem Christi*;) vel nullos alios credidisse quàm qui ad vitam præordinati erant; sed hoc à Luca adiectum fuisse tanquam argumẽtum probabile præordinationis ad vitã, quum tam pauci essent qui Paulo crederent, & fidem Christi tanta auiditate & zelo in tanta contradicentium multitudine profiterentur. Sanè sicut Lucas non nisi vnum posuit prædestinationis effectum, fidem scilicet, seu vocationem ad fidem, reliquos effectus tacens, quia ille quasi primus est prædestinationis effectus; sic illos potissimùm credentes commemorat quos ex magnitudine fidei præordinatos ad vitam esse apparebat, quasi magis illustres Paulinæ prædicationis effectus, alios tacẽs qui crediderunt quoque, sed præordinationis ad vitam tam illustria signa & testimonia non habebant. Cæterùm quicquid hac de re sit, non dixit Lucas omnes credentes ad vitam præordinari, vel nullos alios credere quàm qui ad vitam præordinantur, quæ ex eius verbis perperam Caluinus colligit.

Pergamus adhuc cum Caluino: *Vnde etiam colligimus quid per se valeat Euangelij prædicatio. Neque enim fidem in hominibus reperit, nisi quia Deus, quos elegit, intus vocat, & qui priùs sui erant, ad*

ad Christum trahit. Vera hæc consequentia esset; si non alios credere Lucas dixisset quàm qui ad vitam præordinantur. Nunc quia id non dixit, sed illos tantùm credentes, de quibus loquitur, ad vitā præordinatos fuisse scripsit, consequentia nullam vim habet, nulla veritate subsistit. Euangelij sanè prædicatio adhuc incredulis facta, vt hoc loco, fidem in hominibus non reperit, sed generat; non quia semper electi sunt qui intus edocti credunt, sed quia non foris tantùm externa prædicatoris voce, verùm & interna diuini Spiritus operatione docētur, siue reprobi sint, fidemque finaliter amissuri; siue electi sint, & finaliter perseueraturi. *Isdem verbis* (ait Caluinus) *simul docet Lucas, fieri non posse vt quisquam ex electis pereat. Dicit enim credidisse non vnum vel paucos electos, sed quotquot electi erant*. Est quidem verissimum nullum ex electis perire posse; sed quum Lucas non nisi de illis paucis loquatur qui ad primam Pauli prædicationem crediderunt, id ex Lucæ verbis colligi non potest. Sequitur in Caluino: *Quamuis enim nobis ignota sit Dei adoptio vsquedum eam fide percipimus; in arcano tamen eius consilio dubia vel suspensa non est: quia omnes, quos pro suis habet, filij sui præsidio tutelaque commendat, qui in finem vsque fidelis manebit custos. Vtrumque membrum cognitu necessariū est*. Tota hæc oratio vera est, eo mēbro excepto, *vsque dum eam fide percipimus*.

Neque

Neque enim adoptionem Dei æternam, & ex electione profectam, fide percepimus, quasi, quicunque credit, is statim ex numero electorum sit; sed quàdiu in hac vita peregrinamur, omnibus credentibus ignota est sua electio & prædestinatio ad vitam, nisi specialiter à Deo cuiquam reueletur. Quod olim ex* Augustino, qui & huius ignorantiæ saluberrimam causam reddit, ostendimus. Pergit Caluinus: *Quum electio fide superior statuatur, non est quòd sibi quicquam in vlla salutis suæ parte homines arrogent.* Quomodo electio sit fide superior, & quòd ab electione sola, fides non pendeat, ideoque præter electionem tam fides quàm fidei opera salutis nostræ causa sunt, in præcedentibus explicatum est, simulque ostensum, multum esse ex parte ipsorum hominum quod ad salutem cõferat, quatenus diuinæ gratiæ tam in credendo quàm in rectè operando cooperantes, suæ salutis cooperatores homines sunt. Videamus tamen quæ sequuntur. *Nam si fides* (ait Caluinus) *in qua consistit salus, quæ nobis gratuitæ Dei adoptionis testis est, quæ nos Christo coniungit, & vitam eius facit nostram, qua Deum cum sua iustitia possidemus, qua denique recipimus sanctificationis gratiam, extra nos fundata est in æterno Dei consilio, quicquid habemus bonorum, gratiæ Dei, quæ nos vltro præuenit, acceptum ferre necesse est.* Respondeo: Si fides, quicquid & quantumcumque de illa prædicetur, non est

Electio in hac vita incognita

Ad Ioan. cap. 10. ver. 28.

* De corrept. & grat. c. 13.

Fidei elogia iuxta Caluinũ.

est extra nos fundata in solo æterno Dei consilio, sed est opus nostrum qui credimus, qui excitanti ad fidem Deo liberè consentimus & cooperamur: profectò tam fides ipsa quàm opera fidei, solius quidem gratiæ Dei dona sunt (quatenus gratia Dei prævenit, & prior nos excitat,) sed quatenus à gratia excitati & adiuti eidem liberè cooperamur, non solùm Dei dona, sed & opera nostra sunt, nosque saluti nostræ cooperamur, vnde & gloriari licet, sed in Domino, quia potestas in homine est credēdi, & voluntatem suam in melius mutandi; sed hæc potestas nulla esset, nisi à Deo data esset. Quæ omnia nuper explicata reliquimus. Iam quæ Caluinus hîc de fide deprædicat, pleraque falsa sunt, & diuinis Scripturis aduersantia. *In qua* (inquit) *consistit salus*. Nec in sola fide cōsistit salus, nec aliter in fide quàm veluti in principio & fundamento. *Quæ nobis*, inquit, *gratuitæ adoptionis testis est*. Non est sola fides gratuitæ adoptionis testis, sed multo magis ipsa charitas *diffusa in cordibus nostris*, secundū quā propriè *Spiritū adoptionis accepimus, & non spiritum seruitutis in timore*. Fides quoque per charitatem operans non est testis adoptionis in sensu Caluini, id est, electionis æternæ, sed est testis præsentis adoptionis temporalis, & *initium substantiæ Christi* (vt Paulus loquitur) *quod si ad finem vsque firmiter tenemus, participes Christi* erimus in gloria, sicut nunc sumus

Eadem Scripturis repugnātia. 1.

2.

Fides quo modo testis gratuitæ adoptionis Rom. 5. Rom. 8.

Heb. 3.

sumus in gratia. *Quæ nos* (inquit) *Christo coniungit*. Verum hoc sanè quatenus coniunctionis principiũ est; sed coniunctionis perfectio charitas est, iuxta illud Ioannis: *Qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.* Quod Christus luculentiùs expressit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* *Quæ* (inquit) *vitã Christi facit nostram.* Nulla Scriptura sic loquitur: prophana est vocum nouitas. Nec fides nec charitas vitam Christi facit nostram; sed per fidem & charitatem nos in Christo viuimus, & vita nostra spiritualis ex spiritu Christi viuit, quatenus dona gratiarum ex sua plenitudine Christus nobis cõmunicat. Sed vita Christi & plenitudo vitæ in Christo soli Christo propria est, *qui non ad mensuram accepit Spiritum*: nobis autem *secundùm mensuram donationis Christi* diuisit Deus. Hæretici hodie in se ipsis gratiarum nihil, quicquid tamen in Christo est, habere volunt: in altero ingrati & mendaces, in altero præsumptuosi & audaces. Ingrati sunt Deo, & *mendacem Deum faciunt, qui non credunt Deo* in Scripturis loquenti, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem; Diffusa est charitas in cordibus nostris; Spiritũ S. effudit in nos abunde, Pleni estis dilectione*: & alia innumera. Præsumunt verò, quicquid Christus in se plenitudinis habuit, id suũ esse, id illis imputari, id ad fidei

Fides quo modo coniungit nos Christo. 1. Ioan. 4.

Ioan. 14.

4.

Christi vita non fit per fidem nostra.

Ioan. 3.

Ephes. 4.

Hæretici hodie ingrati & audaces.

1. Ioan. 3. 34.

Esai. 44. 3 Ioel. 2. 28. Rom. 5. 5. Tit. 3. 6. Rom. 15. 14.

dei suæ commentitiæ mandatum esse. Sic seipsos miserè & alios nequiter decipiunt. Eiusdē farinæ est quod sequitur: *Qua Deum cum sua iustitia possidemus*. Nefarij homines iubentur *quærere regnum Dei, & iustitiam eius*. Iubentur *in timore & tremore suam salutem operari*. Iubentur *seruire Deo in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ suæ*. Illi contrà respondent: Non est nobis hic labor necessarius. Te ipsum cum tua iustitia sola fide possidemus. Credimus te totum nostrum esse. Saluares est. An hoc hominum genere quicquam aut contra Deum magis rebelle, aut importunius aut magis nefarium est? vnum adhuc fidei elogium addit Caluinus. *Qua denique* (inquit) *recipimus sanctificationis gratiam*. Quæ hoc Scriptura docet? Aut quid hæc verborum nouitas sibi vult? Sanctificationis gratiam à remissione peccatorum distinguere, & alteram iustificationis nostræ partē constituere solet Caluinus, vt in epist. ad Rom. videbimus; eamque definire, *nouam Spiritus regenerationem*, siue nouam in Christo creaturam. Age igitur. An hanc sola fide recipimus? An hanc sola fides constituit? An vt homo Spiritu regeneretur, vt noua fiat creatura in Christo, sola fides facit? Sanctificationis gratia, siue noua creatura in Christo, nihil aliud iuxta Paulum est, quàm *in nouitate vitæ ambulare, vtrà nō seruire peccato, mortuos quidem esse peccato, vt*

5. Matth. 6. 33. Philip. 2. 12. Luc. 1.

Hæretici hodie Christo contradicunt.

6. Sanctificationis gratia fide non recipitur.

Rom. 6. v. 4. 6. 11. 12. 13. 19.

to, vt non regnet in mortali corpore nostro ad obediendum concupiscentijs eius, exhibere nos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ Deo: denique exhibere membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Hæc est iuxta Paulũ sanctificationis nostræ gratia. Quid? An hoc totum vna fide recipimus? An quicumque credit in Christum, ille sanctificationis gratiam recepit? Ille totus (quantum ad salutem necesse est) sanctus & sanctificatus est? Planè iuxta Caluinum ita se res habet. Mysterium enim doctrinæ eius est, nos sanctificari in Christo & per Christum, non quatenus aliqua in nobis affectuum renouatio & sanctificatio inhęret, sed quatenus sanctificationem omnem, quæ in Christo erat, nobis imputatam fide recipimus. *Quare* (inquit) *fide iustificamur? Quia fide apprehendimus Christi iustitiã, qua vna Deo reconciliamur. Hanc verò apprehendere non possis, quin & sanctificationem simul apprehendas. Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificat. Sic in Christi participatione, qua iustificamur, non minùs sanctificatio continetur quàm iustitia.* Tenemus iam Caluini sensum. Sãctificationis gratiam vna fide recipimus, quia sanctificationem, quæ in Christo erat, vna fide apprehendimus. Sicuti iustitia Christi nobis imputata remittũtur peccata, vt reconciliemur Deo, sic sanctificatione Christi nobis imputata sanctificamur coram

Sanctificamur imputatiuè iuxta Caluinũ.

Institut. lib. 3. c. 16 num. 1.

ram Deo. Vtramque autem fide recipimus, quia vtramque fide apprehendimus. Ita nihil pensi habuit Caluinus, quid de sanctificatione nostra Paulus scripsit. Reiecta Pauli doctrina, quòd *seruimus iustitiæ in sanctificationem*; sui cerebri commentum obtrudit, quòd Christi sanctitatem fide apprehendimus in sanctificationem. Sed neminem Christianum tam dementem arbitror, qui nefarium Caluini figmentum Apostolicæ doctrinæ anteponat. Tot ille modis in præpostera fidei prædicatione contra sanæ fidei doctrinam peccauit.

Audiamus reliqua. *Rursum* (inquit) *quia multi perplexis ac spinosis imaginationibus se implicant, dum salutem suam in abdito fidei consilio scrutantur, discamus ideo fide approbari Dei electionem, vt se mentes nostræ ad Christum conuertant, tanquam electionis arrham; nec aliam certitudinẽ quærant, quàm quæ nobis in Euangelio patefacta est. Sufficiat (inquam) nobis hoc sigillum, quòd quisquis credit in Filium Dei vnigenitum, vitam æternam habet, Ioan. 3. 39.* Hæc hactenus Caluinus. Sigillum secreti sui nobis aperuit. Vt omnis dubitatio, omnis perplexa & spinosa imaginatio de salutis certitudine remoueatur, vt vnusquisque se de numero electorum esse certissimè credat, hoc vnum sufficit, quòd iam in Christum credit, quòd fide donatus est. Et quare rem tantam, tam arduam, tam

Prædestinationis Caluinianæ sigillum, semel credere.

sublimem, à qua vna tota hominis æternà salus pendeat, ex vna & sola fide in Christum certissimè & infallibiliter pendere docet tam confidenter Caluinus? *Quia*, inquit, *sufficere nobis debet hoc sigillum, hæc arrha, hæc obsignatio*, hæc certa promissio & reuelatio, qua dixit Ioannes Baptista: *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternã.* Ego credo in Filium; ergo habeo vitam æternam. Itáne, Caluine, hoc vnum nobis sufficit sigillum, vt de electione nostra ad salutem infallibiliter certi ac securi simus? Quàm tu nobis facilem, planam, ac compendiosam ad cælum viam paras! Quid enim facilius, quàm credere in Filium Dei? Aut quis Christianus, fidei suæ symbolum ex animo & firmiter tenens, non credit in Iesum Christum Filium Dei vnigenitum? Si hoc vnum sufficit sigillum, vt quid alia vel credimus, vel facimus, vel quærimus, vel inuestigamus, vt salui simus? Te igitur authore, reliqua abijciantur omnia; valeant Sacramenta; ablegentur ad alios populos Dei mandata; tota vitæ nouitas despiciatur; Dei cultus siue externus siue internus negligatur; tota reliqua doctrina conticescat, hoc vnum sigillum teneamus fortiter: Credo in filium Dei; ergo habeo vitam æternam. Quòd si verò illa verba, *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*, nec alijs fidei articulis tot ac tantis necessariò

Ioan. 3.

creden-

credendis, nec ipsis diuinis Scripturis agnoscendis, nec Sacramentis religionis nostræ retinendis, nec cultui diuino, nec vitæ nouitati aut mandatorum Dei obseruationi prę-iudicant, sed ad vitam æternam consequendam tam alia præterea multa & credenda, & retinenda, & facienda, Scriptura nos docet; qua temeritate & impietate, illa vna sententia, veluti *totius salutis nostræ sigillum ad salutem sufficiens*, ab impio & audaci isto hæretico, quem hodie tam multi sequuntur, affirmatur? Cur non potiùs commodũ aliquem & reliquis Scripturis cõuenientẽ sensum piè & humiliter amplectimur? Nempe, *qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*, sicuti non in re, sed in spe (*gloriamur enim in spe gloriæ filiorum Dei, & hæredes sumus secundùm spem vitæ æternæ*) sic non in toto, sed ex parte, quia ad eam adipiscendam vnum titulum ac primum gradum habet: nisi malis illo verbo, *Qui credit in Filium*, ipsam fidei perfectionem, fidẽ videlicet charitate formatam intelligere. Ceterùm hæc verba apud ipsum Ioannem latiùs tractauimus; sicut & alia his similia: *Qui credit in eum, nõ iudicatur*. Vtrobique Caluini impietatẽ iugulauimus. Vide etiã quę ad similia Christi verba Ioan. 3. latiùs disputauimus in Prompt. Cathol. in fer. 2. Pentecostes. Sicut hoc in loco solito prolixior & accuratior Caluinus fuit, to-

Rom. 5. Tit. 3.

In Antidotis Euãgel. ad Ioan. c. 3. v. 18. & 36.

tum quasi suum venenum circa specialis fidei & electionis certitudinem in vna pagella effundens, ita eius omnia vestigia persequi, & singulis toxicis sua antidota apponere, operæ pretium duxi.

CAP. XIIII.

12. *Sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas offerens, cum populis volebat sacrificare.* 13. *Quod vbi audierunt Apostoli, Paulus & Barnabas, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes:* 14. *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.*

EXVLCERATISSIMVM in Caluini pectore maleuolētiæ vlcus ad quemlibet contactum in saniem erumpit: imò & leui quouis aspectu aut specie potiùs atque apparētia leuissima motum, à verbis maleuolis, virulentis, fœtidisque calumnijs temperare sibi non potest. Crassissimam hoc loco Lystrensiū idololatriam, qua Barnabæ & Paulo veluti Dijs de cœlo dilapsis cum tauris & coronis sacrificare volebant, ad venerationem Sanctorū in Ecclesia Catholica perpetua religione obseruatam homo impius obtorto collo detorquet. At quo tandem modo? Ex illa Barnabæ

nabæ ac Pauli reſponſione: *Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines. Hæc* (ait Caluinus) *frigida videtur eſſe oratio, quæ ab Apoſtolis affertur. Inde enim colligere promptum foret, non eſſe illicitum eorum cultum, quos humanis miſerijs mors exemit. Hoc modo intactæ ſtarent Gentiũ omnium ſuperſtitiones, quæ in Deorum numerum nõ ſolebant niſi mortuos referre. Eodem etiam colore ſuam idololatriam Papiſtæ fucarunt, qui mortuorum oſſa, lignum, & lapides potiùs adorant, quàm viuos & ſpirituales homines.* Hæc ille: cuius tota oratio non frigida modò, ſed inſulſiſsima eſt. Non enim idcirco Paulus ſe hominem mortalem aſſeruit, vt viuentium tantùm & ſpirátium hominum cultum condemnaret, vnde tacitè inferre poſſent ſaltem mortuos homines coli poſſe; ſed vt omnium prorſus hominum cultum diuinum animis eorũ eximeret. *Mortales* (inquit) *ſumus ſimiles vobis homines*: id eſt, non ſumus (vt vos putatis) Dij aliqui de cælo dilapſi (ſic enim exiſtimantes dicebant, *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*) Non ſumus Iupiter aut Mercurius, aut tale aliquid, quos vulgus Gentilium nunquam fuiſſe mortales ſibi perſuaſit, tametſi poëtæ eorum originem carminibus celebrarint; ſed ſumus natura homines ſimiles vobis, naturæ prorſus humanæ, non diuinæ; ideoque non de cælo venimus, ſed mortalem in terris vitam agimus ſicuti vos. Hæc eſt aperta & clara

Caluinia fœda in Eccleſ. Catholi.

Pauli vera ſententia.

Pauli sententia, quæ omnium prorsus mortalium hominum seu viuentium seu mortuorum cultum diuinum (qualem isti exhibere voluerunt) excludit, & solum Deum, qui immortalis & sempiternus est, adorandum docet. A tota igitur Pauli sententia aberrat Caluinus; seu studio, vt Catholicos carpendi ansam sumeret, seu ex inscitia, ipse viderit: & frustra in sequentibus huic à se propositæ prorsus extra chorum obiectioni accuratam molitur respõsionem. Porrò plenum stultitia & apertè falsum est quod subiungit, *Gentes non solere in Deorum numerum nisi mortuos referre.* Quis enim nescit, præter illos fictitios Deos, Iouem, Saturnum, Mercurium, & huiusmodi, ipsas etiã stellas, Lunam, & Solem, adeóque ipsa quadrupedia & volatilia miseros & cæcos Gentiles pro Dijs coluisse? quod toties Scriptura cõmemorat, & disertissimè Paulus his verbis, *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & voluerum, & quadrupedum, & serpentum,* vt planè hoc loco Caluinus quouis pagano cæcior (ita eum malitia excæcauit) factus fuerit.

Caluini crassissima stoliditas.

Rom. 1.

Iam quod de Catholica Ecclesia Satan iste & accusator mẽdax fratrum nostrorum affirmat, *eodem colore nostram idololatriam fucare nos posse, qui mortuorum ossa, lignũ & lapides adoramus*, tam multiplici demenita plenum est, vt paucis illa aperiri nequeat. Coloré quem fingit,

fingit, quo Sãctorum cultũ fucare velimus, fucum futilem & inaniſsimum eſſe ex præcedentibus apparet, quum de hominũ cultu reſpectu Dei, non viuentiũ cultu reſpectu mortuorum, Paulum diſputaſſe planum fecerimus. Catholicos mortuorũ oſſa adorare, cultu videl. diuino, qualem iſti pagani ſuis falſis Dijs impendebant, aut vlla illis ſacrificia offerre, ſicut iſti Paulo ac Barnabæ ſacrificare volebant, craſsius mendacium eſt, quàm vt vlla refutatione egeat. Sanctorum reliquias ſi certa veneratione Catholici proſequuntur, nemo tam craſſus eſt qui à gentilitia idololatria illã lõgiſsimè latiſsiméque diſcernere neſciat. Iam ſi lapides & ligna Catholici adorant, & cultu diuino proſequuntur, ipſis profectò Gentilibus & Paganis cæciores erunt, qui (iuxta Caluini ſententiam) in Deorum numerum non niſi homines mortuos referebant, atque ita ligna & lapides pro Dijs non habebant. Alius enim diſtinctus longeque deterior & craſsior cultus eorum erat qui ligna & lapides pro Dijs adorabant, quàm eorum qui homines mortuos veluti heroas & præſtantes viros in Deorum numerum referebant, vt clarè docet D. Auguſtinus. Sed ita Caluinum maleuolentia excæcauit, vt ad cultum Catholicum reprehendendum in paucorum verborum diſputatione ter quaterque cæcus & inſulſus deprehendatur. Tali

Aliud craſſium Caluini mẽdacij.

Chriſtianos paganis cęciores Caluinus facit.

De doctr. Chriſt. lib. 2.

vertigine percuti merétur, qui diuinis Scripturis non ad veritatis doctrinam, sed ad propriam libidinem exsaturandam, nefariè & impiè abutuntur, easque probrosè constuprant.

15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*

Hæresum hodie progressus.

HOrum temporum hæretici, quum exoriente hoc schismate in quibusdam tantùm Catholicæ fidei dogmatibus reprehendédis, Christianorũ hominũ patientiam tèntassent, rerum successu elati, tantum sibi tandem de illorum stupiditate & stultitia pollicebantur, vt dicere & affirmare non vererentur, vniuersam Christi Ecclesiã orbi cognitam his adeò multis sæculis (sanè ab ipso Apostolorum tempore) crassis admodum erroribus implicatã, fœdis superstitionibus immersam, à Deo penitus desertam fuisse, & tam à vero Dei cultu quàm à tota iustitia fidei penitus excidisse. Hanc pudendam & horrendam blasphemiam, quũ æquis animis, imò plausibiliter à leuissimis hominibus, & cuiuslibet nouitatis auidis, excipi vidissent, ad eius quoque quantumlibet absurdæ & execrandæ sententiæ confirmationem, diuinas Scripturas, sicut ad cætera sua placita omnia confirmanda, aliquo tandem modo contorquere oportuit. Caluinus dexter in hoc genere si quis alius, promptus & acutus,

acutus, egregium ad eam rem locum in his D. Pauli verbis inueniſſe ſe ratus, accuratè illa & prolixè pertractat. Primùm eorũ vim hac arte dilatat. *Quoniam* (inquit) *duo non parua erant obſtacula incredulis, longa tẽporis antiquitas, & cõſenſus omniũ fere gentiũ; vtrumque hîc diruunt Paulus & Barnabas. Si multis ſeculis erratum eſt (inquiunt) ac vagatus eſt mundus ſine ratione & iudicio, ne ideo vobis minoris ſit Dei veritas quum affulget. Nam quum æterna ſit, nec mutetur; minimè æquum eſt, longam annorum præſcriptionem illi opponi. Nihilo plus patrocinij in hominum numero eſſe contendunt. Non eſt, inquiunt, quòd vos à recta via impediat totius mundi conſpiratio. Inualuit omnibus populis cæcitas. Sed Deus nunc vobis illucet. Aperiendi igitur ſunt oculi, neque in tenebris torpendum eſt, etiamſi in illis antehac demerſi fuerint omnes populi.* Hæc eſt dilatatio & amplificatio Caluiniana illius paruæ Paulinæ ſententiæ; quam vt pro vera ac legitima admittamus, nec in ea excutienda operam & oleum perdamus, videamus quid ex ea tota contra Catholicã Eccleſiã (ad quam quoquo modo vellicandam omnis ſemper eius accurata diſputatio collimat) bonus interpres colligit. Pluribus adhuc interiectis, ita tandem principale intentum concludit. *Ita* (inquit) *refellitur Papiſtarum cauillum, dum fieri non poſſe contendunt, vt Eccleſiam paſſus ſit Deus tam longo tempore errare.* Hæc eſt hominis hoc loco extrema impietas. Quia ante aduentum

Eccleſiæ vniuerſalis interitum probare contẽdit Caluinus.

Collectio Caluini ſtultitiæ & demẽtiæ plena.

Filij

Marc. 1. Ephes. 2. Filij Dei in carnem, ante *Euangelium regni Dei* mũdo prædicatum, antequam *medium parietem soluens feciſſet vtraque vnum, duos condens in ſemetipſo in vnum nouũ hominem, faciens pacẽ*, &c.

Ioan. 10. antequam eſſet *vnus Paſtor & vnũ Ouile*, antequam *prædicaretur in nomine eius pœnitẽtia & remiſſio peccatorum per omnes Gentes incipiendo à Hieruſalem*, antequam dediſſet *Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores ad ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in agnitionẽ Filij Dei.* Deniq; antequam *acquiſiuiſſet Eccleſiam ſanguine ſuo, vt omnis lingua confiteatur nomini eius*, & haberet *gentes hæreditatem ſuam, poſſeſſionem ſuam vſque ad vltimos terræ*, dimiſerat Deus *omnes gẽtes ingredi vias ſuas*, vt nec antiquitas temporis, nec conſenſus omnium gẽtium prædicationi ſancti Euangelij per Apoſtolos, Paſtores, & Doctores factæ quicquam præiudicaret; propterea, iuxta impium & Atheum Caluinum, etiam poſt aduentum Filij Dei in carnem, poſt Euangelium regni mundo prædicatũ, etiam poſt duos populos Iudæorum & Gentium in vnum corpus coalitum, etiam poſt vnum Paſtorem & vnum totius mundi Ouile collectum, etiam poſt prædicationem pœnitentiæ in omnes gentes, poſt datos Apoſtolos, Paſtores, & Doctores, qui corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, ædificarent vſque ad omnium gentium cõuerſionem, etiam poſt acquiſitam Eccleſiam ſanguine Filij Dei

Act. 20. Philipp. 2. Pſalm. 2.

toto

toto orbe propagatam, his omnibus nõ obstantibus, planè sicut priùs, ita & postea, *dimisit Deus gentes omnes ingredi vias suas*, passus Ecclesiam suam tam longo tempore errare; vt post sexdecim iam penè secula contra Caluini Euãgelium nec antiquitas temporis, nec consensus omnium gentium vel minimum præiudicare debeat. An hac collectione magis impium, horrendum, atque blasphemum aliquid dici potest? Aut quæ tandem alia blasphemia expectanda nunc est, quàm vt de reliquo dicatur, Christum non esse Christum? falsa esse omnia non solùm quæ ille disertissimis verbis dixit, *Contra Ecclesiam meam portæ inferi non præualebunt*; & rursum, *Docete omnes gentes*; *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; sed etiam quæ de tota redemptione mundique innouatione per illum facienda in locis iam citatis, tam multa, tam crebrò, tam perspicuè dicta sunt? Quòd si vsque ad Caluini prædicationem Deus passus est Ecclesiam suam tam longo tempore errare, sicuti ante Christi aduentum *dimisit omnes gentes ingredi vias suas*; attende mecum (quæso) lector, & vide, cur etiam iam credamus per Caluinum Euangelium tandem affulsisse, ac non potiùs adhuc aliud Euangelium & aliàm Euãgelij lucem expectare debemus? Cur non credamus tempus ignorantiæ, quæ per tot secula perdurauit, nostro quoque seculo

Christianismum tollit disputatio Caluiniana.

Matth. 16

Matth. 28

Hæreses hodiernæ ad atheismum ducunt.

culo similiter adhuc perdurare? Aut cur hanc ignorantiam tot seculorum magis Caluini operâ extinctam credamus, quàm Lutheri operâ, à quo Caluinus in rebus maximis & multis dissensit? vel cur vtriusque illorum magis quàm Anabaptistarum operâ; vel etiam cur omnium illorum magis quàm Tritheitarum, qui hodie tres personas & vnum Deũ, item Antitrinitariorum, qui Christum esse verum Deum in Polonia & Transiluania fortissimè negant?

Aduerte igitur hoc loco & attende, Lector, hodierni schismatis apertam impietatem, quæ, nisi maturè caueas, ad Christum penitus pernegandum te recta perducat. Ecclesiæ Christi per tot secula per tot gentes florentissimæ fulgor, in tot Scripturis & promissionibus tam Euãgelicis quàm propheticis authoritas fundata, Lutheri oculos ita perstrinxit, animumque concussit, *vt nisi post maximam conscientiæ luctam, de hac Troia* (vt ipsemet scribit) *triumphare potuerit*. Ea igitur triumphata, & hoc durissimo nodo dissecto, quum ab ipsis suis Euangelicis fratribus, Zuinglianis, contradictionem pateretur; Ecclesię authoritatem in illa causa Sacramentaria luculentissimam illis opponere non est ausus, sed ex solis Scripturis æquo marte pugnare debebat. Extinctis Luthero & Zuinglio, & in hac pugna sacramentaria post Zuinglium Caluino, post Luthe-

Ecclesiæ authoritas hæreticos hodie variè torsit.

In præfatione operum suorum.

Lutherum Ioachimo VVestphalo fortiter decertantibus, cœpit VVestphalus contra Caluinum Ecclesiæ Catholicæ consensum, quæ pro illo apertè stabat (inquantum realẽ corporis & sanguinis Christi præsentiam sustinebat) acriter vrgere. Istud ægerrimè ferens Caluinus, his eum verbis coërcet: *Præfatur suo more VVestphalus, pro somnio me habere Ecclesiæ fidem. Miror autem cur saltem à Luthero, quem vbique sibi magistrum iactat, non didicerit Ecclesiæ nomen parciùs & modestiùs obtendere. Neminem enim ex Papistis hactenus video proteruiùs & magis effreni audacia fuisse Ecclesiæ titulo abusum.* Hęc ille. Laudat Lutherum ab Ecclesiæ authoritate contra Sacramentarios temperantem. Excandescit contra VVestphalum eadem authoritate in eadem causa illum prementem. Rursum alibi: *Barbarè exprobrat VVestphalus nihil magis iniquum esse quàm de doctrina disputari tanto consensu recepta.* Cui statim respondet: *Maiorène quàm transsubstantiatio, Missæ sacrificium, & prohibitio calicis? Ergo si obtineat VVestphali censura, non sine sacrilega audacia Lutherus figmenta illa, quæ totius ferè mundi suffragijs recepta erant, conuellere ausus est.* Hæc Caluinus, Ecclesiæ Catholicæ consensum VVestphalo in os regerẽs, quem ille Caluino in os obiecerat: quia vtraque videlicet secta à totius orbis Christiani consentiente doctrina nefariè discessit. Sed videamus nunc an quod in Lutherano Caluinus

Lutherani Caluinum authoritate Ecclesiæ premunt.

Defens. 2. de Sacramẽt. pag. 1071.

Ibidem pag. 1080.

Caluinus Lutheranos de despecta Ecclesia accusat.

uinus ferre nō potuit, Christiani orbis consensum illi obijciēte, hoc in alijs horū temporum hæreticis, qui ab ipso Caluino discesserunt, ferre Caluinus potuerit. Valentinus Gētilis, Petrus Statorius, Paulus Alciatus, Georgius Blandrata, Gibrardus iureconsultus, Bernardinus Ochinus, Lælius Sozinus, omnes Geneuēsis scholæ discipuli, quibus postea in Transsiluania sē adiunxerūt Gregorius Paulus, Lismannius Corcyrensis, & Frāciscus Dauidis, primùm Tritheitarum crassissimam hæresēm docentes, authore Valentino Gentili, postea Samosateni & Arij hæreses renouantes, aut etiam Ariana hæresi deterius, eadem libertate qua primū Lutherus, postea Caluinus, omnem antiquitatis cōsensum in tam multis eorum nouis dogmatibus orbi obtrudendis contempserunt, illud vrgentes quod hîc Caluinus vrgendum docet contra longam temporis antiquitatem & omnium gentiū consensum, *Dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas*, ipsi quoque pari frōte contemnere non sunt veriti. Quare sicut Caluinus pro suis contra Ecclesiam dogmatibus exporrecta fronte scripsit, *nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina (quæ tam falsò obtendi quàm verè vsurpari possint) nos impediant, quo minùs & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus num ex Deo sint*; sic & isti Antitrinitarij

Institution. lib 4 c 9. num. 12.

trinitarij ac Tritheitæ omnium Concilio-
rum, Pastorum, Episcoporum nominibus
reiectis, ad diuini verbi regulã omnia exa-
minantes, suas nefarias hæreses, nec minori
quàm Caluinus pertinacia, tuentur. *Ego non*
nego (ait Franciscus Dauidis) *veteres interpre-*
tes stabiliùe tripersonatum Deum: sed nobis nihil
cum illis commune. Soli Dei verbo adhærescimus.
Nolo (inquit Petrus Statorius) *in hoc mysterio*
vel tantillum à sacris literis abduci. Contra Ser-
uetum, horum omnium (vt videtur) paren-
tem ac principem, Ministri Tigurini con-
queruntur quòd *Athanasium*, *Augustinum*,
& alios Dei seruos eximios, illustriaque Ecclesiæ lu-
mina, Trinitarios, *atque adeò Atheos* nuncupa-
bat. Idem Seruetus (si Caluino credimus)
adeò nemini veterum pepercit, vt omnes
dicat fuisse *cæcos sophistas, Bestiæ ministros, man-*
cipia Antichristi, *& Satanæ præstigijs fascinatos*.
Ita quod sibi licere voluit primùm Luthe-
rus cum suis Lutheranis, postea Caluinus
cum suis Geneuẽsibus, non tam Zuinglium
& Tigurinos sequutus quàm astutè circum-
ueniens, vt pro dogmatibus fidei capitali-
bus circa iustitiam & salutẽ hominis Chri-
stiani, circa Sacramenta, circa totum exter-
num cultum, circa vniuersam Ecclesiæ hie-
rarchiam & politiam, penitus innouãdis to-
tam antiquitatem cõtemnerent atque de-
spicerent; hoc & tantundem Seruetus pri-
mùm, posteaque alij prænominati hæretici

Antitrinitarij contra Caluinum Ecclesiæ consensum despiciũt.

In Act. 8. dici disputat. Albanæ.

Beza epist. 16. p. 112.

In epist. ad Genuenses.

In tract. Theol. pa. 880.

sibi licere voluerunt, pro abolenda Sanctissimæ Trinitatis, Christique Redemptoris nostri Dei atque hominis fide. Scripsit Lutherus in causa liberi arbitrij asserenda *primorum seculorum Patres omnes cæcutijsse, imperitissimos sacrarum literarum fuisse*. Scripsit Melanchtō Lutheri sodalis intimus: *Statim initio Ecclesiæ scriptores veteres obscurauerunt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt peculiares cultus*. Scripserunt Magdeburgenses Centuriastæ, rigidi Lutherani, de principio secundi seculi post Christum: *Tametsi hæc ætas Apostolis vicina fuit, tamen doctrina Christi & Apostolorum non parum offuscari cœpit. Multæ enim monstruosæ & incommodæ opiniones passim à Doctoribus sparsæ reperiuntur.* Hos sequutus Caluinus, in singulis dogmatibus controuersis *totam antiquitatem* veluti aniculæ alicuius fabellam audacissimè reijcit: in quæstione de lib. arbitrio, de satisfactione, de oratione pro defunctis, de sacrificio Missæ. Augustinus Marloratus, acerrimus Caluini discipulus, de primis in Ecclesia Patribus ita scribit: *Tanta fuit primis illis Apostolis, Prophetis, Pastoribus, Doctoribus vita functis, fidelium Ministrorum Christi in toto orbe inopia, vt pro fidis Pastoribus innumeri lupi graues ac rapaces se in gregem Christi callidè insinuarent, qui statim præclaris illis Ecclesiæ Pastorum ac Episcoporū titulis laruati, miseras oues sacro Dei pabulo fraudarent, illiusq; loco fœtidas quasdam & inanes traditio-*

In lib. de seruo arbitrio.

In comment. ad 1. Cor. 3.

Cent. 2. cap. 4 art. de Inclinat doctrinæ.

Instit. lib. 2. cap 2 num 9. li 3. c 3 n. 16 & c 4 nū. 38. & c. 5. num. 10 lib. 4 c. 18 num. 11.

In præf. in Cōm. noui Test.

traditiones, quas ex putidis carnalis prudentiæ lacunis hauserant, in orbem inuexerunt, ac pro oraculis haberi voluerunt. Hæc ille, vt reiectis omnium veterum Patrum commentarijs, suorum hominum nouas interpretationes veluti *Catholicam & Ecclesiasticam* (vt eas vocat) expositionem lectori commendaret. In tota hac tam impudenti & impia exceptione nihil se peccare aut Lutherus aut Lutherani, aut Caluinus aut Caluiniani existimarunt. Atqui noui Tritheitæ & Ariani, idē sibi licere non dubitantes, hoc vno formali syllogismo cōtra SS. Trinitatis fidē depugnant: *Quæ doctrina in orbe recepta est post Christi in cælos ascensionem, planè est falsa & Antichristiana. Sed doctrina de vnitate in tribus personis statim post Christi ascensionem fuit in orbe toto recepta, & deinceps conseruata. Igitur ea doctrina omnino falsa est & Antichristiana.* Lib. 1. c. 1.

Maior propositio omniū Protestantū tam Lutheranorū quàm Caluinistarū certum & cōmune axioma est, vt eorū citata verba demonstrarūt. Ad quos accedūt in Anglia Puritani, quorum assertor & vindex primarius Carterouitus diserte scripsit, *meritò in suspicionem vocandum esse, quicquid prima Ecclesia definiuit.* In 2. replica contra VVhitgift. Sed & alibi affirmant *Solis Euangelici radios per Lutherum quidē feliciter exortos, nonnihil apparuisse: Caluini autem operâ altiùs eleuato toto nostrum horizontem collustrasse.* In defen. VVhitgift pag. 710. Nunc igitur, si contra Lutherum aut Caluinum, eorum-

rumque sectatores, nec longa temporum antiquitas, nec omnium gentium consensus quicquam valere debet, *quia dimisit Deus gentes ingredi vias suas*, cur tandem contra Tritheitas, Samosatenicos, nouosq; Arianos, antiquitatis præscriptio valere poterit? Iam verò si nec contra illos valebit, quis non videt totam Christi fidem hac sceleratissima audacia penitus nobis eripi? Hoc igitur agit Caluini hoc loco commentarius, hoc agit antiquitatis Ecclesiasticæ & consentientis orbis Christiani contemptus, vt ab Ecclesia ad Lutherum, à Luthero ad Caluinum, à Caluino ad Beatiss. Trinitatis Christique Deitatis negationem, ab illa ad Mahometicam impietatem certis quasi gradibus Christiani homines abducantur. Exempla habemus in Paulo Alciato, & Bernardino Ochino ad Mahometismum delapsis, vt Beza testatur; & in Francisco Dauidis, qui eò profecit, *vt Christum venerandum vel inuocandum prorsus negaret*. Quo etiam execrandæ blasphemiæ nomine Matthæus Hamond in Anglia in ciuitate Nordouicensi flammis absumptus est. Hæc ad Caluini hoc loco detestabile toxicum nonnihil aperiendum & explicandum, seduloque cauendum & fugiendum, paulò vberiùs dicere volui. Quæ adhuc his addi possent, alia data occasione (si Deus voluerit) accumulabimus.

Ecclesiasticæ antiquitatis contemptus ad Mahometismum ducit.

Epist. 81.

An. 1579. Maij. 2.

Nunc,

Nunc, vt gloſſam ſuam planè impiam aliquo fuco probabilem lectori reddere conetur, videamus. *Nam vnde*, inquit, *fluxerunt gentes niſi ab arca Noë, vbi ſingularis quædam erat Eccleſiæ puritas? Poſteritas etiam Sancti Sem vnà cum alijs degenerauit. Imò Iſraël, ſelectum Dei peculium, ipſe quoque ad multum tempus relictus fuit. Quare nihil mirum eſt, ſi Deus ſub regno Chriſti eadem qua olim cæcitatis pœna verbi ſui contemptum vltus eſt.* Vides, Lector, quam accuratè vniuerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ cæcitatem & ignorantiã Caluinus probare vult, omnibus hæreticis quibus Eccleſiæ Chriſtianæ doctrina aliquando diſplicebit, latam feneſtram aperiens, & viam commonſtrans, qua illam audacter & liberrimè contemnant, nouamque ſibi quiſque, contra totius Eccleſiæ vnanimem & longiſsimè receptum ſenſum, doctrinam fabricet, hæreſim adinueniat, ſectam introducat. Atqui videre & aduertere homo impius debuit *non fruſtra Chriſtum mortuum eſſe*; ſed datũ eſſe à Patre Chriſto, quod nec diebus Noë, nec poſteris Sem, nec tali populo Iſrael datum fuit, vt propter meritum paſsionis eius, & *quia humiliauit ſe ipſum factus obediens Patri vſque ad mortem, exaltaretur in mundo, & omnis lingua confiteretur nomini eius; quia poſuit pro peccato animam ſuam, videret ſemen longæuum; quòd diſpertiat ei Deus plurimos, & fortium diuidat ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam.* Videre & aduer-

Caluini ſtolida diſputatio

Eccleſiam nunquam interituã probatur.

Philipp. 2.

Eſai. 53.

Luc. 24. tere impius debuit, *oportere quidem Christum pati, & resurgere, & tunc prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine eius per omnes*
Matt. 28. *gentes: quia tunc data est ei omnis potestas in cælo & in terra*: sed ad quid? *Euntes igitur prædicate Euangelium omni creaturæ, docete omnes Gentes.* Sed quàm diu aut quo fructu? *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationẽ seculi.* An talis aliqua promissio aut Noë, aut Sem, aut ipsi Israël aliquando facta est? Videre & aduertere impius debuit, Christum Redemptorem de sua Ecclesia in eius nomine propagãda singulariter affirmasse:
Matt. 16. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Videre tandem & recolere debuit ipsas veteres prophetias de Christi regno perpetuo, &
Esa. 54. nunquam in terris cessaturo. *Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas vltrà supra terram, sic iuraui vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Imò videre & recolere debuit hic homo impius, quæ ipsemet contra similem Serueti impietatem, ex cathedra sua Geneuensi, pro Ecclesiæ Christi perpetuitate ex veteribus Prophetis, quia tum illi commodum erat, protulit. Dixerat Seruetus, *spiritualem & internam Spiritus Sancti missionem, qua Christus arcano modo gubernat Ecclesiam, non addi continuò post Christum, sed ad*

In refut. errorum Serueti pag. 905.

renoua-

renouationem nescio quam differri, donec aboleatur regnum Papæ. Hîc respondet Caluinus: *Interius ergo Spiritus regimen, quo verè testatus est Christus se mysticum esse Ecclesiæ suæ caput, penitus deletur à Serueto, vt instar Machometi, cum noua & priùs incognita reuelatione, noui mundi instaurator surgat. An non id est, quicquid adeptus est gloriæ Christus, ex quo ad dexteram Patris consedit, exinanire? Neque enim vt sibi priuatim regnaret, in tantam conscendit altitudinem: sed vt Spiritus sui gratiam diffunderet, quam in cordibus suis certo fidei sensu reconditam agnoscunt fideles, licet visibilis non appareat. Diuturnũ quod fingit Ecclesiæ terris exilium non attigi: in quo Deũ palàm mendacij coarguit. Attendant lectores, atque ex hoc quoque loco discant, in refellendis Serueti erroribus me parcum fuisse magis quàm cupidum. Ecclesiam fingit ab annis mille ducentis & sexaginta fugatam à mundo fuisse, vt cælum illi exilium fuerit. Nos certè è splendidis sedibus electam fatemur, sed ita vt electas à se reliquias admirabili gratia seruauerit Dominus. Alioqui mentitus foret, qui semper aliquẽ sibi populum in terra fore promisit, quamdiu sol & luna in cælo fulgebunt. Scimus quid passim de æterno Christi regno testentur Prophetæ. An eius sedem in cælis locant? Imò fore prædicunt, vt sceptrum eius è Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab ortu vsque ad occasum, & eius hæreditas sit terrarum orbis. Nunc ergo populo eum priuare qui nomen eius celebret, perinde est, ac si abscissa eius parte, ipsum in cælo mutilum includere tentemus*

Ecclesiæ conseruationem contra Seruetum tuetur Caluinus.

temus. Non enim frustra dicitur Ecclesia eius complementum: nec ea quidem Angelica, vel cœlestis, sed quam in hac mundi peregrinatione fouet, ac præsidio suo tuetur. Itaque verè & prudenter Augustinus, nisi Ecclesiæ suæ coniunctus sit Christus, non secum afferre quod illi à Prophetis tribuitur. Sciè eiam alibi colligit, qui Ecclesiam interiisse volunt, iam non esse eius membra. Hæc cõtra Seruetum Caluinus. Ecclesiæ Christianæ perpetuitatem iuxta Scripturas propheticas agnoscit. Sed dũ excipit *à splendidis sedibus illã electã fuisse, & electas reliquias à Domino seruatas*, visibilẽ Ecclesiam, quæ Pastores & Doctores suos conspicuos habeat, rursum homo impius negat. Ita rursum Christi dona, promissiones, & gloriam eius morti debitã euacuat. Sed & ante Christi aduẽtum sub ipso Noë, Sem, & quantumcumque idololatra Israël, suas in mundo reliquias Dominus seruauit: suos habuit Iobos, Abrahamos, Elias, Danieles, Sibyllas, & sterilem illam, aliquam tamen, etiam inter Gentes Ecclesiam, vt alibi docuimus. Christus autem non solùm Ecclesiam cõstituit nunquam interituram, sed & *Pastores atque Doctores ei dedit* nunquam defuturos, sine quibus nec Ecclesia constare, nec Christi gloria propagari potuit. Quare aut Caluinus in eodem luto cum Seruetо hæret, aut suammet impietatem hoc in loco refutauit. Sed sensit tandem ipse, & senserunt Caluinistæ postea, quam ad omnem

Caluinus visibilem Ecclesiam negans eam è medio tollit.

Reliquiæ seruatæ propriam Christi Ecclesiam non constituunt.

nem impietatem & atheismum aperta ab illis ianua esset, dum Ecclesiæ Christianæ vniuersæ à tot seculis errores & ignorantias, non minùs impudenter quàm impiè assererent. De quo Beza in varijs suis epistolis acerbè conqueri coactus est, quæ alio fortè loco proferemus. Epist. 8. 18 & 81.

22. *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.*

DOcet hic locus quæ esse debeat Ecclesiæ Christianæ politia, recedentibus ex hoc mundo Apostolis, quos immediatè Christus, vel expressa diuini Spiritus reuelatio (vt in Barnaba ac Paulo) ad prædicandum & docēdum misit. Nempe non vt vel priuatus quisque ex lectione Scripturarum fidem sibi formet ac fingat, vel ad fidei prædicationem & doctrinam quilibet quantumcumque doctus, aut à Spiritu (vt sibi videtur) motus & incitatus, se ipsum ingerat, vel denique vt ab illis fidei doctrinam populus accipiat, quos Princeps aut Magistratus loci ad docendi munus vocat (quibus omnibus modis Ecclesiasticam hodie politiam deprauarunt hæretici) sed vt *per singulas Ecclesias*, id est, per singulos populi Christiani cœtus, contubernia, vicinias, parochias, Ecclesiæ Christianæ politia. 1. 2. 3. 4.

(Ecclesia enim cœtum aliquem & multitudinem fidelium significat) ab ipsis Apostolis *constituerentur*, id est, per manuum impositionem ordinarentur (hoc enim significat verbū Lucæ χειροτονήσαντες, hoc loco) *Presbyteri*, qui postea *Sacerdotes* à tota antiquitate vocantur, qui docendi munere fungerentur; atque ita demum *Deo commẽdarentur, in quem credidissent*: id est, constituto externo regimine & ministerio, reliqua diuinæ gratiæ suis semper cum Ministris præsenti, iuxta illud Christi, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*, relinquerentur. Singula sunt hîc notanda. Qui constituunt, sunt Apostoli. Sed quòd eadem potestas ad eorum successores Episcopos peruenit, illa vna Pauli sententia ad Titum docet: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros.* Qui cõstituuntur, sunt *Presbyteri*; & constituuntur *illis*, id est, vt illis populis præsint, apud quos constituuntur. Vnde alibi Paulus: *Duplici honore digni sunt qui bene præsunt Presbyteri, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Modus constituendi est *manuum impositio, cum oratione & ieiunio* coniuncta. Hinc apud Græcos Patres, Ordinatio ipsa Ecclesiastica propriè & perpetuò vocatur χειροτονεια. Vnde Zonaras Canonum Apostolicorum interpres Græcus ad 1. Canonem Apostolorum, qui sic habet, ἐπισκοπος χειροτονεισθω, *Imponantur manus Episcopo per duos aut*

Tit. 1.

2. Tim. 5.

χειροτονεια. Ordinationis ceremonia.

aut tres Episcopos, ita scribit: χειροτονία vocatur, dum quis sacerdotio initiatur, absolutio precum, Sanctique Spiritus invocatio. Sic & D. Hieronymus, in com. in Esaiæ cap. 38. χειροτονία, id est, ordinatio clericorum, non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manus impletur. Sic [a] Theodoretus à Pontificibus ordinari χειροτονίαν δέχεσθαι nũcupat. In [b] Cõcilio Laodiceno prohibentur χειροτονίαι, id est, ordinationes in præsentia audientium fieri, id est, catechumenorum. Basilius in Moralibus, docens Episcopum facilem non esse debere ad ordinandum, vtitur hoc verbo, περὶ τὰς χειροτονίας. Apud Chrysostomum quum legimus, *Non enim Presbyteri Episcopum ordinabant*, in Græco est οὐκ ἐχειροτόνουν οἱ πρεσβύτεροι. Iuuat hoc loco Caluinicõfessionem audire sanam & orthodoxam; vt ipsi etiam intelligant sectarij, non esse in alienum sensum hæc verba à nobis detorta. *Christus*, inquit, *non tantùm Apostolos misit qui Euangelium spargerent, sed iussit etiam institui Pastores, vt perpetua esset & in quotidiano vsu Euangelij prædicatio. Hunc ordinem à Christo positum obseruant Paulus & Barnabas, quum singulis Ecclesijs assignant Pastores, ne post suum discessum esset ac sit eat doctrina. Proinde docet hic locus, Ecclesiam non posse ordinario ministerio carere. Presbyteri hic vocantur, quibus iniunctum erat docendi munus.* Et paulò pòst: *Scriptores Ecclesiastici nomen χειροτονίας vsurpant pro solemni ordinationis ritu,*

[a] Quæst. 48. in Numeros.
[b] Can. 5. Reg 70. cap. 2.
Hom. 12. in 1. ad Tim.
Caluini confessio orthodoxa.

qui

qui in Scripturis vocatur Impositio manuum. Hæc autem loquendi forma optimè exprimitur legitima in creandis Pastoribus ratio. Hactenus omnia rectissimè, ipsa eum veritate cogente: sed quia hæc illi veritas per omnia nõ placuit, aliquid aspergere veneni oportuit, *Presbyteros*, inquit, *eligere dicuntur Paulus & Barnabas. An soli hoc priuato officio faciunt? Quin potiùs rem permittunt omnium suffragijs. Ergo in Pastoribus creandis libera fuit populi electio. Sed ne quid tumultuosè fieret, præsident Paulus & Barnabas, quasi moderatores. Sic intelligi debet Laodicensis Concilij decretum, quod vetat plebi electionem permitti.*

Caluinus Scripturæ vim facit.

Hæc ille. Apertam vim Scripturæ Apostolicæ facit: & verbo Dei à tergo reiecto, suum commentum homo improbus obtrudit. Clarè dicit Lucas de Paulo & Barnaba, & non nisi de illis dicit, *Reuersi sunt Lystram & Iconium & Antiochiam, confirmantes animos discipulorum, exhortantesque vt permanerent in fide. Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, &c. commẽdauerunt eos Domino.* De illis solis hoc totum Lucas narrat. Illi soli vt Apostoli ad hoc ordinati (suprà cap. 13.) ad loca, in quibus prædicauerunt, *visitandi causa reuertuntur.* Illi soli, vt Apostoli, *confirmant animos discipulorum, & exhortantur.* Illi soli *constituunt Presbyteros.* Quæ hîc de populi suffragijs vel minima mẽtio? Cur, quod scriptum non est, de suo cerebro obtrudũt hæretici? An populus confirmauit istos discipulos,

pulos, & exhortatus est eos ad fidei perseuerantiam? Si hoc populus non facit, sed soli Paulus & Barnabas; cur non videt & aduertit Caluinus, solos eosdem, idque priuato officio, Apostolico videl. seu Episcopali, cõstituisse Presbyteros? Deinde, si hæc constitutio Presbyterorum est ipsa ordinatio per impositionẽ manuum, vt rectè hoc loco fatetur Caluinus, ipsaq; manuũ impositio nõ ad populũ sed ad solos Pastores pertinet, sicut ipsemet Caluinus alibi apertè professus est his verbis; *Hoc habendũ est, nõ vniuersam multitudinem manus imposuisse suis Ministris, sed solos Pastores:* inuictè contra seipsum Caluinus concluſit, Lucam, quum narrat *Paulum & Barnabam constituisse Presbyteros*, eorum solum & priuatum factum narrare, de populi autem conſictis suffragijs nihil prorsus loquutũ esse. Sed voluit Caluinus, quod in sua Institutione priùs docuerat (solet quippe non suam doctrinã ad Dei verbũ, sed Dei verbũ ad suã doctrinã aptare, ideoque priùs Institutione edita omnẽ doctrinã suam tradidit, postea in Scripturas cõmẽtarios edidit doctrinæ suæ, nõ Catholicæ & orthodoxæ, cõformes) id ipsum hoc loco sua glossa repetere & cõfirmare. Sic enim ibi scribit: *Refert Lucas cõstitutos esse per Ecclesias Presbyteros à Paulo & Barnaba: sed rationẽ vel modũ simul notat, quum dicit factum id esse suffragijs:* χειροτονησαντες πρεσβυτερους. *Creabant ergo ipsi duo: sed tota multitudo,*

Caluinus ex se ipso refutatur.

Instit. lib. 4. cap. 3. num. 16.

vbi suprà num. 15.

vt

vt mos Græcorum in electionibus erat, manibus sublatis declarabat quem habere vellet. Hæc ille ibi. Sed hoc furile & audax commentum ipsa litera Apostolica euidenter iugulat, vbi factum describitur solius Pauli & Barnabæ, non multitudinis, idque tale factum quod ipso iudice Caluino solis Apostolis aut Pastoribus competere potuit: *manuum videlicet impositio.* Impudenter igitur in sua Institutione dixit, *Lucam rationem & modum notasse, dicendo id factum esse suffragijs,* verbo videl. χειροτονησαντες. Nam in huius loci commentario prorsus contrarium affirmat Caluinus. *Verbum,* inquit, *Græcum* χειροτονειν *quo hic vtitur Lucas, significat aliquid manibus sublatis decernere, qualiter in comitijs populi fieri solet. Scriptores tamen Ecclesiastici nomen* χειροτονιας *alio sensu vsurpant, nempe pro solemni ordinationis ritu, qui in Scripturis vocatur manuum impositio.* Hæc Caluinus hoc loco. Lucas igitur, qui verbum χειροτονησαντες non in sensu prophano sed in sensu Ecclesiastico haud dubiè accepit, imò qui per hoc verbum, ipso teste Caluino, impositionem manuum Pauli & Barnabæ denotauit, de populi suffragijs aut populari manuum eleuatione nihil prorsus significauit. Tam textus ipsius euidentia, quàm aduersarij hoc loco confessio, commentum istud de electione populari tam studiosè per Caluinum asserta ac defensa apertè profligauit.

Caluinus aperte pugnantia docet.

Sed

Sed & Beza, in eodem hærens luto, eâdem operâ perſpicuè refutatur. Vertit homo impudens, vertuntque alij ſectarij, *Quam ſuffragijs creaſſent*, & ex hac verbi Græci notione præſumpta, ſenſum Caluini parentis ſui, & *doctiſſimi interpretis* (vt eum vocare ſolet) de manuum impoſitione fortiter impugnat. Audiamus beluam ſua verba reſonantem. *Ortum* (inquit) *eſt hoc verbum ex Græcorum conſuetudine, qui porrectis manibus ſuffragia ferebat.* Atqui iam ipſe Caluinus contra Bezã, & iuxta veteſtiſſimos Patres à nobis citatos, ingenuè profeſſus eſt, Scriptores tamen Eccleſiaſticos nomen χειροτονιας alio ſenſu vſurpare, nempe *pro ſolemni ritu ordinationis, quæ in Scripturis impoſitio manuum vocatur.* Fruſtra igitur Beza Græcorum & Paganorum ſenſum nobis obtrudit. Nec à Græcis ſed ab Hebræis potiùs huius nominis rationem tum Apoſtolos, tum poſtea Eccleſiaſticos ſcriptores accepiſſe, vero propius eſt. Nempe ab illa χειροθεσια, ſeu manuum extenſione, quæ Iudæis Sacerdotibus populũ benedicẽtibus in more erat. Quam etiam manuum non eleuationem popularem, ſed extenſionem ſacerdotalem, ipſam vocis χειροτονιας propriam eſſe ſignificationem, docet Suidas homo Græcus, & Græcæ linguæ peritiſſimus χειροτονητον (inquit) τὴν χεῖρα ἐκτεταμένην id eſt, quãdo manus extẽditur.

Beza corruptio refellitur.

Sanè non alio ſenſu Lucam hoc verbum acce-

Presbyterorũ constitutio hoc loco ipsa fuit impositio manuum Apostolica.

accepisse, quàm pro ipsa manuũ impositione, quæ sine extensione non fit, perspicuo nifallor, argumẽto commonstrabo. D. Lucas superiori capite de Presbyteris Antiochenis dixerat, quòd Paulum & Barnabam ad opus Apostolicum dimiserunt, *ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus.* Atqui hãc ipsam manuum impositionem Presbyterorum super Barnabam Paulus vocat χειροτονίαν. Sic enim de Barnaba scribit ad Corinthios: *Misimus etiam cum Tito fratrem cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam quæ ministratur à nobis.* Hic frater, de quo Paulus loquitur, Barnabas est, vt mox ostendemus. Ait de illo, ordinatus est, χειροτονηθεὶς: vbi iterum absurdissimus Beza vertit, *Suffragijs delectus est*, quum ex Luca manifestum sit, non suffragijs delectũ, sed à Spiritu Sancto delectum eum fuisse; *ministrantibus enim Prophetis & Doctoribus Antiochenis, & ieiunantibus; dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos.* Ritus segregãdi & mittẽdi ad opus, erat Manuum impositio. Hanc Paulus hîc vocat χειροτονίαν, non populi suffragijs, sed *impositione manuum* Doctorum factam; nec a populi electione, sed ex Spiritus Sancti expressa vocatione ortam.

2. Cor. 8. 19.

Beza alia corruptio

Act. 13.

Barna-

Barnabam autem fuisse de quo Paulus ad Corinthios loquitur, (etsi Lucam eum fuisse alij, authore Hieronymo, existiment; Beza verò, eius reiecta sententia, quis iste fuerit, inquiri non vult; ideo fortasse, ne de Barnaba hoc intellectum, improbam eius versionem apertè refutaret) paucis docebo. Sanè ipse Apostoli contextus hoc conuincit. Primùm enim, quum ait, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*, Barnabæ prædicationem Euangelicam, de qua in Actis tam multa Lucas narrat, pariter cum Paulo susceptam apertè insinuat. Neque enim Lucæ Euangelium aut adhuc scriptum fuisse constat, aut, si scriptum erat, per omnes Ecclesias innotuisse probabile est. Barnabæ autem prædicatio Euangelica non secus ac ipsius Pauli celeberrima fuit. Secundò, quod addit, *Comes peregrinationis meæ ab Ecclesijs ordinatus*, ita clarè Barnabæ competit, vt aliũ velle inquirere cui istud conueniat, siue Lucæ, siue Silæ (vt quidam modernus scriptor coniectat) nihil penè sit aliud quàm in media luce per tenebras quærere. Quid enim clarius quàm Barnabam peregrinationis Paulinæ comitem ordinatum ab Ecclesijs fuisse, tum Act. 13. quando ad prædicandum Gentibus pariter cum Paulo solemni ritu dimissus est, tum Act. 15. quando ab Antiochia Hierosolymam pariter cum Paulo denuo mittebatur ad quæstionem de legaBarnabæ Pauli socium ordinatum fuisse, nõ Lucam.

libus terminandam? An hoc aut aliquid simile de Luca, aut Sila, aut alio quopiam legitur? nusquam profectò. Tertiò, quod adiungit Paulus, *in hanc gratiam quæ ministratur à nobis*, id est, ad hanc collectionem eleemosynariam, non nisi de vno Barnaba intelligi potest, qui tum ab Apostolis cum Paulo ad hoc munus delectus fuit, vt ipse-
Gal. 2. met narrat Paulus dicens; *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, tantùm vt pauperum memores esſemus*, &c. tum antea ex Antiochia Hierosolymam pariter cum Paulo ad hoc
Act. 11. ministerium peragendum missus est: *Mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli*. Neque verò ei quod diximus Barnabã Paulinæ peregrinationis comitem fuisse, quicquam obstat, quòd Act. 15. Paulus à Barnaba discesserit *assumpto Sila*, quasi ille postmodum perpetuus Pauli comes fuerit, nõ Barnabas: nam non ita multò pòst ad Paulum redijt Barnabas, antequam hanc secundam ad Corinthios scriberet epistolam. Nam in
1. Cor. 9. priori ad Corinth. dixit: *An ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operãdi?* Deinde, vtcumque Silas cum Paulo ad tempus peregrinatus fuerit, non legitur tamẽ quòd comes peregrinationis Paulinæ ab Ecclesijs ordinatus fuerit, sicut de Barnaba apertè hoc legitur; sed tantùm quòd ab ipso
Act. 15. Paulo (discedente ad tempus Barnaba) assumptus fuerit. Denique Chrysostomus, Theodo-

Silas Pauli comes, nec diu, nec ordinatus ab Ecclesijs.

Theodoretus, alijque omnes Græci interpretes, non nisi de Barnaba Paulum hîc loqui intelligunt. Quum igitur Barnabas à Paulo dicitur ordinatus ab Ecclesijs, χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, id est, per manuum impositionē segregatus & dimissus ad prædicationem Euangelij; manifestum euadit, quòd vox χειροτονεῖν non per suffragia deligere, vt falsò & temere ipsum textum peruertunt hæretici, sed per manuum impositionem ordinare significat.

Nunc cum Beza pergamus, & hominis singularem demētiam magis ac magis aperiamus. *Est* (inquit) *notanda vis huius verbi, vt Paulum ac Barnabam sciamus nihil priuato arbitrio gessisse, nec vllam in Ecclesia tyrannidem exercuisse: nihil denique tale fecisse quale hodie Romanus Papa, & ipsius asseclæ, quos ordinarios vocant.* Aperit bestia, cur ita studiosè verbi Græci proprietatem inuerterit: ne videlicet aliquam hîc ordinandi Presbyteros potestatem (quam bonus Beza tyrannidem vocat) Paulus & Barnabas exercuisse videantur, qualem in Ecclesia Catholica locorum & Diœcesium Ordinarij Præpositi seu Episcopi exercent. Scilicet scribente Paulo ad Timotheum, *Nemini citò manum imposueris*, docuitne tyrannidem in Ecclesia temere exercere? Rebelles hæretici, legitimam à Christo datam potestatem, tyrannidem vocant; & eius loco popularem electionē, homines

Beza Apostolicam χειροτονιαν pro tyrannide habet.

1. Tim. 5. 22.

mines populares, id est, propriè tyrannidi prospicientes, statuere moliuntur. Sed satis iam ostensum est, *Paulum & Barnabam* sua authoritate (non tyrannide) *constituisse & ordinasse per singulas Ecclesias Presbyteros* absque vllis populi suffragijs, quorum in textu verbi Dei nulla fit mentio: & extra verbū vagari Beza non debuit. Addit adhuc: *Quidam hoc referre malunt ad manuum impositionem, quæ & ipsa sit prorsus necessaria.* Hoc fecit ipse Caluinus, ipsa eum loci veritate cogente. Ita nunc ab optimo suo parente & *doctissimo Interprete* longè fugit Beza. At cur ita? aut vnde hîc illi insolitus metus? *Et hoc*, inquit, *prætextu arrepto vocationem nostram irritam esse dicunt, quoniam Ordinarij, quos vocant, nobis manus non imposuerunt: sive quòd non sumus in Romana Ecclesia consecrati.* Expressit suū metum Beza, qui etiam in virum constantem cadere potuit. Non admittit hoc loco Paulum & Barnabam per manuum impositionem in singulis Ecclesijs Presbyteros constituisse, valde & meritò sibi metuens, ne hæc forma Apostolica (ad quam illi omnia sua referre velle videri volunt) illis vehementer præiudicet, qui sine huiusmodi forma, nec legitimè vocati, nec constituti, gregem Domini inuaserunt. Caluinus audacior rem totam concessit, aliam sibi euadendi viam patere arbitratus, vt in præcedētibus ostensum est: Beza præter morem timidior concedere

Beza Caluinū corrigit.

Bezæ vocatio irrita & nulla.

cedere non audet. Ita hoc loco lupum auribus lupi isti tenuerunt. Sed res clara est, nec amplius repetenda, satis in præcedenti explicatione, idque ex ipso Caluino, demonstrata. Quare Beza, vtcunq; ab ordinatione per manuum impositionem facta totis viribus aufugiat, nec illam hoc loco insinuari permittat, tamen lectori satisfacere cupit, cur ille & sodales sui per manuũ impositionem in Romana, id est, vnica & sola Catholica Ecclesia, & in qua sola Episcopi cernuntur qui manus Presbyteris imponere debeant, ordinati non fuerint. Ita hæc res animum eius, & meritò, intimè perstringebat. *Respondeo* (inquit) *ex ipsis Canonibus, quos iactant, irritam esse consecrationem cui non præierit legitima electio, aut quæ fit ab excommunicato. Ostendant autem ipsi vel vnum in tota illa hierarchia qui legitimè sit vocatus, imò qui non sit centies ipso iure excommunicatus, si ipsis eorum Synodis stetur. Nos igitur cur ab illis impositionem manuum peteremus, aut quo iure ipsi nobis eum tribuerent?* Hæc ille. Scilicet Bezæ credendum est, nullum fuisse in toto orbe Christiano Episcopum qui manus illi imponeret, nisi iuxta Canones excõmunicatum, adeoque centies ipso iure excommunicatum. Sic solet rebellis in Repub. nequam, qui abiecto Principis imperio tyrannidem inuadit, nullo ei de more maiorum Principis insignia conferente, diadema nul-

Vocationem suã & suorũ Beza defendere nõ potest.

lo imponente, iuramentum fidei publicæ nullo accipiente, per ensis traditionem (aut alia aliqua ceremonia de more gentis) potestatem ei publicam nemine demandante; hac vna impudenti voce excipere, nullum esse in toto regni ambitu qui hæc illi cõferre idoneus sit, omnes, se vno excepto, aut Reip. perduelles hostes, aut homines impios vel indignos esse. Denique vetus hæc est & ipsissima Donatistarum exceptio, qui à nullo Catholico Episcopo ordinari voluerunt, canino rictu clamantes, vt hîc Beza, omnes esse excommunicatos, omnes diuinorum codicum traditores fuisse, aut illis communicantes traditorum scelere inquinatos extitisse. Sed & bonus Beza, qui se Canonum Ecclesiasticorum ita peritũ venditat, turpissimè errat, & contra Canones pronunciat, non posse ordinari quempiam, aut manuum impositionem accipere, ab eo qui excommunicatus est: quãdo & Episcopus excommunicatus, tametsi manus imponendo grauiter peccat, veros tamen ordines iuxta Canones confert, & ordinatio valet; & in casu necessitatis, id est, publicæ Ecclesiæ vtilitatis, ab excommunicato Episcopo manuum impositionẽ accipere, adeò peccatum non sit, vt etiam laudabile iudicatum fuerit. Nihil ergo miserum Bezam hæc exceptio iuuat, quòd omnes totius orbis terrarũ Episcopos centies fuisse excommuni-

Vide Petrum Damianum epist. 15.

municatos portentosè proclamet. Alibi latiùs contra hanc demētiam disputauimus. Quæ igitur tandem tua, Beza, vocatio fuit? *Habemus* (inquit) *nos Dei beneficio certas nostræ vocationis notas, legi imo ab Ecclesijs nostris & vitæ & doctrinæ testimonio (per Dei gratiam) ornati, & ab ijsdem electi, ac demum etiam inuocato Dei nomine in nostro ministerio confirmati.* Hæc blanda sunt serpentis verba, quæ quilibet cuiuscunque sectæ sectarius, à suis conuenis & sodalibus in cathedram pestilentiæ euectus, pro sua quoque vocatione, pari fide, pari veritate proferet. Dicet vnusquisque à suis Ecclesijs sese ornatum, electum, confirmatum. Atqui nec certę nec vllæ sunt istæ vocationis notæ. Legitimę vocationis certa nota iuxta Scripturas & praxim Apostolicam est, non ab aliqua particulari factione, sed ab Ecclesiæ Catholicæ Pastoribus ac Præpositis, non solo aut nudo vitæ ac doctrinæ testimonio, sed per illustrem *impositionis manuum* ceremoniam, constitui, ordinari, & ad Apostolicæ vocationis munia obeunda consecrari. Hac vera nota, & in Scripturis reuelata, quia Beza se ac suos euidenter carere cernebat, alias miserè confinxit, quibus acres conscientiæ suæ latratus nonnihil placaret, & morsus acerbos mitigaret.

CAP. XV.

1. *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non poteſtis ſaluari.*

QVIA in hac propoſitione ſtatus controuerſiæ conſiſtit, ad quam terminandam Concilium hoc Apoſtolicum collectum fuit, eius totus ac germanus ſenſus aperiendus eſt. Volunt hæretici, maximè hoc loco Caluinus, quæſtionem in hoc Concilio tractatam, eſſe de totius legis obſeruatione, non quoad ceremonias modò, ſed & quoad ipſum decalogum. *Status* (inquit) *quæſtionis eſt, quòd impoſtores illi conſcientias obſtringere vellent neceſſitate ſeruandæ legis. Sola quidem circumciſio hîc nominatur: ſed ex contextu facilè patet, eos de tota lege ſeruanda mouiſſe controuerſiam.* Et quanquam videri poſſet Caluinus de tota lege ceremoniali, non autem mãdatorum loqui, tamen ex cauſis quas adfert huius motæ controuerſiæ, & maximè ex ſequenti diſputatione, ad illa Petri verba, *Quid tentatis Deum, imponere iugum ceruicibus diſcipulorum, quod neque nos portare potuimus, nec patres noſtri?* planum facit, ſe ad totam mandatorum legem hanc quæſtionem trahere. *Tres* (inquit) *graues erant cauſæ quæ Paulum ad reclamandum cogerent.* 1. *Si neceſſaria eſt legis obſeruatio, operibus alligatur ſalus hominum, quam in ſola Chriſti gratia*

Quæſtionem de ceremonijs motã ad totam legẽ mãdatorum trahit Caluinus.

gratia fundatam esse oportet. Quum ergo videret Paulus gratuitæ fidei iustitiæ cultum legalem opponi, silere fas non esset, nisi vellet Christum prodere. Nam cùm aduersarij negarent saluum fore quenquam, nisi qui legem Moysi seruaret, hoc modo salutis gloriam, Christo ereptam, ad opera trãsferebãt. Hæc prima est causa quam ponit Caluinus. Impostor vafer & astutus quæstionem format inter istos Iudaizãtes & Paulum, qualis hodie est inter Catholicos & ipsum: An videlicet legis obseruatio Christianos obliget, & an opera bona ad salutem sint necessaria. Quam etiam ob causam verba illa Petri citata pro mãdatorum obseruatione impossibili studiosè infrà pertractat, quæ suo loco excutiemus. Secundam causam ponit, *ne fideles animæ libertate per Christi sanguinẽ parta spolientur.* Quod de libertate à pædagogia Iudaica verum est, de libertate ab obligatione legis mandatorum falsum est. Tertiam ponit, *ne tenebræ offunderentur Euangelij luci*, quod de ceremoniarum abrogatione verum est, de manente obedientiæ mandatorum vinculo falsum est. Sed ita rem totam Caluinus narrat, vt contra obediẽtiam mandatorum necessariam has causas obseruasse, à suis intelligi queat, à nobis conuinci nequeat. Nunc verum huius controuersiæ statũ paucis aperiemus. Huius controuersiæ contra Paulum ac Barnabam Antiochiæ motæ authorem Cerinthum fuisse, tum ipse

Caluini dolus mãlus.

Beza hoc loco agnoscit, tum Epiphanius latè describit. At Cerinthum de solis cerimonijs legalibus quęstionem mouisse, idem *Epiphanius, †Philastrius, ‡ Hieronymus, alijque scriptores manifestè docent. Deinde quæstio erat de eo quod ad solos Gentiles spectabat, sicuti & mota Antiochię disputatio, & Petri ac Iacobi verba, *de non inquietandis Gentibus, de non imponendo ceruicibus ipsorum iugo quod nec illi nec veteres Iudæi portare potuerunt*, ac denique Concilij Apostolici epistola *ad fratres ex Gentibus*, satis luculenter docent. Postquam ergo de solis Gentilibus Christianis, an legem seruare deberēt, quæstio mouebatur, si legis nomine ipsa mādatorum Dei obseruatio intelligitur, ipsāque bonorum operum necessitas, quasi illa gratuitæ iustitiæ fidei opponeretur, aut libertatem per Christum partam tolleret, aut lucem Euangelij offuscaret, hæc absurdissima consequentur. Primùm, quòd Iudæi Christiani mandatorum obligationi adhuc subiecti manerent, atque ita vera iustitia fidei carerent. Neque enim eos huius controuersiæ Apostolica decisio concernebat, sed solos Gentiles. Deinde, quòd Christiani Gentiles nulli alij Dei mandato, siue ad salutem, siue ad congruam filijsque Dei conuenientem vitæ nouitatem, obedire tenebantur, quàm illis pauculis præceptis quæ illis Apostoli imposuerunt. Postremò, quòd

*Hær. 26.
†In lib. de hæres.
‡ In catalogo Script.

Caluini corruptelam quæ absurda sequūtur.

1.
2.
3.

quòd Paulus & Barnabas Christi verbis in Euangelio sese Antiochiæ opponerent. Si enim dicentibus illis ex Iudæa descendentibus, *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari*, per hanc synecdochen totam legem, etiam mandatorum, intelligebant; profectò Paulus & Barnabas illis fortissimè resistentes, etiam illi Christi verbo sese opposuerunt, quo dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Nihil enim ab illa propositione differt, Nisi serues legem Moysi, non potes saluari, si legis Mosaicæ nomine lex mandatorũ intelligatur. Iam verò, si de 4.
lege mandatorũ & bonorũ operũ necessitate hoc loco querebatur, quorsum Apostoli ceremonias illas Iudaicas, *abstinere à suffocato & sanguine*, quæ ad decalogi institutum nihil faciũt, Gentilibus Christianis imponebant? Hoc enim esset de vno quærere, & de altero concludere. Deinde, si de totius legis tam 5.
moralis quàm ceremonialis obseruatione hæc conclusio Apostolica erat, manifestè sequitur, sicuti ex ceremonijs legalibus illæ solæ commemoratæ *de abstinendo ab immolatis simulachrorum, suffocato, & sanguine* à Gentilibus Christianis obseruandæ erãt, sic ex moralibus præceptis illud vnum seruandum fuit, *abstinere à fornicatione*, reliquę legis transgressiones, reliqua peccata pro nullis habenda fuerant. Postremò & illud sequitur, 6.
harum rerum abstinentiam, quæ opera virtutis

tutis sunt, ad salutem fuisse necessariam, ac sic ex operibus, non ex sola fide, hominis salutem pendere. Illud ergo pro indubitato tenendum est, controuersiæ huius quæstionem in eo solo præcisè positam fuisse, an ex Gentibus fideles circuncidi cæterisque ceremonijs & obseruantijs legalibus subijci deberent. Hoc ita posito, cæteras in hoc capite disputationes Caluinianas, impias & corruptissimas, expeditiùs discutiemus.

Quæstionis in Cõcilio Apostolico status.

6. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.*

SCribunt ad hunc locum hæretici interpretes, quædam (veritate cogente) bona & salutaria, quædam (Ecclesię odio vrgente) impia ac nefaria. Vtraque proferemus. Illa, vt ex ore aduersariorum veritatis testimonia; hæc, vt effusis venenis remedia ponamus. *Palàm hoc loco admonemur* (ait Bullingerus) *ad Apostolicos viros pertinere rerum ad fidem pertinentium quæstionem. Non enim dicit Lucas* (ait Caluinus) *totam Ecclesiam congregatam, sed eos qui doctrina & iudicio pollebant, & qui ex ratione officij huius causæ legitimi erant Iudices. Fieri quidem potest vt corã plebe habita fuerit disputatio, sed ne ad tractandam causam vulgus promiscuè fuisse admissum quispiam putaret, Lucas disertè Apostolos & Presbyteros nominat, sicuti magis idonei erant cognitores. Cæterũ sciamus formam hic & ordinem in cogendis Synodis diuinitus præscribi*

Controuersiæ de fide in Cõcilijs Episcoporum terminandæ.

scribi quum exorta est aliqua cõtrouersia quæ aliter componi nequit. Hic etiam mos (addit Bullingerus) *à sanctis olim Episcopis ad Apostolorum imitationem diligenter custoditus est.* Hæc illi hactenus, rectè & orthodoxè, & prout loci euidentia postulabat, apertæ veritati conformiter. Cur igitur horum temporum hæretici hodiernas etiam exortas controuersias in pleno sanctorum Episcoporum Concilio Tridentino (quia aliter componi tot & tantæ nequibãt) discussas, definitas, & iuxta ordinem diuinitus præscriptum à legitimis Iudicibus terminatas, non vident, non agnoscunt, non recipiunt, & Ecclesiæ pacem turbare non desinunt? Hîc nunc igitur exceptiones suas proferũt, & venena aspergunt. *Sed miris modis* (ait Bullingerus) *mos hic veterum Episcoporum aliquot retrò seculis neglectus est.* De alijs etiam sæculis loquitur, propter Concilium Constantiense, cõtra VVielephum & Hussum; Lugdunense, contra Albigenses; Romanum, contra Berengarium; nostrorũ hodie hæreticorum Patriarchas. Sed hanc accusationem quo tandem argumento probat? *Illi enim veteres Episcopi* (inquit) *non suo arbitratu, sed ex Scripturæ præscripto, sic omnia disponebant, vt doctrinæ Dei relinquerent gloriam veritatis, & ab hac velut Lydia (quod dicitur) regula ne latum quidem vnguem discederent.* Hæc ille de veterum Conciliorum Episcopis, Nicæni primi videl. Constanti-

Concilia veterum Episcoporum hæretici hodie ad placitũ admittũt.

ſtantinopolitani primi, Epheſini, Chalcedonenſis,& aliquot fortè aliorum. Sed cur de illis? Quia hæreſes in illis Concilijs reiectæ atque damnatæ, Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychetarum contra Filij Dei ac diuini Spiritus perſonas Bullingero totique Tigurinæ Eccleſiæ diſplicent. Atqui Geneuenſis Eccleſiæ (cui Tigurina coniuncta videtur) diſcipuli, Valentinus Gentilis, Petrus Statorius, alijque ſuprà nominati, lucem quam vocant Euangelicam altiùs exortam contemplati,& Arij aliorumque damnata dogmata pro veritate Euangelica complectentes, illorum quoque Conciliorum Epiſcopos, neglectis Scripturis diuinis, pro ſuo arbitratu definiuiſſe proclamant, vt grauiter contra eos hoc nomine conqueritur & declamat Beza. Ita nō propter Scripturæ veritatem ab illis primorum Conciliorum Epiſcopis ſanè & orthodoxè pertractatam, ſed quia ipſorum placitis illæ definitiones Epiſcopales non repugnant, Bullingerus hîc, Caluinus & Beza alibi, Patres illos ex Scripturæ præſcripto iudicaſſe affirmāt. Nunc cur recentiorū Cōciliorum Patres reijciat Bullingerus videamus. *Hinoſtri*, inquit, *ſic in Cōcilijs ſuis deliberarūt, vt Papæ, hoc eſt, vni Epiſcopo Romano authoritatem tribuerint Concilio (id eſt, Scripturis & Deo) maiorem: penes quem eſſet ius reſcindendi priora, ſi alia quæpiam illi interim in mentem veniſſent. Atqui inde factum*

Epiſt. Theolog. 18. & 81.

Caluinus Inſt. lib. 4 c. 9. n. 8.

factum est, vt celebrium Conciliorum decreta, posteriorum authoritate abrogata fuerint. Hæc ille. Displicet Bullingero quòd in posteriorum seculorum Cõcilijs, quorum decreta illi non placent, Romani Põtificis suprema authoritas interuenerit. Atqui eandem in 4. illis primis quæ admittere velle videtur (verè enim & contra illa prima in multis excipiũt Caluiniſtæ & Zuingliani sectarij) interuenisse clarum & perspicuum est. Niceni 1. Concilij Patres sic ad Siluestrũ Papam scribũt: *Quicquid in hoc Cõcilio cõstituimus, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Constantinopolitani 1. Concilij Patres sic ad Damasum Papam scribunt: *His rebus omnibus tanquam legitimè secũdùm Ecclesiæ canone: constitutis, obsecramus vestram sanctitatem vt consentiat.* De Concilio Ephesino generali 3. scribit Cyrillus Alexandrinus, eius Concilij sub Cælestino Rom. Pontifice Præses, quòd Cælestinus Papa *scripserit consona sanctæ Synodo, & omnia illius gesta confirmauerit.* In Concilio Chalcedonẽsi generali 4. confirmãdo quam Leo Papa authoritatem exercuerit, flagitante Imperatore, ex his eius verbis appareat: *Quòd Imperator ad omnes Episcopos Chalcedonenſis Concilij me scripta dirigere voluit, quibus quæ illic de fidei sunt regula definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio sententiam meam habere vellet incertam.* Sed & ipsi eius Concilij Patres id ipsum à Leone Papa, in

Rom. Pont. authoritas suprema in primis Concilijs generalibus. Concil. tom. 1.

Theodor. hist. Eccles. lib. 5. cap. 9.

Epist. 29.

Epist. 69.

Concil. Chalced. Act. 3.

pa, in Epistolâ ad eum missa, experiuntur. *Rogamus* (inquiũt) *& tuis decretis nostrum honora iudicium; & filijs tuis firmitas tua quod docet adimpleat.* In his igitur primis & antiquissimis Concilijs, Romani Pontificis suprema interuenit authoritas, vt quæ à Concilijs de fide definita erant, suo etiam supremo calculo comprobaret. Semel autem de fide definita rescindendi adeò nullam sibi vnquam authoritatem Romani Pontifices arrogarunt, vt Zosymi Papæ vera illa & sancta vox fuerit: *Contra statuta Patrum aliquid condere vel mutare, nec huius sedis potest authoritas.*

Caus. 25. q. 1. cap. contra.

Bullingeri calumnia crassa.

Quare quod addit Bullingerus, Romanum Pontificem ita statui maiorem Concilio, vt habeat potestatem rescindendi priora Concilia, si alia illi decreta in mentem veniant, crassa & affectata calumnia est: sicut & illud, priorum Conciliorum decreta, posteriorum authoritate abrogari: loquendo de fidei quæstione & dogmate.

Hæretici hodie illã arrogantiam exercent, cuius Papam insimulant.

Sed attende hîc Christiane Lector. Ægre ferunt horum temporum hæretici, Romani Pontificis authoritatem Conciliorum decretis anteferri, aut statui Papã supra Concilium: Conciliorum decretis sua quisque placita anteponit, suo quisq; examini Concilia subijcit. Examen ex verbo Dei obtendunt: atqui & ex verbo Dei Conciliorum decreta petita sunt. Negat quisque hæreticus cuius dogmati Concilij decretum aduersa-

uersatur: affirmant Conciliorum Patres. Quibus magis credemus? In summa: vt hîc Apostolorum de fide decreto omnes tunc verè Christiani absque vlteriori examine obtemperabant; sic omniũ in Ecclesia Catholica Conciliorum generalium de fide decretis absque vlla tergiuersatione Catholici obtemperant: nec minùs posterioribus quàm primis: quia si semel exceptioni locus datur, nullius Concilij rata authoritas erit, vt horum temporum calamitosa experiẽtia nos docuit, & in præcedenti capite à nobis ex parte explicatum est.

10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?*

PRoprium & fundamẽtale Martini Lutheri dogma, cuius dulcedine captus Ecclesiæ Catholicæ sanam doctrinam sustinere non potuit, istud inprimis erat, operum iustitiam ad salutem non esse necessariam, sola fide in Christum & gratuita peccatorum remissione hominem coram Deo iustificari, & de ęterna salute certum ac securum fieri. Narrans ipse Lutherus quibus animi motibus agitaretur paulò antequam ab Ecclesiæ vnitate desciscceret, ita scribit: *Ego, qui me, vtcumque monachus irreprehensibilis viuebam, sentirem corã Deo esse peccatorẽ inquietissimæ conscientiæ, nec mea satisfactione placatum confidere possem,*

Lutheri capitale dogma, Sola fides.

In prima Præfat. operum Lutheri Tom. 1. Solius fidei iustificãtis origo.

possem, non amabã, imò odiebam iustum & punientem peccatores Deum, tacitaque si non blasphemia, certè ingenti murmuratione indignabar Deo dicens: Quasi verò non satis sit miseros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppressos esse per legem decalogi, nisi Deus per Euangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Euangelium nobis iustitiam & iram suam intentaret. Furebã ita sæua & perturbata conscientia. Hæc ille, adijciens in sequẽtibus, se ex Paulo ad Rom. 1. didicisse, *Iustitiam Dei in Euangelio reuelatam*, non esse actiuam illam qua Deus iniustos punit, sed passiuam quandam qua nos iustificat per fidem. Hac ergo solius fidei iustitia, quæ *conscientias per legem decalogi oppressas* (vt ille loquitur) erigeret, & noua cõsolatione perfunderet, *me prorsus* (ait Lutherus) *renatum esse sensi, & apertis portis in paradisum intrasse.* Hoc eius proprium, primarium, & fundamentale dogma auidissimè rapuerũt, & arctissimè complexi sunt omnes horum temporum hæretici. Ad hoc nefarium & pestilentissimum dogma stabiliendum, quo tota iustitia Christiana, & id quo demum Christiani sumus, penitus suo loco mouetur, euertitur, tollitur, vt alias innumeras Scripturas ingẽti studio vnus Caluinus deprauauit (quod nostra hæc Antidota multis iam exemplis docuerunt, pluribus docebunt) ita & hæc Petri verba magno admodum conatu ac prolixa disputatione inuertit.

tiertit. Eam totam, tametsi prolixam, & à tortuoso isto serpente varios per meandros fraudesque flexuosas mirificè agitatā, quanto breuiùs potero expendam. Sed primùm & ante omnia verborum Petri legitimum, germanum, proprium, & perspicuum sensum exponam.

Verborū Petri sensus ex tota loci circunstantia.

Propositio noua ob quam discutiendam conuenerunt Apostoli primùm Antiochiæ, postea à Pharisæis Hierosolymis, Christianis tamen, & ad Christum conuersis asserta, hæc erat: *Oportere circumcidi, seruare quoque legem Moysi Gentiles Christianos, vt salui fiant.* De lege Mosaica ceremoniali, & propriè Mosaica (quum lex decalogi & mandatorum prorsus ab orbe condito, excepta vna Sabbati obseruatione, lex diuina fuerit) totam hanc propositionem & à Iudæis assertam, & ab Apostolis intellectam fuisse, in præcedēti loco ostendimus. *Facta* igitur *magna conquisitione*, id est, causa & quæstione ista hinc inde multum diuque agitata, *surgens tandem Petrus* breuiter narrat, placuisse Deo, vt Euangelij gratia Christique notitia ac fides ipsis Gentibus & incircumcisis hominibus *per os eius* prædicaretur, idq; cum amplissimo & certissimo fructu. *Per os* (inquit) *meū audire Gentes verbum Euangelij, & credere.* Imò huius fidei Gentilium hominum illustre & inuictum testimonium profert, diuini Spiritus dona visibilia, quæ sine interna eiusdem operatione

tionenon dabantur. *Qui nouit* (inquit) *corda Deus*, id est, qui verè credentes ab hypocritis optimè discernit, *testimonium perhibuit*, scilicet fidei Gentilium, *dans illis Spiritum S. sicut & nobis*; id est, eadem visibilia dona quę & nobis initiò dederat. *Et nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Id est: quoad fidei donum, quod corda purificat, & incredulitatis tenebras dispellit, vt totum Euangelij verbum, totáque reliqua prædicatio de seruandis quæcunque Christus mandauit (dixerat enim futuris fidei magistris, *docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis*) æquis animis accipiatur, & *obediatur ex corde formæ doctrinæ Christi*, nullum posuit inter nos Apostolos & istos conuersos Gentiles discrimen. Eorum corda æquè fide purificauit ac nostra. Tametsi in alijs donis discrimen sit (*Non enim omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores*) tamen in dono, doctrina, & beneficio fidei nullum discrimen posuit. Non secus crediderunt, non secus credēdo purificati, illuminati, & ad omnem capessendā Dei iustitiā apti facti sunt quàm nos. Non secus per fidem filij Dei, filij adoptionis facti quàm nos. *Nunc ergo quid tentatis Deum*, id est, quare repugnatis vocationi & dignationi huic diuinæ, *imponere iugum super ceruices discipulorū*, id est, vt Gentilibus istis Christianis (de illis enim erat quæstio) iugum istud, onus, & obligationē istam circum-

Fides quo modo cor purificat.

Matth. 28

Rom. 1.

1. Cor. 12.

circumcidēdi se, aliásque ceremonias legales obseruãdi (de illis enim seruãdis isti iudaizantes satagebant) obtrudatis? Iugum & onus dico *quod neque patres nostri neq; nos portare potuimus*, id est, quod & maioribus nostris & nobis ipsis difficile ad portandũ erat, quia & multa in illis curiositas & parua aut nulla vtilitas fuit. Curiositas & multiplicitas tanta, vt *Burgensis referat tot illos ceremoniarum præcepta habuisse, quot sunt dies in anno: imò & multò plura, videl. 613. vt scribit †Guillelmus Parisiẽsis, & post eum ‡Galatinus. Ipsa ergo præceptorũ ceremonialium multitudo onus haud dubiè erat, (maximè adiũcta tota lege morali, ad quam non secus veteres obstricti erant quàm nos) ad portandum valde difficile. Accessit ad illã difficultatẽ quòd parua in illis aut nulla vtilitas erat. *Egena enim & infirma elementa* quasi paruulorum rudimenta erant, ad significandum data, nõ ad aliquam spiritualem gratiam conferendam instituta. Vnde carnalibus Iudæis, & significationes illas non intelligentibus, dura seruitus erat, de qua sic S. Augustinus: *Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Quæ tamen seruitus in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more distabat, quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus eis in omnibus commenda-*

Iugum legis Moysaicæ quo sensu importabile.

*Scrutinij lib. 1. d. 8. cap. 9

†Lib. de fide & leg.

‡De arcanis Cath. fid. lib. 11. cap. 4.

Gal. 4. 9.

De doctr. Christ. l. 3. cap. 5. & 6.

retur Deus. Et quanquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus obseruarent, nescientes quò referrētur, id tamen insitum habebant, quòd tali seruitute vni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pædagogo paruulorum fuisse scribit Apostolus. Hæc Augustinus. In horum paruulorum & carnalium Iudæorum nomine loquitur Petrus, quia ille erat veteris populi status, vt sub pædagogia ageret; tametsi spirituales Iudæi plurimi essent, qui illa signa intelligentes, etiam tempore seruitutis (ait Augustinus) liberi ac spirituales erant, vt ipsi maximè Patriarchæ ac Prophetæ, omnesque in populo Israël, per quos nobis Spiritus S. ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministrauit. Hæc iterum Augustinus. Petrus ergo de statu illo paruulorū seruili loquens, quo sub signis non intellectis ceremonijsque & innumeris & inutilibus seruiebant, in quo seruili statu iudaizantes isti, credentes ex Gentibus veluti sub eodem iugo & seruitute contineri volebant, acriter hunc eorum præposterū zelum redarguit, tum ex pari gratiæ beneficio à Deo Gentibus collato, tum ex ceremoniarum ipsarū natura & iugo importabili, videl. ad portandum difficili propter causas ante dictas. Quam ob causam doctè Theophylactus quę Christus in Euangelio vocat *onera grauia & importabilia*, βαρεὰ καὶ δυσβάσακτα, exponit, τὰς ἐντολὰς τοῦ νόμου λεπτὰς καὶ δυσφυλακτους, *præcepta legis inutilia, & ad custodiendum*

Ibid. c. 9.

Matth. 23 In com. ibidem.

dum difficilia: & apud Lucã, vbi idem Christus repetit, τα τῦ νομῦ δυσφυλακτα παρατηρήματα, *mandata legis ad custodiendum difficilia*. Luc. 11.

Reuocat igitur Petrus istos Iudaizãtes quasi ad memoriã pristini status & seruitutis legalis: quam si rectè excussissent, & gratiam Christi rectè intellexissent; nec illi tãto studio illa legalia adhuc retinerent, nec Gentiles Christianos (illis hactenus nũquam imbutos) ad talem seruitutem tam inutilem ac difficilem pertrahere contenderent. Hęc est D. Petri aperta & germana hoc loco sententia.

Caluini toxica remouẽtur.

Nunc ad Caluinum veniamus: *Ostendit Petrus, illos, qui hominum salutem alligãt legis operibus, nihil eis bonæ spei reliquum facere*. Respondeo: Non hoc ostendit Petrus, sed legem ceremonialem ad portandum fuisse in ipsis Iudæis difficilem, ideóque Gentibus conuersis non obtrudendam. *Quin potiùs* (addit Caluinus) *in horribilem interitum præcipitari totum mundum, si non aliter quàm legem seruando salutem consequi posset*. Respondeo: tametsi hoc verum sit; quia qui hoc dicit, fidem & gratiam Christi excludit; tamen Petrum hoc loco istud non dicere. Deinde, de lege seruanda loquitur Petrus non morali, vt Caluinus, sed ceremoniali, vt illi qui hanc controuersiam Antiochiæ mouebant. Pergit Caluinus: *Porrò quum varijs modis tẽtari Deum Scriptura dicat, significat hoc loco Petrus, Deum*

quasi data opera prouocari, dum plus oneris imponi-tur hominibus quàm sint ferendo; quia nihil aliud fit quàm naturæ repugnando (vt loquuntur) Gentes æmulari. Respondeo, Petrum de hoc tẽtandi Deum genere hoc loco propriè & præcisè non loqui; sed eos tentare Deum propriè dixit, qui vocationi Gentium & dignationi diuinæ repugnabãt, vt suprà expositum est. Moxque addebat quasi aliud eorum peccatum, *quòd onera importabilia imponerent.* Cui expositioni fauet quod hîc ex Erasmo Sarcerio Marloratus subtexit in hæc verba: *Vel tentare Deum, est, non contentum esse reuelatione Dei de causis iustificationis Gentium, quæ non sunt circuncisio aut lex Moysis, sed audire Euangelium, & illi credere.* Marloratus quidem suum iudicium interponit pro Caluino, & ait: *Sed prior sensus probabilior est.* Alius tamẽ celebris Bernẽsis Ecclesiæ Theologus, Benedictus Aretius, Sarcerij sensum præfert. *Obtrudere* (inquit) *circuncisionem, est tentare Deum, quasi non possit sine illa, quod vult, efficere.* Sed hac de re hoc loco non pugnabimus, nec in re nõ necessaria verba fundemus. Vt demus igitur Caluino, hunc esse verborum Petri sensum, quòd nõ solùm diuinæ vocationi repugnãdo, sed etiam plus oneris imponendo Gentibus quàm ferendo essent, Deum tentarẽt; attamen ideo hoc Petrũ dixisse manifestum est, quòd iudaizantes isti ceremoniarum legalium impositione credentium Gentilium conscien-

conſcientias onerare volebant vt Sarcerius & Aretius noui quoque magiſtri cenſuerũt. At aliud ſpectans Caluinus ita proſequitur: *Cæterùm de ſolis ceremonijs eum non loqui, ex reipſa facilè colligitur.* Attende nunc, Lector, quomodo hoc punctum probat Caluinus, in quo totus diſputationis ſubſequentis cardo vertitur, & cuius contrarium tam nos in præcedentibus perſpicuè demonſtrauimus, quàm alij Proteſtantes interpretes amplectuntur. *Erat* (inquit) *dura & laborioſa veteris pædagogiæ ſeruitus: ſed nimis abſurdum foret vocari iugum importabile.* Reſpondeo: Magis abſurdum foret de alio legis iugo Petrum loqui, de quo iſti iudaizãtes non diſputabant, & quod diſcipulorum humeris imponere non quærebant. Hoc enim erat, illos falſi & non cogitati, ſaltem non expreſsi criminis accuſare. Cur autem non abſurdè ſed verè iugum illud pędagogiæ & ſeruitutis Iudaicæ importabile Petrus dixerit, iam explicatum dedimus. Et vt vnum verbum addamus, ſi tentatur Deus imponendo legem mandatorum Dei humeris credentium veluti ad ſalutem neceſſariam, profectò ipſe Chriſtus tentauit Deum dicens, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; & poſt eum Paulus dicens, *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*; & rurſum enumeratis varijs legis tranſgreſſionibus, *Sicut prædixi vobis, & prædico, qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Adeò apertè

Legẽ mãdatorum imponẽdo Deus non tentatur.

Matth. 19

Rom. 8.

Gal. 5.

impius est Caluini sensus, quem Petri verbis affingit. Sed ostendere nihilominus conatur Caluinus absurdum fore alium quem diximus sensum. Audiamus: *Et scimus externa rituum obseruatione non sanctos modò sed etiam hypocritas plerosque rite exacteque esse defunctos.* Respondeo: Scimus hypocritas ita defunctos, maximo cum labore defunctos esse, tum propter rerum, quam diximus, multitudinem & inanitatem, tum etiam quia tales non nisi ex timore pœnæ, quam lex intentabat, illa obseruatione defungebantur. Nec Petrus alio sensu importabile iugum dixit, quàm quia difficulter portabatur, tametsi (vt Caluinus nunc agnoscit) à quamplurimis de facto portaretur, siue sanctis, siue hypocritis. Pergit Caluinus: *Quinetiam legi morali satisfacere non vsque adeò difficile foret, si corporali tantùm obsequio contenta, non exigeret spiritualem iustitiam. Manus enim & pedes frenare multis datum est: sed ita moderari omnes affectus vt tam in anima quàm in corpore perfecta regnet abstinentia & puritas, hoc verò plusquam est arduum.* Hoc ita prosequitur Caluinus propter hypocritas, quos dixerat *externa rituum obseruatione rite esse defunctos*; & ostendere vult legem quoque moralem, quoad externos actus, ab ijsdem non difficulter adimpletam esse. Sed errat turpiter. Hypocritæ, qui legi morali obsequio tantùm corporali satisfaciũt, quia non nisi ex timore pœnæ ideoque inuiti legem

gem seruant, maxima cum difficultate id faciunt. Nam prauam voluntatem, quam semper operi contrariam gerunt, aut timore veluti repagulo compescunt, vt eam exequi non audeat; aut ex mediorum defectu, quo, quod volunt, exequi non possunt, compescere coguntur. Ita perpetuas cruces & difficultates circumferunt. Atque hinc fit vt multo facilius, & expeditius, & iucundius vir iustus ac sanctus legi morali tam internæ puritate quàm externo obsequio satisfaciat, quàm hypocrita solo obsequio externo. Talis quippe, spiritu adoptionis filiorum Dei accepto, non spiritu seruitutis in timore, *omnia potest in eo qui eum confortat*, & optimæ suæ voluntati actus conuenientes exercet. Tali *mandata non sunt grauia*, quia donum charitatis accepit, vnde fiunt leuia. Tali denique *Christi iugum suaue est, & onus leue.* Grauiter igitur errat Caluinus, affirmans rem etiam plusquam arduam esse, tam in anima quàm in corpore perfectam regnare abstinentiam. Homini carnali plusquam arduum & impossibile est. Homini spirituali facillimum & iucundissimum est. Sed huiusmodi spiritualis quia Caluinus non erat, eum sensum ignorauit. Ita nihil hactenus attulit Caluinus vnde probet de alio iugo Petrum loqui quàm de ceremoniarum Iudaicarum iugo. Vide tamen quàm insolenter concludit: *Quare ridiculi sunt qui Petri*

Legis externa tantùm obseruatio multo difficilior quàm vera & spiritualis obseruatio.

Legis obseruatio homini spirituali facillima. Philip. 4. 1. Ioan. 3. Matth. 11

verba

Caluini cita conclusio, sed non probata.

verba restringunt ad ceremonias, quibus exprimitur hominum imbecillitas ad præstandam cordis iustitiam, quæ non modò longè superior est eorum viribus, sed naturæ prorsus contraria. Respondeo: Non ridiculus sed impius Caluinus est, qui Petri verba ad legis moralis obseruantiam extendit, quibus expressa fuit solius legis ceremonialis (de qua hîc quæstio agebatur) difficultas: de cordis autem iustitia nihil prorsus insinuatum fuit, quæ tametsi naturæ repugnet peccato corruptæ, correctæ tamen & per Dei Spiritum regeneratæ naturæ nec repugnat, nec vires superat.

Iustitia cordis nõ repugnat naturæ correctæ.

Pergit Caluinus: *Fefellit scilicet eos, qui sic sentiunt, vna ratio, quòd de solis ceremonijs mota quæstio fuerat.* Laudo hominis ingenuitatem, qui verum sententiæ orthodoxæ fundamentum non dissimulat. Nunc attentè perpende, Lector, an hoc fundamentũ submouere valeat. *Sed* (inquit) *non venit illis in mentem, Petrum attentiùs (vt decebat) prudentiusq; considerasse quam secum labyrinthum error in speciem leuis traheret.* At quæro ego: Vnde hanc Petri tam attentam & prudentem considerationem colligit Caluinus? An ex textu sacro? Nusquam apparet. An ex veterum Ecclesiæ Patrũ aliqua probabili collectione? Nullos profert, nec ad hanc rem proferre potest. An ex suo cerebro? Nõ admittimus, nisi firma aliqua id ratione comprobet,

Commẽtum cerebri Caluiniani attende.

bet, sed hominis temeritatem damnamus. Attendamus igitur quid ad hoc suum commentum comprobandum adferat. *Negabant* (inquit) *pseudoapostoli quenquam salutem consequi posse, nisi qui ceremonias seruaret.* Verissimum istud. Quid præterea? *Si operibus*, inquit, *alligatur hominum salus, non amplius in Christi gratia fundata erit: atque ita gratuita concidet reconciliatio. Iam quum impares sint hominum vires seruandæ legi, omnibus incumbet maledictio, quam illic Deus transgressoribus denunciat: atque ita desperatio omnes manebit, quum se videant reos æternæ mortis à lege peragi.* At vide, Lector, quàm te suauiter Caluinus fallit. Dicebant quidem pseudoapostoli Christianos Gentiles seruari non posse, nisi legis ceremonias seruarent. Sed interea non negabant gratiam Christi, quæ liberat nos à maledicto legis, quia facit seruare legẽ: non negabant ex fide Gentium reconciliationem gratuitam: vtrumque agnoscebant. Sed huic Christi gratiæ reconcilianti atq; seruanti, sicuti moralia legis præcepta, ita & legem ceremonialem adiungi volebant. Negat Petrus de ceremoniali, non negat de morali. Negat operibus alligari salutem, non in vniuersum, sed operibus ceremonialibus, de quibus erat quæstio. Negat homines esse pares seruandæ legi ceremoniali, non morali, de qua hîc nulla quęstio erat. Quòd si ideo Antiochiæ Paulus ac Barnabas his

Hæc nihil ad rẽ præsentem.

bas his pseudoprophetis sese opposuissent, eo quòd legis cuiuscumque obseruationem, etiam mandatorum decalogi, ad salutē necessariam affirmarent; non secus Lucas de morali hoc significasset quàm de ceremoniali. Nunc quum hanc disertè ponat, de illa prorsus taceat, quis Caluino dabit, pseudoapostolis illis hoc nomine Paulū & Barnabam sese Antiochiæ opposuisse, quòd omnis & cuiuscumque legis, tām moralis quàm ceremonialis, obseruationem Gentibus ad Christum conuersis ad salutem esse necessariam assererent? Nihil tale in historia Apostolica apparet. Vnde igitur hoc Caluinus habet? vnde affirmat? *Hæc*, inquit, *fortè pseudoapostoli callidè tegebant. Sed Petrus ad fontem ipsum penetrat, vt mortiferum doctrinæ illius venenū eruat in lucem.* Aduerte, Lector, totam Caluini probationem, vt sensum verborū Petri, ex textu & loci circunstantijs apertissimum, ad alium sensum nefariè extendat, qui nec ex textu vllo modo colligi potest, & doctrinam præterea adfert prorsus sceleratissimam. *Fortè* (inquit) *hoc callidè tegebant.* Coniecturis ergo agis, Caluine, in re tanta? & euidentem Scripturæ Apostolicę sensum ex mera coniectura, eaq; fortuita ac dubia, inueris? At quis Scripturæ locus ab hæreticorum corruptelis tutus erit, si ita liceat, quod in vno rerum genere damnat Dei verbum, id ad alia quoque genera

Clarum Scripturę textum nuda coniectura inuertit.

Scripturæ deprauandæ artem Caluinus docet.

nera extendere, quia fortè etiam illa tacitè damnauit. Nos verò non coniecturis Caluinianis ad proprium nouellum & sceleratissimum suum placitum stabiliendum impudentissimè suggestis, sed Dei verbo & literæ Apostolicæ inhæremus, auscultamus, credimus. Respondeo igitur, pseudoapostolos illos nihil tale callidè texisse, sed pseudoapostolum Caluinum hoc de illis callidè finxisse; nec Petrum ad huiusmodi aliquem fontem penetrasse, quem, magistri sui doctrinæ præallegatæ inhærens, approbare debuit, exhorrere non potuit, sed impium Caluinum hãc fœtidam lacunam excogitasse, qua Scripturam contaminaret, & mortiferum doctrinæ suæ venenum, contra necessariam mandatorum Dei obseruationem, lectori Christiano homo impius obtruderet.

Pergamus nunc ad sequentia, & quàm flexuosis fraudibus flexiloquus iste impostor nefariam hanc suam & pestilentem doctrinam partim instillet, partim fucare & colorare contendat, dispiciamus. *Non disputat* (inquit) *tantùm Petrus quid ipso opere præstiterint homines, sed quid præstare potuerint: nec de vulgo hominum loquitur, sed de sanctis Patribus. Quum ergo ab istis sanctis Patribus neget potuisse ferri legis iugum, constat legem obseruatu impossibilem esse.* Respondeo nefario diuinæ legis aduersario, Petrum nõ nisi de lege ceremoniali

niali loquutum fuisse: & illius legis iugum à maioribus suis, siue eo nomine sanctos & spirituales Iudæos, siue carnales & vulgus Iudæorum intelligas, portari non potuisse; non quia à nemine de facto portabatur, sed quia magna cum difficultate portabatur. Nam & ipse Caluinus iam fassus est *legem ceremonialem & externam illam rituum obseruationem non à sanctis modò sed & ab hypocritis ipsis ritè exacteque adimpletam fuisse*. Ira legi ceremoniali plus fauet Caluinus quàm morali; illam etiã à pessimis exactè adimpleri, hanc nec ab optimis aliquo modo impleri posse dogmatizans. Pergamus cum nefaria hominis disputatione. *Scimus*, inquit, *Hieronymi dictum passim ita receptum esse, vt sit quasi indubium axioma: Si quis dixerit impossibile esse seruare legem, anathema sit*. Est quidem hoc non Hieronymi tantùm, sed & totius Ecclesiæ Catholicæ dictũ, iam in Concilio Tridentino denuo roboratũ. Hoc præter *D. Hieronymum contra Pelagianos, plurimis in locis ‡Augustinus, "Chrysostomus, †Beda, alijque Catholici Doctores veluti certissimum Christianorum axioma identidem affirmant, docent, scribunt. Quid aduersus illud Caluinus? *Sed nulla*, inquit, *hominis vox audienda est, quæ Spiritus Dei sententiæ repugnat. Audimus quid hîc per os Petri Spiritus Dei pronunciet, non de hominum voluntate & operibus, sed de facultate & potentia*. Hîc astutia & nequitia

*In epist. ad Ctesiphontem, & ad Celantiam.
‡Enarr. in Psalm. 40. & 73. de nat. & gratia c. 69. de Spiritu & lit. c. 19.
"Hom. 18 22. & 57. in Matth.
†Lib. cõtra Iulian.

quitia hæreticorum attentè obseruanda apparet. Patrum & totius Ecclesiæ iudicium respuunt. Quare? Quia nulla hominis vox audienda est, quæ Spiritus Dei sententiæ repugnet. Verum id quidem; sed quomodo ostendit Spiritus Dei sententiæ hanc Patrum & Ecclesiæ vocem repugnare? *Audimus* (inquit Caluinus) *quid per os Petri Spiritus pronuncier*. Falsum hoc est. Audimus quidem quid per os Petri Spiritum Sanctum pronunciare tu, Caluine, affirmas: sed quid reuera per os Petri Spiritus S. pronúciet, non à te tuisque coniecturis discere debeo, sed ab ipso diuini verbi contextu, & S. S. Patrũ expositione, totiusque Ecclesiæ iudicio. Vide ergo, Lector, ne te fallat hæreticus. Scripturam primò peruertit, inuertit, deprauat, vt libet. Ea semel deprauata, si Patrum & Ecclesiæ consensum opponis, respondet tibi, *vocem hominum cõtra Spiritus Dei sententiam audiendam non esse*. Sed *Spiritus Dei nomine* suam corruptelam & deprauationem significat. Quum igitur Patrum iudicium proferimus, non diuini Spiritus sententiæ voces hominum, sed hæreticorum deprauationi vocem Ecclesiæ, per quam Deus nos docet, salubriter & necessariò opponimus.

Hæretico tumhodie astutia & nequitia.

Nota.

Pergit hoc modo adhuc Lectori imponere Caluinus. *Consentit & Paulus* (inquit) *affirmans fuisse legi impossibile nobis conferre vitam, quatenus infirma erat per carnem*. At quis

Scripturæ Paulinæ depraua-tio fœda.

non videt ipsa Pauli verba longè aliud dicere? Nempe non esse legem obser-uatu impossibilem, quod Caluinus dicit; sed salutem esse impossibilem ipsi legi, id est, legem non posse adferre salutem; nec id simpliciter & absolutè, siue obseruetur, siue non obseruetur, vt Caluinus colligit, sed quatenus *infirma est per carnem*, id est, quatenus ab homine carnali sine gratia Christi impleri non potest: de quo latiùs ad ipsa Pauli verba agemus. Pergit Caluinus: *Certè si quis legẽ implere põsit, promissam illic vitam reperiet. Quũ neget Paulus vitã haberi posse ex lege, sequitur altiorẽ illic requiri iustitiã quàm quæ ab homine præstari possit.* Respõdeo nõ negare Paulũ vitã haberi posse ex lege si seruetur; sed hoc negare, ex ipsa sola doctrina legis ab infirma carne eã nec seruari nec vitam dari posse: simulq; eodẽ loco affirmare (quod hic astutè tacet Caluinus) *id quod legi impossibile erat, Christũ effecisse, dãnãdo peccatũ in carne*: id est, per sacrificiũ carnis suæ multãdo peccatũ dominio quod habuit; idq; in eum finẽ, vt, dominio peccati sublato, *iustificatio legis impleretur in nobis, qui nõ secũdùm carnẽ ambulamus, sed secundùm spiritum.* Pergit Caluinus, vt se cum ratione insanire doceat. *Verum quidem est* (inquit) *Hieronymum facultatem implendæ legis non dare in solidum naturæ viribus, sed partim etiam gratia Dei, quemadmodum se postea explicat, vt homo fidelis Spiritus gratia adiutus, dicatur posse legem im-*

Rom. 8.

Legẽ mandatorum posse seruari.

plere. Rectè sanè. Hæc est non Hieronymi tantùm sed & Augustini (qui vterque contra Pelagianos scripsit) clara & cõstans doctrina, eademque diuinis Scripturis & totius Ecclesiæ sensui conformis. De iusto dicit Scriptura: *Omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa: vita viuet.* Quod quomodo *Dauid vir secundùm cor Dei* præstiterit, qui tamen grauibus peccatis aliquando contaminatus legitur, nuper explicatum dedimus. Sed de Scripturis aliàs. Sanè ex eadem Scriptura, quam pro mandatorum obseruatione impossibili Caluinus nequiter protulit, Sanctus Hieronymus eorum possibilitatem, auxilio diuinæ gratiæ, concludit. Sic enim scribit: *Possibilia, inquit Pelagius, mandata dedit Deus. Et quis hoc negat? Sed quomodo hæc intelligenda sit sententia, vas electionis apertissimè docet. Ait enim: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, Deus filium suum mittẽs in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulamus.* Nec dissimiliter Pelagio B. Augustinus respondet: *Rectè quidem disputat Pelagius, non esse impossibile vt homo sit absque peccato. Sed hoc vnde sit possibile fateatur, & pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua iste nos orantes adiuuari nunquam confiteri voluit.* Et rursum in eodem libro: *Eo ipso quo firmissimè creditur Deum iu-*

Ezech. cap. 18. Suprà c. 13. ver. 22.

In Epist. ad Ctesiphontem

De nat. & grat. cap. 59.

Cap. 69.

stum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est. Hæc iterum ille. Quem imitatus venerabilis Beda, ita cõtra Iulianum Pelagianum scribit: *Quod dicit Dominum non impossibile aliquid præcepisse, qui iustus est, verum profectò dicit, si adeum respicit authorem, cui Catholica fides supplicat, Deduc me in semitam mandatorum tuorum. Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum illa sententia, Sine me nihil potestis facere.* Hæc ille.

In Cant. lib. 1.

Gratiæ adiutoriũ ad legem implendã quomodo eluditCaluinus.

Quid nunc ad hanc Catholicam doctrinam Caluinus? *Sed* (inquit) *neque illa mitigatio vera est. Nam si naturæ vires tantùm expendimus, non tantùm impares erunt homines ferendo legis iugo, sed ne vnum quidem digitum mouere poterunt ad præstandam minimam legis partem.* Atqui hoc crassum & fœdum mendacium Caluinianũ (quo se pulchre euasisse videtur) ipsemet Caluinus refutabit. Dixit enim paulò superiùs in huius loci tractatione, *externa ritũ legaliũ obseruatione nõ sanctos modò se deiã hypocritas plerosque rite exacteque esse defunctos. Quin etiã legi morali satisfacere nõ vsq; adeò difficile foret, si corporali tantùm obsequio cõtenta, non exigeret spiritualem iustitiam. Manus enim & pedes frenare multis datum est.* Hæc ibi ille, ingenuè fassus aliquam legis partem, sanè externam mandatorum Dei executionem, etiam ab hypocritis præstari, difficilem non esse, multorum

Caluinus ex suis verbis refutatur.

rum denique ac vulgarem. Atqui hypocritæ non nisi ex naturæ viribus agunt: & corporale obsequium sine spirituali iustitia solius naturæ virium opus est. Semetipsum ergo mendacij reum conuincit Caluinus. Cæterùm demus Caluino ne minimá quidem legis partem per solius naturæ vires præstari posse: nempe ita præstari posse vt oportet, quod perlibenter concedimus. Demus quoque Caluino non tantùm mutilam & debilem esse hominis facultatem absque gratia Dei ad legem implendam, sed etiam ad inchoãdam prorsus nullam, iuxta Scripturas quas allegat: *Cogitationes omnes humanæ mentis prauas esse à pueritia*; *Omnes carnis sensus Deo esse inimicos*; *Neminem esse qui Deum requirat*. Quid ex eo cõcludet? *Statuendum* (inquit) *igitur est, etiam fideles, postquam Spiritu Dei regeniti iustitiæ legis student, dimidium tamen præstare, non totum*. At quàm insulsa & inepta est ista illatio: Sine gratia Dei nullam legis partem implemus: ergo cum Dei gratia non nisi dimidium legis implemus? Quare dimidium potiùs quàm quadrantem, aut trientem, aut duas tertias, aut ipsum totum? Dei gratia cur non æquè ad totam legem implendam vires dat quàm ad dimidium? An ex parte gratiæ defectus est, aut ex parte naturæ virium? Si ex parte gratiæ, quis blasphemiam illam sustinebit, quæ diuinæ gratiæ viribus limites præscribit? Nisi fortè aliquid

Genes. 6.

Rom. 8.

Psalm. 14.

Caluini stolida illatio.

quid in Scriptura reuelatum Caluinus habet, Deum ad dimidiam legem implendam gratiæ vires dare, non ad duos trientes aut ad totam? Si ex parte virium naturæ defectus est, aut quia defectum illum tollere diuina gratia non potuit, & idem recurrit inconueniens, aut quia non voluit. Et quo modo non voluit Deus per adiutorium gratiæ suæ totam legem à nobis impleri, qui & iussit totam impleri, & adiutorium promisit vt tota impleatur? *Charitatem* quippe *diffudit in cordibus nostris. Plenitudo autem legis est dilectio*: & *qui diligit proximum, legem impleuit*. Et de hac gratia sua dixit, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis*. Quid? ex dimidia legis parte, non ex tota? Atqui de iusto ad se conuerso dicit: *Omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa: vita viuet*. Et vnus Paulus hac gratia donatus dixit: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Quàm igitur impius Caluinus, qui *Spiritu Dei regenitos* affirmat *iustitiæ legis dimidium præstare, non totum!* Deinde quæri potest, quale tandem dimidium intelligit: & quum tota lex in duas dimidias partes diuidetur, vtrum dimidium, & cur istud potiùs dimidium quàm alterum fidelis Spiritu Dei regenitus præstabit? An aliquid hoc effugio & collectione Caluiniana vel magis impium vel ineptius atque insulsius dici potuit? Et vide quanta absurditate suam ineptiam confirmet. *Ne que enim* (inquit) *de Epicuro vel profanis hominibus*

Gratiæ ad iutorium datum est ad totam legem implendam.

Rom. 5.

Rom. 13.

Ezech. 36

Ezech. 18.

Philip. 4.

hominibus hic Petrus verba facit, sed de Abraham, de Mose, alijsque sanctis Patribus, quotquot vnquam fuerunt in mundo perfectissimi: & tamen istos dicit legis oneri succubuisse, quia vires eorum opprimeret. Respondeo: Tametsi Petrus de lege morali loquutus fuisset, eamque in rigore sermonis à nemine vel perfectissimo portari potuisse dixisset; hæc tamen Petri assertio priorem Caluini propositionem nullo modo confirmasset, sed penitus destruxisset. Hinc enim sequeretur, nec totum nec dimidium legis ab vllo præstitum fuisse, quia legis oneri omnes succubuerunt. Saltem non magis dimidium quàm trientem legis ab illis præstitum fuisse concluderet. Nunc autē Petrum de lege morali loquutum non fuisse, sed de ceremoniali tantùm, de qua controuertebatur, ex præcedentibus luce meridiana clariùs liquet. Quare nec de Abraham, qui legem ceremonialem antecessit, & ante ipsam acceptam circumcisionem iustificatus fuerat, nec de alijs, quotquot fuerunt in mundo perfectissimi, quorum maximus numerus legem ceremonialem non acceperat, vt stolidè garrit Caluinus, loquitur hîc Petrus. Vnde rursum confirmatio, quam profert, altero adhuc pede claudicat, prorsusque in terram decidit.

Iam Caluinus quia contra ea quæ de legis moralis obseruatione impossibili hactenus impiè disputauit, paratam videt de

gratia Christi, qua lex impletur, exceptionem; eam audacter in medium profert, & inanem eam ac irritam se posse facere confidit. *Odiosè* (inquit) *objicitur affici Spiritum Dei contumelia, quum eius gratiæ & auxilio detrahitur implendæ legis facultas.* Non odiosè sed piè & necessariò contra diuinæ gratiæ ingratos, impuros, & impios hostes istud objicitur.

Pelagius & Caluinus in duobus extremis.

Gratiæ diuinæ necessitatē vel sustulit, vel certè multum minuit Pelagius: gratiæ diuinæ efficaciam penitus tollit Caluinus; tollunt & alij horum temporum hæretici. Legem impleri posse sine gratia, tametsi facilius cum gratia, aiebat Pelagius: legem impleri non posse, ne quidem cum gratia, affirmat Caluinus. Ille humanas vires efferendo, hominem Dei auxilio destituit: iste gratiæ vires deprimendo, Deum sua bonitate spoliat. Ille medico voluit non indigere: iste medicum dicit non valere. Denique, ille sanitatem præsumēs, medici opem neglexit: iste de sanitate desperās, medici facultatem condemnat. Postremò ille superbus seipsum præcipitauit: iste blasphemus Deo bellum indicit. Vterque Spiritum Dei contumelia afficit, sed [illegible]tò grauiùs & horribiliùs iste, quantò [illegible]eratius & nequius est Deo bellum indicere, quàm à Deo refugere; & aduersus Principem arma sumere, quàm ex eius finibus sese abducere. Non igitur odiosa, sed pia, sed necessaria, sed pro Dei gloria,

est.

est hæc Catholicorum obiectio. Nunc quid ad eam respondeat Caluinus, attende Lector: *Sed prompta est* (inquit) *solutio : quia non dissérimus quid valeat Spiritus gratia, sed quid valeat gratiæ mensura quam Deus vnicuique suorum in hac vita partitur. Semper enim reputare conuenit quid se facturum promittit Deus.* Speciosa hactenus hæc oratio est, sed insidiosa & fallax ; nisi ostēdere Caluinus possit eam gratiæ mensuram Deum hominibus negare, qua legem (quam cum auxilio gratiæ suæ impleri iubet) implere homines cum eius auxilio possent. Hoc est Caluino necessariò probandum, vt ab hac se impietate liberet, qua Spiritum Dei contumelia afficit. Attende & vide quomodo hoc probet. *Nec temere* (inquit) *quæramus an fieri possit, quod ipse nunquam fore & quod se nolle fieri testatur.* Vide & attēde duplicem hominis blasphemiam. Dicit, Deum testari nunquam fore vt lex ipsius impleretur. Addit, Deum nolle hoc fieri, nolle vt lex eius impleatur. An istis duobus paradoxis aliquid absurdius aut magis impium dici potuit? Si Deus testatur nunquam fore vt lex eius impleatur, proferatur ex Dei verbo hoc testimonium. At nullum profert Caluinus. Quis ei in re tanta credat? Cōstat Deum dedisse nobis mandata, vt ea impleamus. Ipse decalogus hoc loquitur. Tota Christi in terris prædicatio idem confirmat, qua toties ingeminat, vt

Gratiæ ad iuuātis efficaciam qua arte eludit Caluinus.

Caluini blasphemia duplex.

Voluntates in Deo contrarias Cal. ponit

voluntatem Dei faciamus. Si vsquam dixit mandata seruari non posse, quæ tamen seruari iubet; cur in tanta saltem apparente cõtradictione, Dei verbum non profertur? Rursum, si nolle impleri mandata Deus testatur, quæ de facto iubet, ideoque se velle testatur, (quis enim fieri iubet quod fieri non vult?) in hac rursum tam manifesta contradictione proferatur Dei testimonium. At nullum proferet Caluinus. Quis homini impio credet? Quis eum talia blasphemantem, duasque in Deo contrarias voluntates ponentem (quæ in quemlibet hominem cadere absque hominis iniuria dici non potest) non execretur? Videamus tandem quid & quantum Dei gratiæ tribuat. *Promittit* (inquit) *fidelibus Spiritus gratiam, qua repugnent concupiscentijs carnis, & ipsas subigant, non tamen penitus aboleant.* Respondeo: Qui carnis concupiscẽtias subigit, ille peccatum vincit, peccatum illi non dominatur, ille ambulat non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, ille coram Deo iustus est. *Si enim Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Qua vita, nisi vita iustitiæ in hac peregrinatione, in vita gloriæ in cælesti patria? Atqui hoc est legem implere, & Dei mandata, quæ peccatum prohibent, de facto seruare. Sed non dat gratiam (ait Caluinus) *qua concupiscentias ipsas aboleant.* Verum hoc est, nec ad implẽdam Dei legem istud est necessarium,

Rom. 8. 13.

quod

quod apertissimè Apostolus dixit, nisi quòd ad apertam lucem oculos suos claudere hæretici volunt: *Nihil nunc damnationis ijs qui sunt in Christo, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum.* Rursum: *Iustificatio legis impletur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Pergamus cum Caluino: *Promittit gratiam qua ambulent in nouitate vitæ, non tamen currant sicut lex postulat.* Id si ita est, delusit suos Corinthios Apostolus, ad eos scribens: *Sic currite, vt comprehendatis.* Qui sic currit, vt comprehẽdat, an non currit sicut lex postulat? Lex quippe postulat, *vt faciendo eam viuamus in ea.* Rursum de efficacia gratiæ dicitur: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assumẽt pennas sicut aquilæ; current, & nõ laborabunt, ambulabũt, & nõ deficiẽt.* Plena his vocibus Scriptura est, vt manifesta sit Caluini blasphemia, & in Spiritũ Dei cõtumelia, quã adhuc magis prosequitur dicens: *Vult enim tota vita sibi esse obnoxios, vt ad veniam petendam confugiant.* Vide hominis impietatem, & duas maximè contrarias in Deo voluntates ponentem. Si Deus vult homines tota vita esse sibi obnoxios, vt ad veniam petendam confugiant, ergo vult eos tota vita peccare; & volũtas Dei est vt tota vita peccemus, quando nisi per peccata sic obnoxij sumus Deo, vt veniam petere debeamus. Ergo quando Christus dixit, *Qui voluntatem Patris*

Rom. 8. 1.

Rom. 8. 4

Spiritui S. mentitur Caluinus.

1. Cor. 9.

Esai. 40.

Deus vult homines tota vita peccare, iuxta Caluinum.

Matt. 12.

mei

mei facit, ille frater meus & soror mea & mater mea est, intellexit Christus, Qui peccat, & legem meam aliqua ex parte violat, quam ego ex aliqua semper parte violari, & nunquam ex toto impleri volo, ille frater meus est, &c. Ergo quando oramus oratione Dominica, *Fiat volũtas tua*, illud oramus, vt peccemus. Scilicet ne fortè postea mendaciter dicamus; *Dimitte nobis debita nostra*. Denique fefellit nos Paulus ac mẽritus est quũ dixit:

1. Thes. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*; dicereque debuit iuxta Caluinum, Hæc est voluntas Dei, transgressio vestra. Execrandam detestabilis hæretici doctrinam quis non videt? Sed contra has detestabiles Caluini voces, quibus ait *Deum impleri suam legem nolle, & vt tota vita obnoxij simus peccato velle*, tenẽda est diuinæ Scripturæ manifesta do-

Psalm. 5. ctrina, *Deus non volens iniquitatem tu es*. Tenendæ firmiter omnes illæ Scripturæ quæ Dei volũtatem describunt non nisi bonam, sanctam, iustam, non nisi ea quæ bona, sancta, ac iusta sunt volentem, volendo præcipientem, præcipiendo suæ voluntatis beneplacitum patefacientem. Permittit quidem Deus omnia quæ fiunt peccata, & volens permittit; sed ipsa peccata Deum velle voluntate actiua ac beneplaciti, sine summa impietate dici non potest. Non ignoramus alios Caluini atheismos, quibus Deum omnia quæ fiunt peccata, volũtate actiua velle, decer-

decernere, operari, homo impius docet: quos suo loco explicatos & refutatos dedimus. Sed vt hanc impietatem tueatur, cogitur in Deo ponere duas contrarias voluntates: vnam in Scripturis patefactam, qua vult omnem iustitiam; alteram arcanam & occultam, qua vult omnem impietatem. Quod eius execrandum commentum, quo & Scripturæ falsi arguuntur, & id asseritur quod vero consonare intelligi non potest (quis enim capiat duo contradictoria simul esse vera?) quando reijcimus, insurgit colu- ber, & collectis in orbem spiris, velutique alter Lucifer super astra conscensurus, similisque altissimo futurus, hæc sua nobis tonitrua resonat: *Non sum nescius quãta hîc appareat hominibus profanis absurditas & repugnantia: sed quicquid illi garriant, aut allatrent, mea mihi conscientia instar mille testium est.* Hæc hominis superbia planè Luciferiana est. Contradictionem & impietatem eius luce meridiana clariorem qui non admittunt, *homines profani sunt, garriunt, allatrant.* Illi verò sua conscientia, id est, sui cerebri commentum, instar mille testium est, id est, mille Scripturarum testimonijs, quæ Dei voluntatem nisi in bonum ferri docent, æquiparandum, imò anteponendum est. Ex hoc impietatis Caluinianæ fonte profluxit, quod hîc ausus dicere Caluinus est, *testari Deum se legem sua impleri nolle, & velle Deum omnes sibi esse per peccatum*

In Opere de Iustificat. lib. 11.

Caluini superbia Luciferiana.

In lib. de prædestinatione.

Scripturarum mille testimonijs suum proprium commentum adæquat Caluinus.

catum tota vita obnoxies. Sed abſit à Chriſtiano pectore huiuſmodi cogitatio. Deus quidem præuidit hominum peccata, imò & fidelium ſeruorum ſuorum quotidiana peccata præuidit, & contra illa docuit eos quotidie orare, *Dimitte nobis debita noſtra.* Præuidit tãta perfectione legem ſuã in hac infirmitate humana ex toto impleri non poſſe, aut à quàm pauciſsimis poſſe, vt quotidianis ac leuibus peccatis hęc vita careret. De quo genere Auguſt. ita ſcribit: *Ipſe cæleſtis magiſter hanc orationem, Dimitte nobis debita noſtra, non doceret, niſi nos peccatores eſſe præuideret. Vidit quæ cauere debemus, & quæ cauere difficile ſit. Omnia autem cauere impoſsibile iudicant eſſe, qui iſtam orationem quotidianam non quoſlibet Chriſtianos, ſed ipſos arietes Apoſtolos docuit.* Hęc ille. Attamẽ à grauibus illis peccatis quæ lex decalogi prohibet, & *quæ qui agunt, regnum Dei* (teſte Paulo) *non poſsidebunt*, & à quibus qui ſe cuſtodit, Deumque ac proximum diligit, *legem implet*, & cauere per Dei gratiam poſſumus, & cauent omnes iuſti ac timentes Deum. Nec de illis dicitur, *Dimitte nobis debita noſtra.* Impij ac flagitioſi homines ita olim iudicarunt, noſtrique hodie Caluiniſtæ iudicant, inter quotidiana ſeu leuia, & mortifera illa & grauia nihil diſtinguẽtes, cõtra quos eodem loco Auguſt. ſubiunxit: *Quod Deus ſtatuit quotidie dici propter leuia peccata, iſti putant ad iſta grauia ſibi poſſe opitulari, à*

Peccatis leuioribus nemo caret.

Hom. 19.

Gal. 5.

Rom. 13.

Serm. 56. de tempore.

quibus

Iuibus non volũt discedere, sed in his cupiũt permanere. Et alio in loco: *Sicut sine minutis peccatis nemo vnquã aut fuit aut esse poterit; ita sine capitalibus crimmibus, dãte & auxiliante Deo, omnimodis esse possumus & debemus.* Iam verò tametsi sine leuioribus peccatis neminem viuere Deus præuidit, non tamẽ quenquã vel leuissimè peccare Deus vult, sed permittit: quia quod malum aliquo modo atque iniquum est, velle Deus non potest. Ita legem suam Deus totã impleri vult, siue in magnis, siue in paruis. Sed maiorum transgressio à vita & salute excludit, nisi pœnitentia deleatur; minorum violatio ad quotidianam petendam veniam compellit.

Peccatis grauioribus omnes carere possunt ac debent.

Sed nunc cum Caluino pergamus, cuius disputatio maiorem huius rei explicationem à nobis extorquebit. *Si* (inquit) *Dei consilium ac præscriptum ab eo ordinem ab eius virtute disiungere fas non est, stultum est ac futile cauillum quo nos grauare conantur aduersarij, quum nos iactant Dei potentiæ detrahere. Potiùs ipsi Deũ transformant, quum eius consilium contendunt posse mutari.* Atqui iam docuimus in voluntate peccati Dei consilium non esse; ideoque non stultum ac futile cauillũ, sed firmũ & forte documentum est, impios Caluinistas Dei potentiæ derogare, quando legem Dei etiã cum Dei adiutorio à nemine impleri posse affirmant. Sanctus Augustinus iuxta varias Scripturas quæ hominem in hac vita sine peccato

Dei potẽtiæ Caluini doctrina derogat.

peccato non esse docent, sine peccato, inquam, leuiori, quo fragilitas humana non caret, agnoscit sine huiusmodi peccato neminem aut viuere aut vixisse, excipiens semper, propter honorē Domini, beatissimam Virginem Christi Matrem. Sed porrò inquirēs an etiam sine huiusmodi peccato per Dei adiutorium esse possit in hac vita iustus, adeoque perfectissimam Dei dilectionem assequi, nullo modo hoc negandum esse affirmat. *Nullo modo* (inquit) *dicendum est, Deo deesse possibilitatem quo voluntas sic adiuuetur humana, vt nō solùm iustitia ista quæ ex fide est, omni ex parte modò perficiatur in homine; verùm etiam illa secundùm quam postea in æternum in ipsa eius cōtemplatione viuendum est.* Hæc ille. Sed quid? An sic possibilitatem Deo concedit, vt voluntatem perficiendi in homine omni ex parte iustitiam in hac vita auferat, aut velle Deum peccata nostra affirmet? Vide quid porrò adiungat: *Sed quare non faciat quod potest facere, quærunt homines, nec, qui quærunt, se attendunt esse homines. Scio quòd sicut impossibilitas* (liberandi hominem ab omni peccato) *ita & iniquitas* (volendi in homine aliquod peccatū) *non est apud Deum. Et scio quòd superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et scio quòd illi, cui, ne extolleretur, datus erat stimulus carnis, angelus Satanæ, qui eum colaphizaret, semel & iterum & tertiò deprecanti dictum est, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus infirmi-*

De Spiritu & lit. cap. vlt.

In Deo nec impossibilitas nec iniquitas ponenda.

infirmitate perficitur. Aliquid ergo est in abdito & profundo iudiciorum Dei, vt etiam iustorum omne os obstruatur in laude sua, & non aperiatur nisi in laudem Dei: hoc autem aliquid quis posset scrutari, quis inuestigare, quis nosse? Hæc sanctissimus ille & doctissimus Pater. At superbus Caluinus cõsilium Dei sese inuestigasse & pernosse præsumens, asseuerat *consilium Dei esse, ideo à nemine legem impleri, quia Deus non vult legem suam à quoquam impleri, & quòd Deus vult omnes homines peccare*, legémque transgredi: atque ita, ne Dei potentiæ derogare videatur, iniquitatem Deo tribuit. Cæterùm quia iniquitas aut velle iniquitatem in Deum non cadit, restat vt ex Dei gratia qui legem impleri non posse affirmat, quatenus ad iustitiam coram Deo assequendam eam impleri necesse est, is profectò Dei potentiæ deroget, & legis obseruationem ad salutem necessariam diuinæ gratiæ impossibilẽ esse affirmet. Sed Caluinus, dum vnam impietatem declinat, in grauiorem incidit. Quam tamen vt à se amoliatur, & ne absurdũ cuiquam videatur, nolle Deum suam legẽ impleri, quam ab omnibus adimplendam omnibus proponit, hanc ipse sibi difficultatem soluendam mouet. Et vltimum hoc est impij hominis, impiéque doctrinæ de obseruatione mandatorum impossibili, perfugium.

Dei potẽtiæ ne videatur Cal. derogare, iniquitatem Deo tribuit.

Sed (inquit) *difficilior occurrit quæstio: An non*

in hunc finem lata fuerit lex, vt homines cogeret ad Dei obsequium? Frustra autẽ hoc fieret, nisi ad eam seruandam dirigeret fideles Spiritus Dei. Et scrupulum eximit solemnis illa Mosis contestatio, quum se

Deut. 30. 8.

præcepta Iudæis dare admonet, non quæ legant, sed quæ opere compleant. Vnde colligimus, iugum datæ lege fuisse Iudæis impositum, quod eos Deo subijceret, ne viuerent suo arbitrio. Hæc obiectio tametsi molliùs & parciùs proposita, satis tamẽ fortis & plena est ad Caluini vanitatem & impietatem demonstrãdam. Docet quippe ex clarissimo veteris Scripturæ testimonio, cui alia innumera cõcordant, quorũ non nulla nuper protulimus, *ideo legem latam à Deo esse, vt opere compleatur*: vnde necessariò sequitur,

Legẽ impleri posse ex fine datæ legis constat.

talem legem datam fuisse, quæ opere compleri posset; ac per hoc ex ipso fine datæ legis manifestum fieri, legem non esse ad obseruandum impossibilem. Nunc ad hanc obiectionem quid respondeat Caluinus, videamus. *Responsio* (inquit:) *Lex duobus modis censetur iugum. Quatenus enim frenat carnis libidines, & normam tradit piè rectèque viuendi, æquum est vt filij Dei ceruices huic iugo subijciant: sed quatenus exactè præscribit quidnam debeamus Deo, nec vitã promittit nisi addita conditione perfecti obsequij, rursus maledictionem denunciat si qua in parte erratum fuerit, iugum est importabile.* Respõdeo

Legis duplex vsus ac finis.

& ego, duplicem quidem esse legis vsum & finem: vnum, vt doceat quid fieri à nobis Deus vel iubeat vel vetet: alterum, vt facientibus

cientibus præmium, non facientibus iustas à Deo pœnas proponat. Neutrum horum accedente Dei gratia iugum est, multo minùs importabile. Dei enim gratia voluntatem accendens, efficit vt & doctrina suauis ac delectabilis sit, & obedientia facilis ac prompta sit. Vtrumque sine Dei gratia & onus & iugum est. Quatenus enim docet tantùm, & peccati cognitionem adfert, auget præuaricationem, & irritat magis ad peccandum nitentes in vetitum. Quatenus pœnam intẽtat, timorem seruilem, qui proprie iugum legis est, generat: quo stante, aut non seruatur lex, aut nisi ab inuito seruatur, ideoque non vt oportet seruatur. Hæc omnia in explicatione epistolæ ad Rom. clariùs aperiendi locus dabitur. Nunc Caluinus cum suis solam doctrinam legis filijs Dei necessariam asserẽs, primarium legis vsum tollit, *vt opere compleatur*, & illum solum ponit qui homines magis præuaricatores constituit, de quo tam multa Apost. ad Rom. 7. Alterum legis iugum dissimulãs Caluinus, vnum à se cõfictum supponit: nempe quod *conditionem addat perfecti obsequij, & maledictionem denuncíat si qua in parte erratum fuerit.* In sensu (inquam) Caluini, iugum hoc ab ipso confictum est. Perfecti enim obsequij nomine intelligit Caluinus ab omni etiam leuissimo peccato, imò & motu inordinato, abstinentiam. Ex aliqua parte errare intelligit,

Timor seruilis iugũ legis.

Legis iugũ à Caluino cõfictum.

telligit, vel leuissimo quouis peccato, aut quocumque motu illicito, legem transgredi. Atqui tametsi tam leuia peccata quàm grauia contra legem fiant (de quo tamen inter scholasticos Theologos controuertitur; nam ipsos primos inuoluntarios motus peccata esse nullus Theologus dixerit) tamen sicut filius vel in minimo patris mandatum transgrediens, contra eius mandatum quidem peccat, sed nõ ita vt propterea exhæredari mereatur; ita in minimo peccato veniali peccantes, Dei quidem voluntatem violant, & contra legem eius peccant, non tamen ita vt propterea filij Dei esse desinant, aut à cælesti hæreditate excidant.

Lex quomodo perfectum obsequiũ exigit.

Lex igitur non ita perfectum obsequium exigit, nec ita maledictionem denunciat, vt in minoribus puritatem legis violantes, hanc maledictionem incurrant; sed ita maledictionem denunciat, vt qui grauiora legis mandata transgreditur, & qui talia committit, *qualia qui agunt, regnum Dei non possessuros*, non lex tantùm decalogi, sed Scriptura etiam Euangelica & Apostolica denunciat, ille demum maledictionem illam incurrat. Nunc cum Caluino pergamus: *Secundùm hanc rationem*, inquit, *Petrus tentari Deum asserit, quum legis onus conscientijs imponitur. Non enim vult negare quin regendi sint homines legis doctrina, & ita iugo subesse; sed quia legis officium est non simpliciter docere, sed etiam æterno mortis reatu humiliare*

Gal. 5. 20. Rom. 8. 13

humiliare homines, qualitatem illam doctrinæ annexam reputans, contendit non debere legis iugo constringi piorum animos, quia hoc modo necesse foret in æternum interitum demergi. Respondeo, de quo iugo Petrus loquutus fuerit, iam ex præcedentibus satis liquere. De iugo legis moralis omnino non loquitur, sed de ceremonialis legis iugo tantùm. Alterum fictitium Caluini iugum nullum est; sed hoc sibi finxerunt hodie hæretici, vt quum hanc summam perfectionem à lege mandari sub pœna mortis æternæ, ad quam nemo in hac vita pertingit, sibi atq; alijs persuasissent, mox concluderent ex legis obseruatione, veluti impossibili, neminem coram Deo iustificari; deinde, ad legis obseruationem sub pœna damnationis æternæ neminem astringi; tum legis obseruationem nemini esse ad salutem necessariam; tandem, quia exactè quoad minora seruari lex non potest, nec etiam obligare in maioribus; ac per hoc totam iustitiam hominis Christiani in sola perpetua peccatorum remissione consistere. Quæ vna resolutio totam legem Caluinistis nostris suauem ac leuem facit, omnéq; illorum ceruicibus legis iugum excutit. Vnde sic prosequitur, totamque hanc suam prolixam disputationem concludit Caluinus:

Legis iugum confictũ quot secum hæreses trahat.

Cæterùm (inquit) *vbi non modò adest Spiritus Sancti gratia, quæ nos gubernat* (scilicet docendo quid

Caluini resolutio circa legis iugũ carni suauissima.

do quid Deus velit) *sed gratuita peccatorum remissio, quæ nos liberet à maledictione legis & absoluat*, (id est, omnium mandatorum, etiam grauissimorum, transgressionem gratis per Christum sola fide apprehensum remittat, nulla pœnitentia, satisfactione, aut huiusmodi nugis interuenientibus) *tunc impletur illud Moysis, mandatum non esse supra nos*; Deut. 30. *tunc sentimus quàm suaue sit iugum Christi, & onus leue. Quia enim Dei indulgentiâ remitti scimus quod pro carnis infirmitate deest, alacriter & sine molestia suscipimus quod iniungit*; Matth. 11 *& verum esse sentimus quod scribit Ioannes, Dei mandata grauia non esse. Quare, modò exemptus sit legis rigor, non tolerabilis solùm erit legis doctrina, sed læta quoque & suauis, vt Dauid loquitur*; 1. Ioan. 5. *nec recusandum erit frenum quod placidè nos moderatur, non autem duriùs vrget quàm expediat*. Pſalm. 19. & 119. Hæc hactenus Caluinus, prolixam suam hoc loco contra bonorum operum necessitatem, & obseruandæ legis possibilitatem, disputationem tandem aliquando absoluens. Resolutio eius est, quando adest gratuita peccatorũ remissio, quando totius legis transgressio gratis illi per Christum remittitur, id est, quando potest impunè eam transgredi, tam in magnis criminibus quàm in paruis & quotidianis delictis; tunc *doctrina legis tolerabilis est*; tunc *iugum legis repudiandum non est*; tunc *mandatum non est supra nos*; tunc *Christi iugum suaue est, & onus leue*; tunc denique *mandata legis grauia non*

non sunt. Suaues Caluinistæ molles sibi calcitras consuerunt; nec sibi tantùm, sed & *omni cubito manus*, vt Propheta loquitur, id est, omnibus qui tales pseudoprophetas audiunt. Sanè graue esse mandatum non potest, quod nemo tenetur seruare; quod vbi transgrederis, veniam in promptu habes; quod docet te quidem viam iustitiæ, sed ad eam te non astringit. Et quomodo, ô boni Caluinistæ, obiectioni à Caluino propositæ respondetur? Quomodo finis legis à Deo datæ seruatur? nempe *vt opere mandatum compleatur*. An non finem planè contrarium, & vt lex opere non compleatur, vester Caluinus docuit? Si enim non obligat lex sicut loquitur, non obligat, inquam, ad pœnam mortis, sed quomodocumque violata lege legis transgressor saluus est, nec obligat vt opere compleatur, sed docet tantùm quid fieri par esset si vllo modo id fieri posset; an non luculentissimè id agitur, vt lex opere non compleatur; totaque eius doctrina, tota maledictio, inane terriculamentum reddatur? Atqui, ô boni, hîc *ad calcitras vestras, quibus animas capitis*, vt Propheta loquitur, Spiritus S. iam filios Dei alloquens non secus quàm lex vetus Iudæis data, intonat: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Manifesta sunt opera carnis, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Et Christus ipse (à quo hanc gratuitam remissionem ex sola fide expectantis,)

Ezech. 13

Legis finem in Scripturis expressũ Caluini doctrina penitus tollit.

Rom 8.13
Gal. 5.20.

Ioan.15.2 ctatis,) *Omnem*, inquit, *palmitem in me non ferentem fructum*, non obedientem præceptis meis, *tollet Pater meus*. Sublatus autem *mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Quæ verba quãtum valeant, suis locis explicuimus. Manet ergo non solùm doctrina legis, sed & obligatio. Vtrumque filijs veteris Testamenti, id est, hominibus adhuc carnalibus, seruili timore legem audientibus, rigor, iugum durum, maledictio est: neutrum filijs noui Testamenti, id est, Spiritu Dei regeneratis, spiritu adoptionis filiorum Dei donatis, clamantibus Abba Pater, amore filiali Deum vt patrem beneficentissimum diligentibus, & colentibus, vel rigor, vel iugum durum, vel maledictio est, sed *iugum suaue, onus leue, eloquia dulcia super mel & fauum*. Hunc rigorem legis, hanc duritiem & difficultatem obseruandi illam, hanc maledictionem & pœnam transgressori debitam tollit nõ gratuita peccatorum remissio, qua impius quidem iustificatur, lex autem Dei à filijs Dei non seruatur; sed spiritus dilectionis, *spiritus adoptionis, charitas Dei diffusa in cordibus*, gratia Christi intus in corde renouans, *noua Christi creatura, qua creamur in illo in operibus bonis quæ Christus præparauit vt ambulemus in illis*. Claris verbis ait Apostolus: *Soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt seruiamus Deo in nouitate spiritus, non in vetustate literæ*. Docet perspicuè solui nos à lege

Legis obligatio non secus quã doctrina manet.

Legis rigor & maledictio quo tandem modo tollitur.

Rom.8. 15. Rom.5.5. Gal.5.15. Ephes.2. 10.

Rom.7.6

à lege mortis, (quod est liberari à maledictione, vel ab illa mortifera qualitate legi annexa) non quatenus transgredientibus legem remittuntur peccata, sed quatenus legem ipsam præstamus, *seruientes Deo in nouitate Spiritus*, id est, in nouo illo dilectionis affectu quem Dei Spiritus nobis donauit. Rursum: *Peccatum nobis non dominabitur, quia non sumus sub lege, sed sub gratia.* Rom 6. 14. Qua gratia? An remissione peccatorum gratuita? Atqui illa sola posita, peccatum nobis dominatur, quia legem peccãdo semper trãsgredimur. Gratia igitur intus renouante, qua fit vt nos peccato dominemur, *ne regnet in mortali corpore nostro*, non illud nobis dominetur. Rom. 6. 12. Rursum, hæc est gratia noui Testamenti: *Dabo leges meas in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero eis in Deum.* Ierem. 31. 33. Quid? An scribi leges in corde, est accipere remissionẽ violatæ semper & nunquam obseruatæ legis? Certè in corde eius qui legem trãsgreditur, lex non scribitur. Cor enim à lege auersum habet, aliud opere & cogitatione perpetrãs quàm quod lex iubet. Hæc pauca loca sufficiant ad impietatem Caluinianam manifestè reuincendam: quam etiam totis voluminibus contra Pelagianos, qui hanc gratiam intus renouantem, iustificantem, legisque mandata implentem, impiè quoque negabant, ex diuinis Scripturis luculenter refutat ac reuincit D. Augustinus; in lib. de

Spiritu & litera, in Epist. 120. ad Honoratum de gratia noui Testamenti, in lib. de natura & gratia, alijsque contra Pelagianorum epistolas ac tractatus eruditissimis scriptis. Est quidem iustificationis nostræ in hac vita pars quædam & necessaria & perpetua ipsa peccatorum remissio; quia & per eam impius Deo conciliatur, & eius beneficio, qui iustus est, in iustitia conseruatur, quod olim in alio opere latè explicatum dedimus. Cæterùm non illa facit iugum Christi suaue, & onus leue; non illa efficit vt mandata Dei non sint grauia; non propter illam propè est in corde nostro & in ore nostro Dei mandatum; sed Spiritus gratiæ regenerantis hoc totum facit, qui vias & leges Dei ex se duras filijs Dei facit leues, quia facit *prauа in directa, & aspera in vias planas*; qui facit mãdata Dei leuia, quia *donum illud charitatis* adfert, *quo fiunt leuia*; qui deniq; nõ difficile & procul positũ, sed propinquũ, facile, & obuiũ Dei mandatũ dilectionis dono efficit. Nihil est in tota Caluiniana doctrina pestilẽtius, quã ista (quam docent) legis diuinæ obseruandæ impossibilitas, & gratiæ Mediatoris nostri ex potissima sua parte impia & execranda negatio. Hãc vt Caluinus præter morẽ suũ prolixè, copiosè, accuratè hoc in loco pertractare voluit; ita tam noxio & pestifero eius veneno hãc qualem qualẽ antidotũ opponere operę preciũ duxi.

Remissio peccatorũ pars iustitiæ.

In opere de Iustificat lib. 6. cap. 8.

Luc. 3. 5.

August. de perfectione iustitiæ.

11. Sed

11. *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

PRosequitur adhuc ad hæc verba venenatam suam superioris loci doctrinam Caluinus, cui etiam remedium adferre conabimur. *Duo* (inquit) *ista inter se vt contraria comparat Petrus: spem habere salutis in Christi gratia, & sub iugo legis esse. Quæ comparatio Christi iustificationem maximè illustrat. Nam inde colligimus fide iustificari, qui liberi & soluti à legis iugo salutem in Christi gratia quærunt.* Petrum de iugo legis moralis & obseruationis mandatorum Dei non fuisse loquutum, sed de solo ceremonialis legis iugo, satis supérq; ostensum superiùs est. Demus nunc tamen Caluino de vtroque iugo loquutum esse; fieriq; hoc loco legis mandatorum & gratiæ Christi oppositionem; sicuti ab vna lege ad alteram Apostol. in epist. ad Galatas deflectere videtur; estque reuera oppositio aliqua inter gratiam Christi & legem ipsam mandatorum. Nũc vt ex hac oppositione suum intentum prosequatur Caluinus, videamus. *Porrò* (inquit) *iugum legis ex duplici fine consideratur. Prior est, Qui fecerit hæc, viuet in illis. Alter est, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus præceptis. Redeamus ad membrum contrarium. Si non aliter salutem consequimur ex Christi gratia quàm ablato legis iugo; sequitur, nec salutem nobis in legis obseruantia sitam esse, nec legis maledictioni*

Leuit. 18. 15. Deut. 17. 26.

dictioni obnoxios esse quicumque in Christum credunt. Nam si gratia saluus esse posset qui iugo legis adhuc est implicitus, inepta esset Petri ratiocinatio, quam constat à repugnantibus deductam esse, hoc sensu: Salutem speramus ex Christi gratia: ergo legis iugo non sumus subiecti. Nisi dissidium esset inter Christi gratiam & eius iugum, fucum faceret Petrus. Quare necesse est discedere à legis iustitia, quicumque vitam in Christo quærunt. Neque enim repugnantia hæc ad doctrinam spectat, sed ad iustificandi causam. Tota hæc Caluini deductio facilè concedi posset, nisi aliquando in mutandis verborum terminis vafrum impostorem ageret. Petri antithesis inter iugum legis & gratiam Christi apertam repugnantiam ponit, idque quo ad iustificandi causam; docétque non per iugum legis sed per gratiam Christi omnes saluari. Iugum quoque legis duplex agnoscimus, vnum in simplici doctrina, alterum in maledictione transgressoribus posita; & ab vtroque iugo gratia Christi liberat. Sed quum Caluinus cum priori iugo simplicis doctrinæ ipsam legis obseruantiam callidè confundit, & ipsam legis iustitiam gratiæ Christi opponit, egregiè lectorem impostor fallit. Doctrina enim illa legis, *Qui fecerit ea, viuet in illis*, vt est doctrina tantùm forinsecus docens, & cognitionem solam peccati adferens, iugum sanè quoddam est, & iram operatur cui Christi gratia medetur, vt in præcedenti

Legis doctrina & legis obseruantia differunt.

cedenti loco satis explicatum est. Atqui ipsa legis obseruantia, ipsaque legis iustitia, non est hoc iugum legis, aut aliquod omnino iugum legis, sed est ipse primarius finis legis & vsus legis, quem illa doctrina demõstrat, & sola Christi gratia non doctrina exterior efficit. Nec Petrus effectum finé aut vsum legis Christi gratiæ opponit, sed solùm *iugum legis*, & quatenus lex forinsecus aut minando terret, aut non nisi intellectum docet. Callidè igitur & impiè Caluinus vnum cum altero confundit. Callidè & impiè infert: *Si non aliter salutem consequimur ex Christi gratia quàm ablato legis iugo; sequitur, salutem nobis in legis obseruantia sitam nõ esse*: pro eo quod dicere & inferre debuit; sequitur, salutem nobis ex iugo legis cõstare non posse. Istud sanè ex Petri antitheſi sequitur: & iugũ legis per Christi gratiam tolli necesse est; legis autem obseruãtiam per Christi gratiam statui necesse est, non tolli. Vnde Paulus: *Nunquid legem per fidem destruimus? Absit; sed statuimus.* Quod ita exponit S. Augustinus: *Lex non euacuatur per fidem, sed statuitur, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur.* Rursum quum ita infert Caluinus; *Nisi dissidium esset inter Christi gratiam & legis iugum, frustra faceret Petrus; ergo necesse est discedere à legis iustitia, qui vitam in Christo quærunt*; confundit iterum nefariè iugum legis cum iustitia legis. Sequitur sanè ex antitheſi Petri, Necesse est à iugo

Caluini callida impietas.

Legis iugum, non obseruãtia, Christi gratiæ opponitur.

Rom. 3.

De Spiritu & lit. cap. 29.

Alia Caluini impostura impia.

iugo legis discedere, vel à iugo legis liberari, qui in Christo salutē quærunt: sed non sequitur, Necesse est vt à iustitia legis discedant. Imò qui salutem in Christo quærunt, necesse est vt iustitiam legis teneāt, faciant, adimpleant, dicēte Paulo de Christo: *Damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui secundùm spiritum ambulamus, non secundùm carnem.* Nequiter igitur lectorem fallit Caluinus, dum *pro iugo legis* callidè infarcit & supponit *obseruantiam ac iustitiam legis*: quæ Christi gratiæ adeò nō opponuntur, vt Christi gratiæ proprij & primarij effectus sint, dicente iterum Paulo: *Apparuit gratia & benignitas Saluatoris nostri Dei, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè, ac piè viuamus in hoc seculo.* Hæc est legis obseruantia, legisque iustitia, à legis iugo longissimè distincta. Hæc prima hoc loco & peregregia Caluini impostura est; qua sublata, & manēdo in terminis verborum D. Petri, loquendo *de iugo legis*, totam antithesim ac repugnantiam inter illud & gratiam Christi perlibenter agnoscimus. Sed nunc vt in *iugo legis* ad obseruantiam legis traducto vnam technam fabricauit Caluinus, sic in verbo *gratiæ Christi* aliam fabricabit. *Quo* (inquit) *refellitur eorum commentum, qui Christi gratia nos iustificari exponunt, quia nos Spiritu suo regenerans, vires ad implendam legem conferat.* Quære à Caluino, quod est antece-

Rom 8.2.

Legis iustitia gratiæ Christi nō opponitur, sed effectus eius est.
Tit. 2. 11.

dens

dens eius relatiui, *Quo refellitur*. Sanè id quod dixerat, inter ipsam legis obseruantiam seu iustitiam legis, & Christi gratiã, repugnantiam à Petro statui. Nam illa repugnantia si vera esset, profectò per Christi gratiã vires ad implendam legem intelligi non possent. Atqui talem repugnantiam non à Petro assertã, sed à Caluino callidè subornatam, iam iam demonstrauimus. Adeò quippe legis obseruantia cum gratiæ viribus cõuenit, vt hæc causæ, illa effectus rationem habeat. Nullum igitur hîc antecedens est, quo verificari hoc relatiuum Caluini possit, aut quo sententia ista Catholica à D. August. contra impios Pelagianos millies asserta, pro commento haberi debeat, qua dicitur, Christi gratia hoc sensu nos iustificari, quia Christus Spiritu suo nos regenerans, vires ad implendam legem confert. Sanè hoc & non alio sensu gratiam Christi iustificãtem contra Pelagium S. Augustinum eiusque temporis Concilia explicuisse, ac strenuè propugnasse, alio in loco ostendimus. Videamus hîc tamen quæ Caluinus contra hunc gratiæ Christi sensum hoc loco disputat. *Qui hoc*, inquit, *imaginantur, etsi videantur paululum laxare legis iugum, vtroque tamen eius fune ligatas tenent animas. Semper enim vigebit hæc promissio, Qui fecerit hæc, viuet in ipsis: ab altera parte maledictio incumbet omnibus qui legem non exactè impleuerint.* Respondeo: Per gratiam Christi

In opere de Iustificat. lib. 5. cap. 4.

Christi adiuuantem vt lex impleatur, vterque funis legis, quatenus iugum est, abrumpitur. Nam & doctrina sola non est, accedente voluntatis affectu per gratiam sanato; & maledictio legis tollitur, quia lex exactè impletur, quatenus eam ad salutē consequendam impleri necesse est. Quæ autem contra legis præscriptum minutiora nō implentur, nec legis iustitiam tollunt, & per aliam ignoscentem gratiam & iustorum orationem quotidianam ipsa tolluntur: quę in præcedenti sententia explicata dedimus. Prosequitur Caluinus: *Quare longè aliter definienda est Christi gratia, in quam salutis fides recumbit, quàm illi somniant: nempe vt sit gratuita reconciliatio sacrificio mortis eius parta: vel (quod idem valet) gratuita peccatorū remissio, quæ Deum placando ex hoste propitium Patrem nobis reddit.* Hæc quidem Caluini & aliorum hodie hæreticorum imaginatio est. Sed hæc Christi gratia, siue in recōciliatione impij, primaq; iustificatione, siue in iustitiæ progressu & incremento, non nisi vnam iustitiæ partem constituit: quando præter gratuitam peccatorum veniam, tum in ipsa reconciliatione regeneratio noua per Spiritum gratiæ semper accedit, tum in iustitiæ progressu & incremento adiutorium gratiæ, quæ intus cor mouet & omne bonum opus producit, suas præcipuè partes agit. Et hanc quidem gratiæ Christi operationem quia nec negare nec dissi-

Peccatorū remissio gratuita non est tota gratia Christi, sed vna duntaxat iustitiæ pars.

nec dissimulare Caluinus potuit, vt eam ab hac disputatione remoueat, ita subiungit, totamque disputationem suam claudit: *Verum quidem est, nos Christi gratia regenerari in vitæ nouitatẽ: sed vbi de salutis fiducia agitur, sola in mentem venire debet gratuita adoptio, quæ cum peccatorum expiatione & venia cõiuncta est. Nam si in rationem veniunt opera, & iustitiam nobis aliqua saltem ex parte conficiant, minimè ruptum erit legis iugum, atque ita concidet Petri antithesis.* Hæc est Caluini & Caluinistarum Iudaica adhuc seruitus & timor seruilis. Vt in rationem opera veniant, ferre non possunt: vt iustitiam aliqua ex parte opera conficiant, velut iugum importabile exhorrent. Solam volunt gratuitam adoptionem in mentem venire, quum de salutis fiducia agitur. Sed isti pestilentes Doctores ad inferni barathrum sectatores suos rectà perducunt, & diuinis Scripturis ex diametro cõtradicunt. In rationem operà venire debent, *quia reddet vnicuique Deus secundùm opera sua: quia factores legis iustificabuntur coram Deo*: quia dicetur à Christo Iudice, *Discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos*: quia *omnem palmitem in Christo per fidem manentem, non ferentem bonorum operum fructum, tollet Deus Pater.* Rursum, iustitiam ex aliquâ parte bona opera conficiunt, quia *qui facit iustitiam, iustus est*, & *Abraham ex operibus iustificatus est*, & zelus Phinees *reputatus est ei in iustitiam in generatione &*

Caluinistæ Iudaicã adhuc seruitutẽ seruiunt.

Opera in rationem venire debent circa salutis fiduciam. Rom. 2. 7 13. Matth. 7. 23. Ioan. 15. 2

Opera bona pars iustitiæ. 1. Ioã. 3. 7 Iac. 2. 24. Psal. 105. 31.

Rom.6. 18. *generationem, & liberati à peccato, serui facti sumus iustitiæ, exhibentes membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Denique, ad salutis fiduciam concipiẽdam non sola adoptio venire in mentem debet, sed *si cor nostrum non*
1.Ioan. 3. 21. *reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum. Si*
Rom. 8. 13. & 17. Hebr. 3. 14. *Spiritu facta carnis mortificauerimus, viuemus. Si compatimur, conglorificabimur. Si initium substantiæ Christi vsque ad finem firmum retinemus,*
Ioã. 15. 10 *participes eius erimus. Si præcepta Christi seruauerimus, manebimus in dilectione eius;* sine qua nulla salutis fiducia concipi potest. Hæc nobis in mentem venire debent, aliaque innumera diuinæ Scripturæ de bonorum operũ necessitate documenta, quando de salutis fiducia agitur; non sola per fidem adoptio, nec sola gratuita per Christum reconciliatio. Nihil est hac Caluini doctrina pestilentius. Nihil ab illo eiusque sectatoribus astruitur confidentiùs. In nullo argumento diuinis Scripturis abutuntur sceleratiùs. Quod in vna ad Romanos Epistola Antidota nostra bona ex parte demonstrabunt. Denique has ob causas Petri antithesis, hac posita Christi gratia quæ legem facit implere, non concidit, sed in proprio ac germano suo sensu stabilitur, quem his verbis tradit

De peccato originali. c. 25. Augustinus: *Vnde est* (inquit) *quod dicit Apostolus Petrus; Quid tentatis Deum, imponere iugum ceruicibus discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus, sed per gratiam Domini*

mini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi; nisi quia & illi per gratiam Domini Iesu Christi salui facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio sed cognitio est facta peccati? Ecce, de gratia Christi sanante Petrum hîc loqui ait, de qua sic alibi: *Gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur.* De Spirit. & lit. c. 29 Hæc Christi grátia nõ opponitur obseruantiæ legis, sed facit & operatur illam: iugo legis opponitur, idemque tollit: vt non ampliùs iugum, sed lex suauis, & dulcia eius eloquia fiant. Concludã cum verbis Augustini: *Eo ipso* (inquit) *quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe sunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est.* De natur. & grat. c. 69. Hæc ille.

19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad eum, sed scribere vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine.*

DIsputat ex hoc loco acriter Caluinus, huius Concilij Apostolici Caput quasique Presidem Iacobum fuisse, nõ Petrum, eò quòd iste sententiã vt Iudex ferat, quam & postea reliqui omnes secuti sunt ad verbum. Sic in sua Institutione. In Commentarijs verò ad hunc locum; *Episcopus* (inquit) *Hierosolymis fuerit, nec ne, in medio relinquimus,* Instituc. lib. 4 c. 6. num. 7.

neque ad rẽ magnopere facit, nisi quòd hinc clarè refellitur Papæ impudentia, quòd ex Iacobi potiùs quàm Petri authoritate Concilij decretum statuit.

Hæretici hodie ex affectu non ex iudicio Scripturas exponunt.

Hæc ille. Sed hîc aduertere licet quàm parum idonei Scripturarum interpretes hæretici sunt, qui non nisi ex affectu proprio eas exponunt. Petri in hoc Concilio prærogatiuam admodum luculentam ne vno quidem verbo attingunt, altissimè dissimulãt. Quod pro Iacobi authoritate facere videbatur, studiosissimè premunt. Atqui quum vtrumque diuina Scriptura luculenter posuerit, aut vtrumque explicandum fuit, aut neutrum. Sed oportuit illos in Scripturis examinandis, suis placitis stabiliendis, non sacræ veritati tradendæ, operam dare. Nunc igitur vtrumque nos, quale sit, paucis ostendemus. *Quum magna conquisitio fieret*, id est, post magnam altercationem, varijs varia sentientibus, &, vt Bullingerus hîc exponit, *vbi incaluisset disputatio, surgens Petrus dixit: Viri fratres*, &c. Vbi Græcus scholiastes rectissimè notat Petrum surrexisse, non Iacobum, aut alium quempiam, non solùm quia magis spiritu feruebat, sed etiam

Petrus Cõcilij Apostolici Præses.

καὶ ὡς τὴν πρόεδρίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος, vt qui præsidentiam Discipulorum adeptus esset. Et profectò (quod sapienter notauit Thomas VValdensis noster)

Doctrinal. fid. lib. 2. c. 4.

nisi Petrus hîc præsidens & primus fuisset, procax esset quòd in absolutione dissidij, & in definitione sententiæ, singulos præueniret.

Primu

Primus igitur tãquam totius Concilij Præses & Caput surgẽs loquitur, primus disputationem & altercationem abrumpit. Iam & id quod loquitur, quæstionis controuersæ definitio erat. Quærebatur an ad legales ceremonias obseruandas Gentiles Christiani obligari deberent, idque veluti ad salutem necessarias. Petrus vtrumque refellit. Prius, quia absque circumcisione aut alia legali obseruatione *Deus eos ad Euangelium vocasset*, idque *per os suum*; & ita vocasset, *vt* de facto *crederent:* Sed & huic eorum fidei non simulatæ, sed sincerę, *Deum, qui nouit corda, testimonium perhibuisse, dato* videlicet etiam cum visibilibus signis *Spiritu Sancto*, idque adeò, vt, *quo ad fidem purificantem* corda, *nihil discerneret Deus inter illos & ipsos* Apostolos. His verbis docuit, Gentiles sine circuncisione aut ceremonijs legalibus esse ex fide Christi iustificatos. Nunc necessitatem huiusmodi legalium ad salutem reprobat, non solùm quo ad Gentiles, sed etiam quo ad ipsos veteres Iudæos. *Quare*, inquit, *tentatis Deum*, id est, diuinæ gratiæ, fauori, dignationi repugnatis, *vt iugum* hoc ceremoniarum legalium hominibus iam credentibus & iustificatis *imponere velitis*; quando & ipsis *patribus nostris ac nobis* non aliquid salutiferum, sed durum tantummodo & *importabile iugum* fuerit, nobis veluti paruulis per modum pædagogiæ pro tempore seruitutis impositum?

Quæstionem controuersam Petrus definit.

positum? *sed per gratiam Christi credimus saluari, quemadmodum & illi:* id est, sicut ipsi patres nostri, non per illa legalia, sed per fidem & gratiam Christi crediderunt se saluos fore; sic & nos credimus. Hæc est propositæ quæstionis resolutio, non esse legalia ad salutem necessaria, vt isti iudaizantes volebant, sed per gratiam Christi omnes saluari, & per consequens Gentiles Christianos, gratia Christi accepta, his legalibus non indigere. Hac audita Petri sententia, *Tacuit omnis multitudo*, id est, omni amplius conquisitione cessante, *in sententia Petri* (ait B. Hieronymus) *Iacobus & omnes simul Presbyteri transierunt*. Quod autem Iacobus postea loquitur, nihil est aliud quàm sententiæ B. Petri quædam explicatio. Primùm enim ex prophetico testimonio vocationem Gentium, quam Petrus asseruerat, confirmat. Postea, quid sibi videtur Gentilibus Christianis ex parte imponendum, exponit. Quod sanè aliud quiddam erat à principali quæstione; & veluti moderatio aliqua eius sententiæ quã Petrus dixerat, qui omnem legalium necessitatem à Gentibus conuersis remouebat.

Epist. 11. inter epist Auguſt.

Iacobi interlocutio qualis & ob quẽ finem.

Iacobus ergo, siue vt suis Hierosolymitanis, quorum haud dubiè Episcopus erat, & à quibus hæc controuersia ortum accepit, aliquo modo sententiam attemperaret, siue vt Concilij decretum æquiori animo Iudæi acciperent, quod ab ipso Iacobo sciret profectum;

fectum; non veluti Iudex determinat, sed veluti coapostolus & coëpiscopus, quid ipsi videatur exponit. Totum postea Cõcilium rem determinat, & decretum promulgat, nec solus Petrus, nec solus Iacobus. Sed Petri definitionẽ de principali quæstione, Iacobi consiliũ de causæ moderatione, Concilium totum amplectitur. Nihil hoc aut Iacobo præ cæteris authoritatis tribuit, aut Petri supra cęteros authoritati derogat. Supremæ quippe in Concilio authoritatis est, primo loco sententiam dicere, disputationi finem imponere, propositam quæstionem definire. Hoc Petrum in Concilio Apostolico fecisse, ex his, quæ dicta sunt, patet. Quare meritò D. Hieronymus *totius huius decreti principem & primũ authorẽ Petrũ* vocat.

Sed quæ hîc Caluinus garrit, prætermittenda non sunt. *Episcopus*, inquit, *Hierosolymitanus fuerit Iacobus, nec ne, in medio relinquimus, neque ad rem magnopere facit, nisi quòd hîc clarè refellitur Papæ impudentia, quòd ex Iacobi potiùs quàm Petri authoritate Cõcilij decretum statuitur.* Vbi suprà. Atqui Caluini hæc inanis iactantia iam à nobis satis reuulsa est, planéque ostensum, principalem ipsam de fide quæstionem à Petro terminatam, decretum autem Concilij, & quod ad præsentem Ecclesiæ pacem conseruandam faciebat, à Iacobo quidem suggestum, sed à toto Concilio concluſum ac definitum fuisse. Nec in hac definitione

ſuprema aliqua præ cæteris authoritate Iacobus vtebatur, ſed quod ipſi videbatur in commune protulit. Quis dubitat in ſacris Concilijs quod vel à minimo interdũ Epiſcopo aut Doctore ſuggeritur, id poſtea à toto Concilio abſque aliquo maiorum præiudicio approbari atque decerni? An quia Paphnutij ſententiam in Concilio Niceno, *permittendum eſſe ſacerdotibus coniugum vſum quas ante ſacros ordines duxerant*, cæteri Patres ſequuti ſunt, ideo ex Paphnutij authoritate illud ferebatur, aut ſuprema aliqua authoritate Paphnutius propterea pollebat? Sed magis ridicula cauillatio eſt quæ ſequitur. *Et certè*, inquit, *Euſebius initio ſecundi libri Iacobum, quiſquis ille tandem fuerit, Apoſtolorum Epiſcopum vocare non dubitat. Eant nunc Romanenſes, & Papam ſuum vniuerſæ Eccleſiæ caput eſſe iactent, quia Petri ſucceſſor eſt; qui alterum ſibi præeſſe paſſus eſt, ſi Euſebio credimus.* Et quis tandem exiſtimaret tam emunctę naris hominem, tam accuratum, acutum, doctũ ſcriptorem, qualis à ſuis Caluinus prædicatur, tam craſsè velle delirare? Quum extet paſſim Græcè Euſebius, & verſio Latina Ruffini ſolo vitio typographico legerit *Apoſtolorum Epiſcopus*, pro eo quod Græcus Euſebius & verſiones recentes habent *Hieroſolymorum Epiſcopus*, reſque ipſa prima ſtatim facie abſurditatẽ ſuam prodat, quum Epiſcopus non perſonarum ſed loci ac diſtrictus alicuius

Caluini craſſa inſcitia in tyrone nõ ferenda.

alicuius Episcopus dici semper soleat; tamen Caluinus siue ex negligentia crassissima, siue pessimo suo stomacho indulgere volens, maluit aut crassæ inscitiæ aut affectatæ maleuolentiæ notari, quàm minimam quamlibet aduersus Papam debacchandi occasionem prætermittere. Atqui D. Iacobum non Apostolorum sed Hierosolymorum Episcopum ab ipso Petro Apostolo designatum & ordinatum fuisse affirmat D. Chrysostomus: *Si quis* (inquit) *à me percontaretur quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit, responderem ego, hunc totius orbis magistrum Petrum præposuisse.* A tribus autem Apostolis consecratum & initiatum eum fuisse, Petro, Ioanne, & altero Iacobo eius fratre, post Clementem Alexandrinũ scribit Eusebius, tum in Chronicis, tum in Historia Ecclesiastica. Idẽ quoque ante vtrunque annotauit Anacletus post Petrum tertius Romanus Pontifex.

Hom. 87. in Ioann.

Clem. lib. 6. hypotyposcon.

Histor. Eccles. l. 2 cap. 1.

Epist. 1. decret.

24. *Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.*

IN hoc decreto & literis istis Apostolicis multa necessariò obseruãda & explicanda sunt. Ac primùm hæc verba nos docent, Nouatores istos & pseudoapostolos duplici nomine ab Apostolis reprehendi: vno, quòd

Nouatores ab Apostolis duplici nomine reprehensi.

pacem Ecclesiæ turbarent, & fidelium animos in fide iam firmos ac stabilitos, veluti destructo ædificio bene constituto, penitus subuerterent ac dissiparent: altero, quòd absque mandato Apostolico ex suo solo cerebro talia attentarent. Naturam hæresis priùs docet, fontem & causam posteriùs ostendit. Natura, indoles, & proprium hæresis malum est, vt pacem Ecclesiæ turbet, animosque credentium euertat. Vtuntur Apostoli verbo aptissimo ἀνασκευάζοντες, quod hæretici interpretes vertũt, *labefactantes*, & ipse inprimis Beza. Sed verbum Apostolicum id propriè notat quod noster interpres habet, *euertentes*. Nam vt καταασκευάζειν est construere, ædificare, in vnum coaptare, quod proprium est veris Ecclesiæ Pastoribus datis *in ædificationem corporis Christi*; sic ἀνασκευάζειν est ædificium destruere, dissoluere, in varias partes disrumpere, quod hæreticis magistris proprium est. Vnde & Aristoteles in Topicis, argumentorum loca quæ ad rei confirmationem faciunt, vocat κατασκευάσικα, quę ad destructionem, ἀνασκευάσικα.

Hæresis indoles propria.

Ephes. 4. 12.

Hæresis fons & causa.

Causa & fons hæresis est, quòd ex proprio cerebro & sensu, *absque mandato*, missione, aut communi Ecclesiæ doctrina loquuntur. Ideo adiecerunt, *quibus non mandauimus*; & iterum, *quidam ex nobis exeuntes*. Exire enim de societate & communione Pastorũ Ecclesiæ, absque mandato aut commissione aliorum

aliorum Pastorum docendi officium sibi sumere, origo & fons omnium hæresum est.

27. *Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.*

ALterum hoc est in literis Apostolicis notandum, quòd mittunt suo decreto ad alias Ecclesias Iudam & Silam, *qui verbis referrent eadem*, id est, qui ipsum Apostolicum decretum tradant, & eius sententiam exponant; non qui Concilij decretum examinent, aut alijs examinandum relinquant. Scribit Martinus Chemnitius, vt suum examen quod de Concilij Tridentini decretis superbissimus Censor fecit, aliquo honesto fuco coloraret, ideo Iudam & Silã cum decretis Apostolicæ Synodi missos fuisse ad Ecclesiam Antiochenam, *vt dogmatum illorum rationes redderent, & verbo Dei confirmarent. Ita enim* (inquit) *Ecclesia certa reddi tur, se non hominum placita, sed ipsius Spiritus Sãcti iudicium amplecti & sequi.* Atqui mandati Apostolici, quod Iudas & Silas acceperunt, fines hi erant, *vt verbis referrent eadem*: quos fines illos excessisse, nec Lucas in sequentibus memorat, nec vllo modo credendum est. Ait quidem postea Lucas, Iudam & Silam, *quum Prophetæ essent, verbo plurimo consolatos esse fratres & confirmasse*; nempe fratres ipsos confirmauerunt, non ipsum Concilij decretum.

In Epist. dedic. 2. part. Exam. ad March. Brandeb.

Chemnitius Examinis sui arrogantiam frustra tuetur.

Fratres

Concilij Apostolici decretum ex se & per se validum & irrefragabile.

Fratres multo verbo consolati sunt, & pluribus fortè allatis argumentis in fide confirmarunt; sed ipsi decreto Apostolico nullas illi vires addiderunt; ab eo vel latum vnguem recedendi nullam libertatem acceperunt, qualem sibi arrogauit Chemnitius, singulos Concilij Tridentini Canones ad Scripturas prout ipsi placet ac videtur intellectas, id est, ad suum ipsius iudicium ac cerebrum, examinans; & ab eis omnibus, quoties & quãtum libebat, licentia Lutherana recedens. Deinde, Antiochena Ecclesia quomodo certior fieri potuisset, se non hominum placita sed Spiritus S. iudicium sequi per explicationem, examen, probationem, à Iuda & Sila prolatam, quàm per decretum & iudicium Apostolorũ ipsorum? An aliquid certius hi fratres adferre potuerunt, quàm Apostoli & Seniores Hierosolymis attulerunt? Denique aut Apostoli & Seniores iam ex verbo Dei suum decretum firmauerant, & ita certissima iam fuit reddita Ecclesia se non hominum placita sed Spiritus S. iudicium sequi, nec ampliùs res in examen vocanda erat; aut non ex verbo Dei decretum suum conceperant, & sic nec firmum illud esset iuxta horum temporum hæreticos, nec iam Apostolicum decretum, sed Iudæ ac Silæ facta ex verbo Dei explicatio, Antiochenam Ecclesiam in hac tam graui quæstione pacatam ac certam reddidit; &

dit; & quod in fide controuersum erat, definiuit; pessimeque Paulus postea & Barnabas, quum Ecclesias perambularent, *docebant eos seruare & custodire dogmata quæ erãt decreta ab Apostolis & Senioribus qui erãt Hierosolymis.* Tenendum igitur firmissimè, decretum Apostolorum & Seniorum quomodocumque emanatum, siue ex verbo Dei scripto, siue nõ, sic ad alias postea Ecclesias perlatum fuisse, siue per Iudam & Silam, siue per Paulum & Barnabam, siue per alios in Historia Apostolica non nominatos, vt nullus ampliùs de illo decreto disputandi, nullus examinandi locus relinqueretur; sed plenam & irrefragabilem in quæstione fidei controuersa definiendi ac determinandi potestatẽ penes Apostolos & Presbyteros fuisse. Eadem vis & authoritas omnium Conciliorum œcumenicorum decretis indubitanter tribuenda est. Act. 16.

28. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis.*

DVo obseruatione dignissima docet hic locus. Primùm, definitionem hanc Apostolicam nõ ex aliquo scripto Dei verbo, sed ex instinctu Spiritus S. promanasse: deinde, quanti habenda sit Ecclesiæ definientis authoritas. Petri sententia ac definitio de tota re controuersa, (vt de priori priùs agamus) ex scripto Dei verbo nihil protulit, sed partim ex ipsa diuinæ gratiæ operatio- Definitio Apostolica absque scripto Dei verbo facta.

operatione circa Gentiles, partim ex antiqua veteris Ecclesię fide, *quòd per gratiam Christi omnes crederent saluari*, conclusit, legale iugum ceruicibus Gentilium Christianorum non esse imponendum. Iacobus postea ex Scriptura prophetica testimonium protulit, non ad principalem quæstionem definiendam, nec etiam ad decreti formã; quam ipse proposuit, comprobandam, sed solummodo ad vocationem Gentium, quam pro suæ causæ fundamento Petrus posuerat, corroborandam: idque in Iudæorum suorum gratiam, quibus ista vocatio Gentium vix adhuc per omnia arridebat. Quare in ipsa sententiæ prolatione hac forma vtuntur: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Authorem decreti allegant Spiritum S. quem Christus illis promiserat, *vt eos omnem veritatem doceret*; & seipsos, quos idem *Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Christi*: & quibus meminerant dictum esse à Christo, *Qui vos audit, me audit.* De qua re postea plura. Tales sunt omnium Conciliorum in Ecclesia Catholica definitiones. Ex doctrina Spiritus Sancti, & ex legitima authoritate quam veluti Christum audire debemus, omnia concludunt. Sed de hac authoritate postea. Nunc illud aduertendum, concludere Apostolos non quidem sine verbo Dei, quia verbum, doctrina, suggestio Spiritus S. verbum Dei est. Vix etiam sine verbo Dei scripto, sed ita explicato & intellecto,

Ioan. 14.

Act. 20.

Luc. 10.

Decreti Apostolici author Spiritus Sanctus.

intellecto, sicut Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus Spiritus Sanctus suggessit, alia postea Cõcilia definiuerunt. Quorum iudicio nisi simpliciter acquiescimus, tot erunt in Ecclesia schismata, quot sunt astuta & inquieta hæreticorum capita; quorum quisq; vel prolatas Scripturas reijciet, aliasq; supponet, vel alium illis sensum affinget. Scribit in hunc locum Erasmus Sarcerius: *Ne Ecclesia putet Petrum suæ somnia attulisse, adijcit Iacobus Scripturam propheticam, quam cum verbis Petri conferre dicit. Adeò ergo res magna est, in Synodis præter verbum Dei cõtra hæreses nihil adducere, sed contra eas solo verbo pronunciare. Malè igitur sentiunt Antichristi membra, qui in Concilijs volunt pronunciare iuxta Patrum, Scholasticorum, & veterum Conciliorum decreta, neglecto verbo: quod quidam adeò reijciunt, vt negent sensum Scripturæ ex ipsa Scriptura, sed ex solis Patribus, Scholasticis, & veteribus Concilijs colligendum esse.* Erasmi Sarcerij glossa ridicula.

Huic toxico ea quæ iam diximus prõptum satis remedium attulerunt. Breuiter tamen ad singula respondebo. Non ideo Iacobus Scripturam propheticam attulit, *ne Petrus sua somnia attulisse videretur*, sed vt vocationẽ Gentium, quam Petrus non solùm affirmauit, sed & opere exercuerat, Iudæis in hac parte satis adhuc reluctantibus clariùs comprobaret. Neque ad alia à Petro dicta comprobanda, de pari ate vocationis, de purificatis fide cordibus Gentilium, de iugo legalium

legalium ceremoniarum importabili, de fide veterum omnium se per Christi gratiam saluos fieri, vllam Scripturam Iacobus protulit, ac per hoc in istis omnibus *sua somnia Petrus attulisse* videri poterat, si, ne tale quid putaretur, Scripturam propheticam protulit Iacobus, vt iste somniator Sarcerius narrat. Sanè Petri sententia audita, *tacuit omnis multitudo*; & ad alia sermone conuerso, eius sententiæ penitus acquieuit; nihil veritan sua somnia narrasset, neque vltrà expectans vt ex scripto verbo probaret ea quæ dixisset. Ex hoc ergo Iacobi facto ridiculè concludit Sarcerius, *præter verbum Dei scriptum nihil in Synodis contra hæreticos adduci oportere, aut ex solo verbo contra illos pronunciandum esse*. Pessimè & stolidè adiungit propter hoc Iacobi factum malè sentire Catholicos, quos *Antichristi membra* modestissimè vocat, qui in Concilijs volũt iuxta Patrum Scholasticorum & veterum Cõciliorum decreta pronũciari, neglecto verbo. Sic †enim omnes vetustissimi omnium hactenus Cõciliorum Patres Antichristi membra cẽseri debent, qui **Patrum vestigijs insistentes* (hac enim ipsa phrasi vtebantur) & à veterum Conciliorum decretis nec latum vnguem recedentes, ita semper de fide pronunciabant. Non quidem *neglecto verbo*, vt iste calũniator loquitur, sed ipsum Dei verbum intelligentes & exponere malentes iuxta maiorum suorum & veterum Patrum

Petrus iuxta Sarcerium sua somnia in multis protulit.

†Concilia vetera Patrum vestigijs rectè insistebant.

*Epist. Synodica Concilij Ephesini. Concil. Chalcedonens. Act. 5. & 6. Concil. gener. 6. Act. 10. Concil. gener. 7. Act. 2.

Patrum ac Conciliorum iudicia, quàm iuxta nouellas cuiuslibet noui magistri corruptelas. Quod postremò arrodit, negare nos sensum Scripturæ ex ipsa Scriptura petendum; & ex solis Patribus, Scholasticis, & veteribus Concilijs colligendum esse, nos affirmare; mera impostura est. Catholici sensum Scripturæ ex ipsa Scriptura studiosissimè colligũt, sed prout illas alias Scripturas veteres Patres, Scholastici, Concilia intellexerũt, nõ prout Nouatores illas deprauarũt. Neq; quæstio vlla est, an sensus Scripturę ex alia Scriptura colligi debeat; sed quæstio est, quibus colligentibus credere, & quorum collectioni stare debeamus, nouorũmne cuiusq; ætatis sectariorũ, an veterũ in Ecclesia Dei Patrũ, per quos Spiritus S. suam Ecclesiã prioribus seculis gubernauit. Sed callidè & improbè hæretici clamãt nos Scripturæ sensum ex Scriptura nolle colligere, quia iuxta ipsorũ nouellas corruptelas, venena, & toxica eũ non colligimus, sed iuxta veteris Ecclesiæ iudiciũ eũ colligere ex more omnium Ecclesiarum Christi studemus.

Controuersiarũ hodie status.

Alterum in his verbis obseruandum est, decretum hoc Apostolicum non ex solo instinctu Spiritus Sancti, sed ex authoritate Ecclesiastica promanasse. Sed contra hanc obseruationem, veluti sibi valde infensam, acriter disputat in hunc modum Caluinus: *An nõ dicere sufficiebat, Visum est Spiritui Sãcto?*

Ecclesiæ Pastores decreti Apostolici authores.

Cur addunt, & nobis? Responsio: In hoc nihil sibi seorsim attribuunt Apostoli & Presbyteri: sed perinde valet hæc locutio, ac si dicerent, sibi ducentis Præsidem fuisse Spiritum Sanctum, se jueo dictante statuisse quod scribunt. Cui & ego respondeo, Apostolos quidem ac Presbyteros *nihil sibi seorsim attribuere*, videlicet seiuncta omni Spiritus S. assistentia, seiuncta authoritate à Christo accepta, seiuncta functione quam in Ecclesia tenebant, veluti meros & vulgares homines; sed hac triplici consideratione adiuncta, suam ipsorum in definiendo authoritatem illo verbo *& nobis*, perspicuè expressisse. Quare falsum est, illa verba perinde valere, ac si dixissent *se Spiritu Sancto dictante statuisse quod scribunt*. Est, inquam, falsum, *perinde valere*, id est, non amplius valere. Illa enim locutio, *& nobis visum est*, non hoc solùm valet, se Spiritu S. dictante statuere quod scribunt, diuini Spiritus afflatu fultos (quod multis alijs commune esse potuit immediate à Deo & extra ordinem edoctis) sed hoc præterea valet se *tanquam Apostolos & Presbyteros* à Christo in authoritate docēdi positos, illud statuere quod scribūt. Ideo in titulo decreti posuerūt, *Apostoli & Seniores*. Est quidem illis promissus Spiritus S. vt eo dictante omnem veritatem doceant: sed sunt illi præterea cum authoritate docēdi in mundum missi.

Ioan. 17. Dixit tam sæpe Christus; *Sicut me misit [illegible] mundo*

mundum, & ego misi eos in mundum. Ite, docete omnes gentes. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui misit me. Quid? An Christus in illis verbis, *Qui me spernit, &c.* nihil sibi seorsim attribuit, sed hoc tantùm dicit, se Patre dictante omnia docuisse? An non præterea suæ personæ authoritatem luculenter prædicat? Quis de eo Christianus dubitabit? Ergo & Apostolis dicens, *Qui vos spernit, me spernit*, illorum quoque personalem authoritatem indubiè stabiliuit. Sanè: quia sicut ipse missus à Patre in mundum fuerat; sic vicissim Apostolos, Presbyteros, Pastores, Doctores ille in mũdum misit. Deinde quærendum à Caluino, an cuiuis fideli hoc liceat dicere circa decretum de fide, Visum est Spiritui S. & mihi. Si cuiuis hoc licet, quia nihil aliud sibi arrogat, quàm Spiritu S. dictante se statuere quod dicit; ergo, contra Apostolum, *omnes Prophetæ, omnes Doctores*, & Satanica in Ecclesiam anarchia inducitur. Si nõ cuiuis hoc licet, sed solis Apostolis ac Presbyteris, eorumque in Ecclesiâ Dei locum ac munus tenentibus, ita loqui ac definire fas est; ergo illa locutio multò plus valet, *quàm Spiritu sancto dictante se ita statuere*; & hoc præterea valet, se præter diuini Spiritus authoritatem sua quoque à Christo illis data docendi ac definiendi potestate hac in re vti. Impia igitur ac fanatica Caluini glossa est, qui,

Matth. 28

Luc 10.

Pastorum Ecclesiæ personalis authoritas.

1. Cor. 12.

vt à tota veritate lectorem abducat, vnam eius partem speciosè obtendit.

Pergamus nunc cum Caluino; & quo modo hoc suum effugium probet, videamus. *Hæc enim*, inquit, *loquendi ratio satis vsitata est Scripturæ, vt post expressum Dei nomen, ministros quoque secundo loco subijciat.* Respondeo verum hoc esse eo sensu quo diximus, vtrunque veritas teneatur, non vna modò parte cum iniuria alterius astruatur. Sed exemplum rem confirmare contendit. *Quum dicitur* (inquit) *populus credidisse Deo, ac Moysi seruo eius, non laceratur fides, vt partim Deo partim homini mortali se addicat.* Speciosa sed stulta oratio. An laceratur Dei gloria quum partim Deo partim Angelis eius impenditur? Atqui Caluinus ipse contrarium docebit. *Nam æquũ est*, inquit, *sine honore præteriri ea instrumenta* (Angelos dicit) *quibus numinis sui præsentiam specialiter Deus exhibet. Quin etiam ob id non semel in Scripturis dij nuncupantur, quòd in suo ministerio velut in speculo diuinitatem aliquam ex se nobis repræsentãt.* Rursum, an laceratur fides dum eius augmentum & confirmatio partim diuini Spiritus operationi partim Sacramentis tribuitur? Atqui Caluinus ipse contrarium docebit. *Sic* (inquit) *inter Spiritum Sacramentaque partior, vt penes illum agendi vis tus resideat, his ministerium dumtaxat relinquam idque sine Spiritus actione inane ac frivolum illo vbique intus agente, vimque suam exerente, multa ea*

Fides Deo & Ecclesiæ data non laceratur.

Instit. l. 1. cap. 14. num. 5. Caluinus ex seipso refutatur.

Instit. lib. 4. cap. 14. num. 9

giæ refertum. Adhuc semel, an laceratur Dei virtus & operatio quando partim ille, partim creaturæ, eosdem effectus ad hominum necessarios vsus producunt? Atqui Caluinus ipse contrarium docebit. *Deus* (inquit) *mediis ac instrumentis, quæ expedire ipse prospicit, vtitur, vt eius gloriæ omnia obsequantur. Sic per panem cæteraque alimenta corpora nostra pascit, per solem mundum illuminat, per ignē calefacit, nec tamen aut panis aut ignis aut sol aliquid sunt, nisi quatenus sub ijs instrumētis benedictiones suas nobis dispensat.* Ad eundem omnino modum non laceratur fides, sed acquiritur & conseruatur fides, quum creditur *Deo, & Moysi seruo eius*. Nec hîc partim Deo, partim homini mortali, fides addicitur: sed tota fides Deo vt eius authori ac largitori, causæque principali, & eadem tota *seruo eius Moysi*, nō homini mortali (vt odiosè loquitur Caluinus) quasi eo respectu, & quatenus mortali, fides adhiberetur, sed quatenus seruo Dei fides addicitur. Sic totum hoc decretum Spiritui S. & totum Apostolis definientibus attribuitur. *Fides est donum Dei*, ait Paulus; vtique tota, non ex parte. Rursum, *Fides est ex auditu*, scil. prædicantium eorum qui legitimè mittuntur; vtique tota, non ex parte. Obseruare hîc debuit Caluinus regulam subalternorum, quam toties alibi, & in exemplis quæ ex ipso protulimus, quando ei non commodum erat, diligenter obseruauit. Nempe in cau-

Ibidē nū. 12.

Ephes. 2.

Rom. 10.

sis subalternis totus effectus singulis tribuitur, sed alio atque alio modo. Hoc non est fidem aut alios diuinæ operationis effectus mediantibus creaturis lacerare, sed est ordinem à Deo constitutum, eiusque bonitatem & prouidentiam erga nos, grataner amplecti, laudare, & admirari. Sed vide an non hoc ipsum tortuosus iste serpens huc & illuc in omnem partem se versans fateatur. Subiungit enim: *Quid ergo? Nempe quum populus Deum haberet vnicũ fidei suæ authorẽ, ministro eius fidem adhibuit.* Vide nunc. Si ministro Dei fidem adhibuit populus, ergo non soli Deo. Neque enim minister ille Moyses Deus fuit. Si non soli Deo fidem adhibuit, ergo nec Deum vnicum authorem fidei habebat. Cui enim fidem loquẽti ac docenti adhibemus, ille fidei nostræ aliquis author est. An hîc laceratur fides, quando non soli Deo, sed & eius quoque ministro adhibetur? Docuit ergo Caluinus quod prius repudiauit. Illud quoque commentũ, quod priùs obtrusit, euanuit, *dicere Apostolos, Visum est Spiritui S. & nobis, quia Spiritu S. dictante statuerunt quod scribunt.* Nunc enim alius quoque sensus orthodoxus ab ipso Caluino agnoscitur; huius decreti sic Spiritum S. esse authorem, vt Apostolis quoque Dei ministris fides adhibeatur. Hanc quippe de Moyse sententiam veluti similem Scripturæ locutionem protulit. Et vide quàm acriter hoc ipsum

Caluinus pugnãtia docet.

Caluinus semetipsum refutauit.

ipsum prosequatur, non iam contra Catholicos sed cõtra suos Libertinos hunc locum premens. *Quo etiam* (inquit) *refellitur eorum improbitas, qui fidem plenis buccis iactantes, Ecclesiæ ministerium impiè non minùs quàm superbè contemnunt. Nam vt sacrilega esset partitio, si fides vel in minimo articulo separatim ab homine penderet, sic ludibrio Deum palàm habent, qui præteritis ministris, per quos loquitur, illum se magistrum recipere simulant.* Pulchrè admodum & orthodoxè. Quid ergo in Catholicis desiderat, quid reprehendit Caluinus? *Insulsi verò* (inquit) *Papistæ, qui ex his verbis probare volunt penes Ecclesiam residere aliquid authoritatis. Imò secum ipsi pugnant. Quo enim prætextu errare Ecclesiam non posse contendunt, nisi quia immediatè à Spiritu S. regitur? Ideo clamosè iactant Spiritus esse oracula, quæ nos eorum figmentum esse coarguimus. Stultè ergo vrgent particulam hanc, Visum est nobis: quia si quicquam censuerint Apostoli seorsim à Spiritu, concidet primum illud axioma, Nihil à Conciliis decerni præter Spiritus dictata.* Hæc de his verbis hactenus Caluinus. Planè hoc in loco lupum auribus tenuit. Libertinos reprehendit, *qui Ecclesiæ ministerium impiè ac superbè cõtemnunt, & præteritis ministris, per quos Deus loquitur, illum se magistrum recipere simulant, quos ideo Deum ludibrio palàm habere* affirmat. Catholicos reprehẽdit, qui ex hoc loco probare volunt *penes Ecclesiam residere aliquid authoritatis.* Atqui quid est negare penes Ecclesiam

Ecclesiæ ministerium à Caluino defensum

Idẽ mox ab eo reijcitur.

Caluinus lupum auribus tenuit.

aliquid residere authoritatis, quàm *Ecclesia ministerium impiè & superbè contemnere?* Si enim nulla penes Ecclesiam residet authoritas, nec impiè nec superbè eius ministerium cõtemnitur, sed piè & salubriter deseritur, vt solum Deum eiusque Spiritũ magistrum recipiamus. Si nulla penes Reges ac Magistratus in rebus ciuilibus residet authoritas, nec superbè nec impiè eorum contemnitur ministerium. *Ministri enim Dei* & illi sunt, vt Apostolus loquitur. Rursum, *si nulla penes Ecclesiam residet authoritas*, ergo, *eius ministri præteriris, solum Deum magistrum recipere, non est Deum ludibrio palàm habere*, sed erit Deo, qui illi soli debetur, honorem deferre. Insulsè igitur & frustra Caluinus illud in Catholicis damnat, quod contra Libertinos acriter sustinet.

Caluini flexuosa garrulitas retunditur.

Rom. 13.

Sed malè habuit Caluinum illud à Libertinis pati, quod ab ipso passa est Ecclesia. Grauiter tulit suum ac suorum ministerium à Libertinis & Anabaptistis præteriri; sicut ille, totius Ecclesiæ præteritis Pastoribus ac Magistris, se Deum Magistrũ recipere, se Dei Spiritum habere, vendit auit. Sic igitur veram Ecclesiæ apud Catholicos authoritatem deprimere voluit, vt sui tamen ministerij contra Libertinos authoritatem tueretur. Sed frustra & inaniter luctatus est. Nam hæc verba, *Visum est Spiritui S. & nobis*, aut aliquam in Apostolis, Presbyteris, alijs-

Caluinus cur hoc loco ita lubricus, varius, ac flexuosus fuit.

alijsq; Ecclesiæ Ministris authoritatem residere probant, & Catholicos hoc asserentes *insulsè agere* dicere non debuit; aut non probant, & ex hoc loco *eorum improbitatem refelli, qui Ecclesiæ ministerium impiè & superbè contemnunt*, affirmare non oportuit.

Attamen insulsè agere Catholicos probare vult, quia hoc dicentes *secum ipsi apertè pugnant*. Qui sic? *Quia* (inquit) *si quicquam censuerunt Apostoli seorsim à Spiritu, concidet illud axioma, Nihil à Concilijs decerni præter Spiritus dictata*. Verum quidem istud est. Sed sicut Apostolos, tanta & tam frequenti perpetuæ diuini Spiritus assistentiæ promissione à Christo accepta, *seorsim à Spiritu aliquid decernere* impossibile credimus, &, nisi Deũ mendacem facere velimus, credere debemus; sic omnino Ecclesiæ Catholicæ Pastores in Concilio collectos aliquid seorsim à Spiritu decernere posse, propter eandem promissiones *vsque ad consummationem seculi* acceptas, credimus, & credere debemus, nisi Deum mendacem facere, ordinem à Christo positum funditus euertere, & totam Christianam religionem ad Academicam incertitudinẽ, imò ad meram λογομαχιαν & altercationem inextricabilẽ adducere velimus. Quòd verò Ecclesia Spiritu S. dictante se omnia docere affirmat, Christi promissionibus (quæ fallere non possunt) innixa, adeò cum seipsa non pugnat, vt hoc maximè modo

Matt. vlt.

Spiritus S. assistentia Ecclesiæ cõiuncta, Ecclesiæ authoritatẽ non minuit, sed roborat.

do summè consentanea loquatur. Idcirco enim suam authoritatem iure optimo allegat, *Visum est Spiritui S. & nobis*, quia à Spiritu S. diuulsa non est. Non ideo minor, imò ideo maior, certior, & excellentior Ecclesiæ, Regum, Iudicum, omnium denique Dei in quouis genere ministrorum authoritas est, quia *ex Deo Ecclesia loquitur, per Deum Reges regnãt, & Iudices iusta decernũt*. Insulsè igitur & impiè Caluinus, propter Spiritus Sancti ductum & magisteriũ, Ecclesiæ ministros, suã in suo genere authoritatẽ tuẽtes, secum ipsos pugnare affirmat. *At* (inquit Caluinus) *clamosè iactant Spiritus esse oracula, quæ nos eorum figmenta esse coarguimus*. Hæc est altercatio inextricabilis ad quam hæretici Christianam religionem summa impietate adducunt. Ecclesiæ non est credendum quasi ex Dei Spiritu loquenti, quia illi Lutherus, Caluinus, & alij noui, priuati, turbulẽti homines, Ecclesiæ decreta, hominum esse figmenta coarguunt. Atqui cuiuscumq; hæretici placita, *quæ ille clamosè iactabit Spiritus esse oracula*, non solùm Catholica Dei Ecclesia, sed & quælibet alia secta illi aduersa hominum esse figmẽta coarguet. Sic Lutherum clamantem, *Scio me mea dogmata habere de cælo*, coarguit Cinglius, Caluinus, & tota Sacramentariorum secta, quòd suum figmentum de Christo companato stolidissimè docuerit. Vicissim Caluinum de sensu verborũ Cænæ clamo-

Prouer. 8. 15.

Hæretici religionẽ Christ. ad altercationes inextricabiles adducũt.

In lib. contra Regem Angliæ.

clamosè iactantem *se sensum amplecti quem Spiritus Dei illi suggesſit, quo fretus deſpicit ex alto quicquid terrenæ ſapiẽtiæ cõtrà opponitur*, pro hæretico condemnãt & anathematizant Lutherani. Vtramque ſectam execrantur Anabaptiſtæ, quia tam Caluiniſtarum quàm Lutheranorũ figmẽta eſſe coarguunt, quæ illi clamosè iactant Spiritus Dei eſſe oracula. Denique & hoc Apoſtolicum decretum, de quo Apoſtoli dixerunt; *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, Cerinthiani, Ebionitæ, & Nazarẽorum ſecta, omneſque illi iudaizantes, contra quos in epiſtola ad Galatas tam acriter Paulus diſputat, hominum fuiſſe figmentum, legi diuinæ per Moyſen promulgatæ aduerſum, clamosè & impiè coarguebant. Cæterùm ſicuti *vnus Deus eſt, vna fides, vnum baptiſma, & vna Eccleſia, vnum Chriſti corpus, vna columba, vna ſponſa*, ſic huius vnius Eccleſiæ Paſtores, Presbyteri, Doctores Spiritum Dei infallibiliter habent. Nec contra horum decreta coarguendum, ſed cognita ſemel vera Dei Eccleſia, eiuſque legitimis Paſtoribus, illorum decretis veluti diuinis oraculis acquieſcẽdum. Ita firmam & inuictã Eccleſiaſticæ authoritatis demõſtrationem hæc verba tradiderunt, *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*. Sed quis illa verba loquatur, & à quo talia proferantur, ante omnia & inprimis ſpectandum eſt. Si non niſi Caluino ac ſuis talia verba conueniunt, iam his

Inſtitut. in lib. 4. cap. 17. n. 25.

Epheſ. 4.

Cant. 1.

1600. penè annis sine Ecclesia Christus fuit? nec hodie, nisi apud solos Caluinistas, Ecclesiam Christus habet. Quod vbi dederimus, ne alia adhuc noua secta, adeoque Mahometismus ipse, idem à nobis extorqueat, meritò & vehementer metuendum est.

28. *Nihil vltrà vobis oneris imponere, quàm hæc necessaria.*

SOnant adhuc clariùs hæc verba legitimam & certam Apostolici decreti authoritatem, cui à fidelibus necessariò obediendum fuit. *Onus* vocãt ratione præcepti, sed certè onus leue ratione charitatis, qua paratæ erant cæteræ Ecclesiæ Apostolis obedire: vt earum exemplo parati sunt semper boni fideles Apostolorum successoribus, Episcopis, maximè in Cõcilio generali collectis, obedire. *Necessaria* quoque ista vocãt, non quia ex sua natura & necessitate finis eorum obseruatio necessaria erat, (sola excepta fornicatione) sed quia quatenus ad tempus præcepta, & causa præcepti vigẽte, necessariò necessitate præcepti obseruanda à fidelibus erant. Quo exemplo manifestè docetur, posse Ecclesiam leges temporarias ad certum vtilem finẽ, puta pacis Ecclesiasticæ seruandæ causa, vt hîc in suffocato & sanguine prohibendo; vel vitandi scandali causa, vt hîc abstinentiam ab idolothytis præci-

Leges Ecclesiasticæ fideles obligant.

præcipiendo, fidelibus imponere per modum præcepti, quod illos in conscientia & coram Deo ad debitam obedientiam obstringat. Quod obedientiæ vinculum ita intellexit Augustinus, vt scripserit satius esse *fame mori, quàm idolothytis vesci*; Cõcilij* verò Aurelianẽsis 2. Patres *excõmunicari eos iubeant qui suffocato vescuntur*; ac demum Tertullianus Christianos sui temporis quæuis potiùs tormenta, ipsamque adeò mortem subire paratos scribat, quàm hoc præceptum Apostolicũ de abstinẽdo à sanguine & suffocato transgredi. *Erubescat* (inquit) *error vester, qui humanis carnibus vescimini, hominibus Christianis: qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus; qui propterea quoque suffocato & morticinis abstinemus, ne quoquo modo sanguine cõtaminemur, vel intra viscera sepulto. Deniq; inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admouetis; certissimi scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Quale igitur est, vt quos sanguinem pecoris horrere cõfiditis, humano inhiare credatis?* Hæc ille. Eiusdem obseruantiæ accuratissimæ meminit Felix Minutius in Octauio. Sed & (vt notat in hunc Tertulliani locum B. Rhenanus) non ita diu est quòd Christiani suffocato sanguine vescimur. Sanè Theodorus, Beda, & Rabanus in suis Pœnitẽtiarijs, & quotquot supra 400. annos hac de re scripserunt, certum pœnitẽtiæ tempus præscribunt, si quis Aposto-

Decreti Apostolici stricta obseruatio.

De bono coniugali cap. 16. *Can. 20.

Apolog. cap. 9.

Apostolicam hanc legem fuerit præuaricatus. Pacianus, antiquus Theologus, de abstinendo à suffocato & sanguine ita scribit: *Despectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legauit.* Apud Eusebium Blandina martyr hæc ad Gentiles loquitur: *Multum erratis, ô viri, quòd putetis infantum carnibus vesci, qui ne mutorum quidē animalium sanguine vtuntur.* Hæc illa.

De Pœnitent. & confess.

Hist. Eccles. lib. 5. cap. 1.

Verùm hîc iterū obsistit Caluinus; & ne hic locus pro Ecclesiasticarum legum obseruantia quicquam faciat, studiosè satagit. Ad illa Cōcilij verba, *Quàm hæc necessaria*, ita garrit: *Huius vocis prætextu superbè triumphant Papistæ, quasi hominibus liceat ferre leges quæ necessitatem conscientijs imponant. Sub pœna* (inquiunt) *peccati mortalis seruandum est quicquid mandat ac præcipit Ecclesia: quia quod decernunt Apostoli, necessariò seruādū pronunciant.* Respōdeo: Non Papistæ tantùm, quorū nomine modernos Christianos Caluinus notat, sed & vetustissimi Christiani, idq; per aliquot secula, vt iam ostensum est, decretū hoc Apostolicum sic intellexerunt, vt necessariò illud sibi seruandum esse iudicarent; siue ex illo verbo, *Quàm hæc necessaria*, siue ex verbo *oneris quod se imponere dicunt*, siue ex ipsa præcepti causa & consideratione, siue denique quia sic Apostoli præceperunt. Vnde etiam rectissimè colligitur, quicquid Ecclesia præcipit ac mādat, seruandum esse, quando potesta-

restatem gubernandi & dirigendi Ecclesiam in his quæ sunt ad Deum, non solùm Apostolis, sed & ipsorum perpetuis futuris successoribus datam fuisse dubitari non debeat. Nec tamen semper sub pœna peccati mortalis, sed pro ratione eius quod præcipitur, & iuxta præcipientis Ecclesiæ intentionem. Hæc sanè est ex hoc loco Catholicorum sana & orthodoxa deductio. Quid ad hæc Caluinus? *Atqui* (inquit) *expedita est tam futilis cauilli solutio.* Aduerte Lector, an tanto dignum promissor hiatu quid ferat. *Neque enim* (inquit) *vltrà viguit hæc necessitas, quàm periculum erat scindendæ vnitatis.* Sit ita quoad suffocatum & sanguinem in cibum prohibita. Istorum enim prohibitio ad compaginandum vtrumque populum, Iudæorũ & Gẽtium, quibusdam videtur ab Apostolis esse facta. *Elegisse mihi videntur Apostoli* (ait Augustinus) *pro tempore rem facilem, & nequaquam obseruantibus oneroſam, in qua cum Israelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem, duos inter se parietes condentem, aliquid communiter obseruarent.* Alij alias causas eiusdem præcepti adferunt, vt ab humano sanguine fundendo magis Christiani abhorrerent, vnde & Cyprianus legit, *A sanguinis effusione*; vel quia suffocato cum sanguine carnes dæmonibus offerri solebant, vt notat Origenes. Sed manendo in causa ab Augustino designata, demus Caluino non vltrà viguisse hanc necessi-

Contra Faustum lib. 32. cap. 13.

Ad Quirinũ lib. 3.

Contra Celsum lib. 8.

necessitatē, quàm periculum erat scindendæ vnitatis. Quid ex eo porrò inferat videamus. *Ita* (inquit) *propriè loquendo accidentalis fuit ista necessitas, vel extrinseca; quæ scilicet non in re, sed tantùm in cauendo offendiculo sita erat: quod ex decreto statim abrogato clariùs patet.* Breuiter respondeo: Condendæ huius legis & ferendi præcepti ab Apostolis necessitas sanè accidentalis & extrinseca fuit, sicut & de abstinēdo ab idolothytis, videlicet vel conseruandæ meliùs pacis & vnitatis inter Iudæos ac Gentiles, vel ob vitandum scandalum; sed obseruandi necessitas, stante præcepti causa, prorsus necessaria erat. Ita contra necessitatem obseruandi Ecclesiæ præcepta iuxta Ecclesiæ intentionem & finem, nihil prorsus Caluinus disputat. Quod subiungit, *legem de non comedendis idolothytis à Paulo refixam esse simulac cessauit tumultus ac seditio*, 1. Cor. 8. & 10. primùm in illo solo præcepto locum habet, non in suffocato & sanguine, quorum abstinētia per multas Christiani orbis partes multis adhuc seculis durauit: deinde nec de hoc præcepto simpliciter verum est. Non enim Paulus idolothytorum comestionem passim permittit aut probat, quasi præceptum Apostolorum rescindens, (vt fingit ac mentitur Caluinus) sed partim docet ex natura rei idolothyta nihil differre à communibus cibis, partim circa illorū comestionem à scandalo cauendum

Legum Eccles. obligationem iuxta Eccl. intentionem infirmare Cal. non potuit.

Apostol. decretum circa idolothyta Paulus nō rescidit.

dum esse, siue infirmorum Christianorum, qui ab illis simpliciter abstinendum esse iudicabant; siue à Gentilium, qui Christianos illa comedentes suis sacris communicare existimabant. Denique contra sciolos illos, qui ex sua scientia idolothytis promiscuè vtebantur, disputat; illorum vsum promiscuum contra hoc Apostolicum præceptum non probat: vt eo in loco vberiùs à nobis, vita comite, explicabitur. Ita nec hîc aliquid attulit Caluinus quod expeditæ solutionis vel minimã speciem habeat. Concludit tandem: *Quare ex hac voce inanem prætextum captant ad ligandas conscientias, quum necessitas de qua nunc agitur, non nisi ad homines respectum habuerit in externo vsu, ne scandalum inde nasceretur, coram Deo autem intacta cõstaret libertas.* Iterum respondeo, necessitatem huius decreti Apostolici quoad idolothyta, qua parte ab illis ferebatur, non nisi ad homines respectũ habuisse in externo vsu, ne scandalum inde nasceretur: sicut aliud præceptum de suffocato & sanguine non nisi ad pacem inter Iudæos ac Gentes fouẽdam respectum habuit, qua parte ab Apostolis ferebatur. Cæterũ qua parte hæc duplex abstinentia, stante causa legis circa vtramque latæ, à Christianis obseruanda erat, illa lex conscientias ligabat; nec absque peccato coram Deo & conscientiæ lesione illam abstinentiam violare, stantibus (vt dixi) præcepti

cauſis, Chriſtiani poterant: quod veterum Chriſtianorum exemplis probatum dedimus, & Paulus & Barnabas manifeſtè comprobarunt, tradendo Eccleſijs quas peragrabant, *vt cuſtodirent dogmata quæ erant ab Apoſtolis & ſenioribus Hieroſolymis decreta.* Act. 16. Ita Caluinus non expeditam aliquam protulit futilis cauilli ſolutionem, ſed cõtra firmum ac validum argumentum futiliter cauillatus eſt.

29. *Vt abſtineatis vos ab immolatitijs ſimulachrorum, & à ſuffocato & ſanguine.*

QVum aduerteret hoc loco Caluinus ferri ab Apoſtolis legem, dariqué præceptum quod in nulla Scriptura veteri, aut in ipſa Euangelica Chriſti doctrina expreſſum erat; ne iſtud exemplum Eccleſiaſtica authoritati varias extra ſcriptum Dei verbum leges ferenti & præcepta promulganti (quam è terris ſublatam omnes rebelles hæretici cupiunt) aliquo modo faueret, diligenter ſibi occurrendum putauit. Sibimet igitur quod res erat obijciens, exempli & argumenti vim totis viribus amoliri conatur. *Obijciunt* (inquit) *Papiſtæ, Apoſtolos vetuiſſe Gentibus quod Dei verbo vetitum nõ erat, & inde conficere nituntur datam eſſe Eccleſiæ poteſtatem quicquam præter Dei verbum ſtatuendi.* Agnoſco ab hoſte veritatis explicandæ magis veritatis anſam ſubminiſtratã; & aio certum ac manifeſtum

nifestum esse, partem hanc decreti Apostolici, qua Gentibus ad Christum cõuersis abstinẽtiam ab idolothytis, à suffocato & sanguine præscribunt, mãdatum ac præceptum esse nullo Dei verbo expressum, scripto videlicet, quod nostris hæreticis vnicum est Dei verbum: indéque certa cõsequentia infero, datam esse Ecclesiæ potestatẽ qua aliquid citrà scriptum Dei verbum Christi fidelibus tradere & statuere possit. Quid nũc ad hanc obiectionem à seipso motam, aut cõtra hanc tam manifestam veritatem Caluinus? *Nos verò* (inquit) *negamus, Apostolos quicquam ad verbũ Dei addidisse.* Ad scriptum Dei verbum aliquid addidisse & nos negamus, neque illud hoc loco controuertitur. Sed extra scriptum Dei verbũ aliquid præcepisse affirmamus: & hoc est quod sibi quasi à Catholicis affirmatũ obiecit Caluinus. Aduersus hanc affirmationem orthodoxam quid disputat? Videamus quæcumque sequuntur. *Quod* (inquit) *minimè obscurum erit, si modò ad eorum consilium attendere libeat.* Quî sic? *Nuper* (inquit) *diximus nihil minùs illis in animo fuisse, quàm perpetuam figere legem, qua obstrictos haberent fideles.* Atqui satis erat temporariam fixisse legem, qua obstrictos ad tempus haberent fideles, qualem ab illis fixam fuisse nuper probauimus. Et lex Ecclesiæ temporaria obligans ad tempus fidelium cõscientias, quæ in verbo Dei scripto non habetur,

Ecclesia potest aliqua præcipere extra Scripturas.

luculentum argumẽtum est, datam esse Ecclesiæ potestatem aliquid extra verbum Dei scriptum statuendi. An non vides, Lector, aliud sibi Caluinũ obijcere, & ad aliud respõdere? Hæc eius nõ rara vafricies & astutia est; qua tamen simplicibus aut potiùs fatui volentibus facilè imponit. Sed sequentia videamus. *Quid igitur?* inquit. *Nempe quod fouendæ inter Ecclesias fraternæ pacis & concordiæ aptum erat remedium adhibent, vt se ad tempus accommodent Genti Iudæis.* Cæterùm vtcumque hoc aptum remediũ esset, an absque Apostolica authoritate illud ipsum decernere cæteri fideles illud aduertissent aut amplexi fuissent? Neutrum certè. Sed hoc remedium Spiritus S. Apostolis suggessit, ipsiq; Apostoli à Spiritu S. suggestũ fidelibus præceperũt. Hîc Caluinus, relicto Spiritus S. & Apostolorũ præcepto, de charitate multa deprædicat, planè extra chorum saltitãs. Sic enim prosequitur: *Atqui si aliud quicquam, hoc certe verbo Dei esse fatebimur, vt in rebus medijs doceatur in nobis charitas: hoc est, vt earum rerum, quæ per se liberæ sunt, externus vsus ad charitatis regulam flectatur. In summa, si charitas est perfectionis vinculum, & finis legis; si Dei mãdatum est vt omnes tuæ vnitati studeãt fideles, & quisque proximi ædificationem spectet; nemo tam rudis est qui in verbo contineri non perspiciat, quod hîc præcipiunt Apostoli.* Sed tota hæc charitatis laus nihil rhombũ, nihil ad rem in quæstione posita

Caluini ars, aliud sibi obijcere & ad aliud respondere.

Coloss. 3. 14. 1. Tim. 1. 5. Rom. 15. 2.

Clarus

Clarũ est, Apostolorũ hæc præcepta fouendæ charitati instituta fuisse, ideoque optima ratione ab illis prescripta. Sed hic modus, & hæc via, hæc determinata ratio fouẽdæ charitatis, per illam certam & præscriptam abstinentiã à certis legalibus, nec pluribus nec paucioribus, in verbo Dei nõ est cõprehensa, extra verbum Dei scriptum ab Apostolis est mandata; sine verbo Dei scripto fideles obligabat: atq; ita ad obiectionẽ propositã, quòd datur Ecclesiæ potestas aliquid præter verbum Dei statuendi, tota ista declamatio nec pilum facit. Deinde, vtcumq; definitio ipsa Apostolica maximè ad charitatem ædificet; nisi tamen authoritatem illa definitio haberet, sine vllo peccato certum illud charitatis opus permitti posset; quia modus charitatis, quoad externos actus, sub præcepto diuino non cadit, sed ad vnam & eandem charitatem ædificandam, fouendam, augendam, varia & diuersa media liberè assumi possunt. Huic igitur decreto Apostolico, non quia charitati ædificandæ subseruiebat, sed quia ab Apostolica authoritate dimanauit, Christiani fideles necessariò obtemperabãt. Nec penitus, quod hîc dicimus, ignorauit Caluinus. Addit enim, *Tantùm suo tempori accõmodant vniuersalem regulam.* Rectissimè. Nam hæc ipsa accommodatio extra verbum Dei erat, Apostolorum propria, & quæ propriè fideles obligabat. Vt

Modus determinatus fouẽdæ charitatis ab Ecclesiæ præcepto.

quid ergo contra agnitam veritatem, aliena declamatione obiecta, tam multa garriuit Caluinus?

Videamus cõsequentia. *Succurrat* (inquit) *præterea quod priùs attigimus, politicam fuisse legem, quæ nullum conscientijs laqueum injceret, nullum induceret fictitium Dei cultum; quæ duo vitia in humanis traditionibus Scriptura passim damnat.* Respondeo: Succurrat lectori quod supra contra Caluinum ostendimus, sic politicam hanc fuisse legem, vt tamen veluti *onus imponeretur*, idque ad tempus *necessarium*, vt Apostoli loquuntur; tametsi nec laqueum conscientijs injiciebat, quia inuitos non premebat; nec fictitium Dei cultum induxit, quia alius erat huius decreti finis, vt ibi latiùs dictum est. Hoc igitur adhuc obiectioni a Caluino positæ succurrere nõ potest. Concludit tãdem: *Teneamus ergo, Apostolos ex verbi Dei finibus minimè egredi, dum externam pro temporis ratione legem statuunt, qua Ecclesias inter se conciliant.* Concludo & ego: Teneamus firmissimè, Apostolos sic externam legem pro temporis ratione ad conciliandas inter se Ecclesias statuisse, vt illam legem non iuxta aliquod verbum Dei scriptum, sed (quod ipsi apertissimè profitentur) iuxta Spiritus Sancti suggestionẽ tulerint, ideoq; ex scripti verbi finibus sine vllo vitio aut periculo egressos fuisse.

30. Con-

30. *Congregata multitudine tradiderunt epistolam.*

QVod seditiosis ac factiosis in Repub. nebulonibus proprium est, vt populariter in omnibus se gerant, popularis libertatis studiosos agant, de Principum ac Magistratuum tyrannide clamosè vociferentur; idem nouis quibusq; hæreticis ac sectarijs, ab Ecclesiæ vnitate recedẽtibus, proprium est. Quorum hîc indolem & ingenium exactè referre, ac viuum in se ipso ipecimẽ dare volens Caluinus, ad hæc B. Lucæ verba *de congregata multitudine ad epistolam Apostolicam audiendam*, hunc in modum pro libertate populari declamat. *Hæc fuit* (inquit) *legitima agendi ratio, vt totam plebem ad audiendam epistolæ lectionem admitterent. Nam si quid controuersiæ acciderit in fidei doctrina, iudicium quidem doctis & peritis & in Scriptura exercitatis deferri æquum est. Quia tamen omnium pariter interest, quid tenendum sit certò cognoscere, cum tota Ecclesia fraternè communicare debent ipsi Doctores, quid ex verbo Dei statuerint.* Sed quid? An hæc communicatio toti Ecclesiæ facta, penes ipsam totam Ecclesiam captæ conclusionis iudicium ponit, vt populo fideli integrum adhuc sit de tota causa cognoscere, & an Doctores Ecclesiæ ex verbo Dei rectè statuerint, suo quoque iudicio examinare, ac deniq; pro sua libertate liberè vel acceptare

Hæretici populares ac factiosi.

Iudicium de fide nõ nisi doctis & in Scriptura exercitatis deferẽdũ.

vel repudiare? Si hoc intelligit Caluinus, prioribus suis verbis apertè cõtradicit, quibus aiebat, *doctis & Scripturarum peritis iudicium rei controuersæ deferendum esse*; & præterea D. Lucæ verba contaminat, quæ id solùm docent, multitudini fidelium prælectũ esse decretum Apostolicum, vt illi morem gererent, seseque vt oues Christi Pastorum suorum iudicio conformarent; non vt de decreto Apostolico illi de nouo cognoscerent aut iudicarent. Iam verò si hoc solùm posterius intelligat, communicatam esse omnibus epistolam Apostolicam, vt omnes ei vnanimiter suum iudicium submitteret; quid est, quòd in hoc exemplo vel ad Ecclesiam Catholicam taxandam, vel ad factionis suæ patrocinium obseruare potuit? Sequentia demõstrabũt. *Nihil enim* (inquit) *sancto & Christiano ordini minùs consentaneum, quàm populi corpus non secus ac porcorum gregem a communi doctrina arcere, vt fieri solet sub tyrannide Papatus. Quia enim Papa & cornuti Episcopi populum non sperabant vnquam fore satis morigerum, donec in crassam insciti am reductus esset; hoc finxerunt optimum fidei compendium, nihil sciendo pendere ex eorum placitis. Contrà verò tenenda est mediocritas, vt legitimæ præfecturæ saluæ maneant, & vicissim populo sua maneat libertas, ne seruiliter opprimatur.* Hęc Caluinus. Homo improbus, lupum auribus tenens, & veluti inter duas aquas natãs, vt sui ministerij dignitati consulat,

sulat, *legitimas præfecturas saluas esse* vult, & *penes doctos ac peritos Scripturarum* (qualem se inprimis iudicauit) doctrinæ controuersæ iudicium esse, sed vt Catholicam Ecclesiam & ordinem Ecclesiasticum taxet, traducat, perturbet, in odium & calumniam vocet, de populi libertate seruanda ratiocinatur; *ne ille seruiliter opprimatur*, cauendum monet, deniq; à Catholicis Episcopis & Pastoribus *veluti porcorum gregem à communi doctrina arceri, & sub tyrannide Papali in crassam insciti am redactum* esse vociferatur. Sed huic populari & factioso nebuloni facilè obsistitur, id vnum considerando, non illum de populi libertate sed de sui ministerij dignitate asserenda satagere. Nam & sic nulli grauiores tyranni quàm qui in principio populares fuerunt. Vt suum ministerium tueatur, accuratè monet *doctis & peritis defe endum esse iudicium, & legitimam præfecturam saluam esse oportere*. Hoc ita accipi Caluinus vult, vt quicquid ipse ex cathedra Geneuensi docuerit, pro oraculo habeatur, nec aduersus eius sententiam, scilicet ex verbo Dei prolatam, quisquam hiscere audeat. Talem ille Geneuę tyrannidem exercuit, tam in doctrinæ forma quàm in disciplinæ regula; quam omnes sequi oportebat qui Geneuēsi asylo gaudere voluerunt: de qua re extant ipsorum Caluinistarum querimoniæ graues. Ab Ecclesiæ Episcopis & Pastoribus fidelis populus non

Examen disciplinæ prætensæ Londini an. 1593.

vt porcorum grex à communi doctrina arceatur, sed vt ouium grex à communis doctrinæ iudicio ac determinatione prohibeatur; idque non vt in crassam insciti am reductus ab eorum placitis pendeat, sed vt omnem doctrinæ sanæ scientiam ab ore Pastorum accipiat, iuxta illud Apostoli Pauli ad populum fidelem mandatum: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis. Ipsi enim pernigilant pro animabus vestris.* Ipsorum est, pascere, docere, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: populi est, Pastoribus aurem præbere, vitæ pabulum ab illis accipere; denique vt oues audire vocem Pastoris, sicut Christus docuit. Appositè S. Augustinus: *Quamdiu intelligere syncera non possumus* (quod populo fideli circa fidei mysteria proprium est) *authoritate quidem decipi miserum est, sed certè miserius non moueri.* Ab authoritate docentis Ecclesiæ populum Christianum deterrent hæretici; & dum id agunt, ne authoritate decepti miseri fiant, efficiunt vt authoritate despecta miseriores fiant. *Sed* (vt statim Augustinus subiungit) *si Dei prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin verò & species rerum omnium, quam profectò ex aliquo veræssimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, & interiori nescio qua conscientia Deum quærendum, Deoque seruiendum, meliores quosque animos quasi publicè priuatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso*

Deo

Ecclesiæ authoritas populo necessaria & vtilis.

Hebr. 13.

Act. 20.

Ioan. 10.

De vtilitat. cred. cap. 16.

Deo authoritatem aliquam constitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum. Hæc ille. Hanc verò authoritatem penes Ecclesiæ Catholicæ Magistros ac Pastores esse, in sequentibus docet. *Cùm igitur* (inquit) *tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus,* (populi Christiani toto orbe credentis multitudinem intelligit) *dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Hæc Augustinus, Caluini hoc loco venenum saluberrimo antidoto depellens. Ibidem c. 17.

CAP. XVI.

3. *Assumptum Timotheum circumcidit Paulus, propter Iudæos qui erant in illis locis.*

OBSERVAT hoc loco Caluinus, Timotheum quidem à Paulo circumcisum fuisse ad euitandum Iudæorum scandalum, ad ædificationem Ecclesiæ, & publicam vtilitatem; Titum verò Paulum circumcidere noluisse, ne puram Euangelij doctrinam proderet, libertatem videlicet Euangelicam ab illa Iudaica cæremonia exemptam. Mox ex hac obser-

obseruatione non mala, corollarium infert pessimũ, & à Pauli instituto alienissimum.

Caluini solida collectio.

Hinc (inquit) *facilè perspicitur quã horrẽda in Papatu grassatur confusio.* Quî sic? *Immẽsus* (inquit) *illic est ceremoniarum aceruus. Quorsum id, nisi vt pro vno veteris templi velo centum obtenderent?* Esto, sit ita: quomodo ex circunciſionis ceremonia à Paulo liberè vel assumpta vel neglecta consequitur, ceremoniarũ in Ecclesia multitudinem horrendam esse confusionem? Quæ, inquam, ista consequentia est? Planè nulla. Nam si illis eadem cum libertate vtatur Ecclesia, nulla ex rerũ multitudine sequitur confusio. Nec Pauli factum contra ceremoniarum multitudinem aliquid concludit, sed vnius ceremoniæ libertatem ostendit. Sed & nunc negamus Caluino immensum esse in Ecclesia ceremoniarum aceruum, eo quidem sensu vt modum ac rationem ille numerus excedat quod Caluino probandum fuit, non simpliciter asserendum. Tantum sanè abest vt pro vno veteris templi velo centum in Ecclesia obtendantur, vt pro vno Ecclesiæ Catholicæ velo, pro vna ceremonia, centum in veteri Synagoga adhibitæ fuerint. Quare nec illatio Caluini hilum valet, nec accusatio vlla veritate subsistit. Pergit tamen accusare hic Satan: *Deus* (inquit) *quas præceperat ceremonias abrogauit, quo illustrior fulgeret Euãgelij veritas. Homines nouas inducere ausi sunt,*

Caluini putida calumnia.

& quidem

& quidem nullo seruato modo. Negamus Caluino, Deum veteres ceremonias sic abrogasse, vt in Euangelij doctrina & noua sua Ecclesia nullas nouas ceremonias adhiberi voluerit; quod in Antidotis nostris Euangelicis contra Caluini illic similes grunnitus demonstrauimus. Nunc vnum Augustinum intemperanti hominis audaciæ opponо. De ceremonijs Ecclesiasticis disputans ita scribit: *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.* Agnoscit tum ab Apostolis, tum à Concilijs plenarijs, nouas ceremonias saluberrima authoritate institutas fuisse, & institutas retineri. Et quidem in huiusmodi instituendis ceremonijs totius orbis Concilia damnare, *imò* (ait in sequentibus Augustinus) *de eo an ita faciendum sit disputare velle, insolentissimæ insaniæ est.* Sed ad aliam accusationem descendit Caluinus: *Accessit deinde prauum commentum, valere eas omnes ad cultum Dei. Tandem secuta est diabolica meriti fiducia.* Hæc diabolus ille, cuius duplici accusationi breuiter respondeo: Sicut aliarum virtutum, temperantię, fortitudinis, & ipsius charitatis actus externi, non interni tantùm, Deo placent; sic & actus religionis externi, quales sunt ceremoniæ. Sic Anna vidua dicitur in Euã-

In Ioan. c. 4. v. 23.

Ceremoniæ in Ecclesia Christiana. Epist. 118. cap. 1.

Ibidē c. 7.

Ceremonijs Deus colitur.

gelio

Luc. 2. gelio *orationibus suis in templo Deo seruisse*, λατρεύειν, cultum Deo grātum præstitisse. Sicut autem oratio vocalis, sic aliæ externæ ceremoniæ, ab obedientia & religione in Deum interna profectæ, Deo haud dubiè placent: quod de ipsa geniculatione fatetur ipse Caluinus. *Dico* (inquit) *sic esse hanc ceremoniam humanam, vt sit etiam diuina, quatenus videlicet pars est decori illius, cuius cura & obseruatio nobis per Apostolum commēdatur* 1. Cor. 14. Idem de alijs ceremonijs Ecclesiasticis iudicandum; quæ, vt omnia *honestè ac ordine fiant*, in Ecclesia Catholica non ex cuiusuis cerebro, sed ex legitima Episcoporum & Conciliorum authoritate instituta sunt. Sed & huiusmodi actiones sic ad Dei cultum pertinere, Deoque placere, vt aliquid apud Deum mereantur, ex eo vno manifestum est, quòd vt minimum actus religionis sunt ceremoniæ omnes Ecclesiasticæ, ad Deum puriùs, & intensiùs, & ordinatiùs colendum traditæ. Dubitari autem non debet, quin actus religionis, maximè ab obedientia quam Ecclesiæ Pastoribus deferimus (quæ altera virtus est) imperatus, non secus apud Deum mereatur, quàm aliarum virtutum actus.

Instit. lib. 4. c. 10 num. 30.

1. Cor. 14.

Post accusationes ad cōuicia pergit Caluinus: *Nunc, cùm satis constet tales ceremonias nec vela esse nec sepulchra quibus tegitur Christus, sed fœtida stercora quibus obruta est sincera fides & religio;*

Caluini os fœtidum.

religio; qui promiscuè faciunt liberum earum vsum, longè plus Papæ arrogant, quàm Deus legi suæ concedat. Cui respondeo: Nunc, cùm satis constet tales ceremonias nec vela esse nec sepulchra quibus tegitur Christus, sed pia & religiosa exercitia, quibus & sinceram fidem profitemur (nam ex vsu signi Crucis, verbi gratia, non secus me pro Christiano agnoscet Turca, & pro Catholico agnoscet Caluinista, quàm si aperta voce dicam me esse Christianum Catholicum) & ipsa religio in Deum decenter & ornatè, puriùs quoque & feruentiùs exercetur; qui eas veluti fœtida stercora abominátur, Satanicum & hæreticum suum spiritum produnt; qui promiscuè liberum earum vsum faciunt, Ecclesiæ ordinem perturbant; qui religiosè obseruant, quod filiorum Dei proprium est exequuntur. Subiungit Caluinus, vt vno adhuc bolo maledicendi libidinem satiet, stomachoque pleniùs indulgeat, præclarum suæ declamationis epiphonema. *De Missa* (inquit) *& similibus spurcitijs, quæ manifestam in se idololatriam cõtinent dicere, nihil attinet.* Quasi verò hic locus istud à Caluino postularet, vt omnem suam contra ceremonias Ecclesiasticas maledicentiæ bilem euomeret; aut ideo *noui Testamenti noua oblatio, quam in Missæ sacrificio tota per orbem celebrat Ecclesia*, aliquam spurcitiam haberet, quia spurcus iste & stercorarius conuiciator, spurcitias & fœtida stercora,

Irenæus lib. 4. c. 32

ſtercora, tam illi quàm ſacro diuinæ Scripturæ textui, nulla occaſione data, fœdiſſimè aſpergit. Sed heus tu Caluine. Audi quid de tua prophana Cœna, quam ſancte Miſſæ ſacrificio ſubſtituendam putaſti, Lutherana tota ſecta iudicat, & qualem de illi ſententiam ferat. Lutherani Miniſtri ante aliquot annos Antuerpiæ templa nacti, quo etiam tempore & ſua illic habebant Caluiniſtæ, ſuæ fidei Cõfeſsione edita ſic loquuntur: *Caluiniſtarum Liturgia non vno ſacrilegio vitiata contanimataque eſt, eaque, proh dolor, innumeras animas æterno exitio inuoluit.* Hanc poſtea Confeſsionem Flaccus Illyricus Lutheranus ſtrenuè defendit.

An. 1568. Cœna Caluiniſtica ſacrilega & peſtifera. Cap. 17.

4. *Cùm pertranſirent (Paulus & Barnabas) ciuitates, tradebãt eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & Presbyteris qui erant Hieroſolymis.*

Legũ Eccleſiaſticarum obligatio defenditur.

QVia legum Eccleſiaſticarum piam apud fideles & humilem obedientiam ex hoc Pauli & Barnabæ exemplo tum hodie Catholici tum olim veteres collegerunt, quod & ex huius præcepti Apoſtolici ſtricta admodum aliquot poſtea ſeculis obſeruatione in præcedenti capite oſtẽdimus, Caluinus, vt ad legum Eccleſiaſticarum (quarũ ipſe impatiens erat) ſummum contemptum lectores adducat, & ad omnia obedientiæ repagula perfringenda, ac Patrum ſancita pe-

dibus

dibus proculcanda, classicum canat, acriter & prolixè huic loco insistit, & ad eum vitiandum, planeque corrumpendum, multa venenata spicula contorquet. *His* (inquit) *verbis significat Lucas quàm studiosus pacis fuerit Paulus.* Atqui longè aliud Lucas ostendit, nempe quàm dogmatum Apostolicorum, & obedientiæ illis à fidelibus præstandæ, studiosus fuerit Paulus. In totâ quippe ista Ecclesiarum visitatione, quas per Syriam & Ciliciam Paulus ac Barnabas priùs fundauerant, nihil aliud singulare Paulum fecisse commemorat Lucas, quàm quòd dogmatum Apostolicorum obseruationem recentibus illis Ecclesijs traderet. Non sanè quasi hoc vnicum in illa visitatione fecisset Paulus, sed quia huic vni potissimùm incumbebat; & vt ad singulas illas Ecclesias decretorum Apostolicorum notitia peueniret, atque ab eisdem Ecclesijs eadem decreta accuratè custodirentur, operam illum diligentem præstitisse, referre D. Lucas voluit. Sanè vt posteris fidelibus sempiternum hoc esset similis obseruantiæ documentum. Nunc ab hoc toto manifesto & perspicuo tum Pauli tum Lucę consilio lectoris oculos auertens Caluinus, quendam huius facti finem ac scopum ostentat, quo factū ipsum, quod litera Apostolica disertè sonat, sequenti disputatione non obscuret modò, sed & penitus eneruet. Pacis causa à Paulo

Legū Ecclesiastic. obedientiam Paulus in visitatione Eccles. docuit.

hoc factum narrat, & ita adhuc prosequitur: *Optimum tunc fouendæ inter Ecclesias concordiæ vinculum erat, seruare quod per Apostolos erat transactum. In eo cùm diligens est Paulus, bona fide cauet, ne quid oriatur turbæ suæ culpa.* In hunc sanè finem tum decreta talia ab Apostolis & Presbyteris lata ac promulgata fuerũt, tum eorum obseruationem Paulus iniunxit. Sed ad hunc finem consequendum, ad pacem inter Iudæos ac Gentes fouendam, libertatem Gentilium Christianorum hoc præcepto Apostoli restrinxerunt, hoc decreto circumciderunt, hac lata lege veluti termino quodam præstituto incluserunt. Sic spectari finis debet, vt medium ad finem institutum teneatur. Nunc Caluinus finem ostentat, medium eneruat: *Meminerimus* (inquit) *id fuisse temporale; quia vbi videt cessare scandali periculum, penitus Ecclesias exonerat, & posthabito decreto liberum facit quod illic vetuerant Apostoli. Neque tamen ea abrogatione, quod statuerũt Apostoli, rescindit, ac violat, vel contemnit ipsos authores, quia minimè illis consilium fuerat sancire perpetuam legem, sed tantùm mitigare ad breue tempus quod infirmas conscientias lædere poterat, quemadmodum superiori capite fusiùs disserui.* Quomodo præceptum hoc temporale fuit, & an Paulus illud postea liberum fecerit, in superiori capite contra Caluinum nos quoque breuiter disseruimus, plura mox dicturi; & quamuis temporariam, causa tamen præcepti

Caluini astutia.

cepti vigẽte, neceſſariam obligationem induxiſſe oſtendemus. Sed nunc ex priori ſua diſputatione quid hîc inferat Caluinus, videamus. *Quo* (inquit) *ſatis arguitur Papiſtarum ſtultitia, dum grauiter nos accuſant quòd Paulo ſimus longè diſſimiles, quia contemptis, vt loquuntur, Eccleſiæ decretis, ſolo Dei verbo regi volumus piorum conſcientias, non autem ſubijci arbitrio hominum.* Non ſtultè, ſed meritò; non diſſimiles modò ſed & aduerſa fronte contrarios Paulo eſſe dicimus Caluinum ac Caluiniſtas, omnes, qui Eccleſiæ decreta contemnunt, quæ hîc Paulus cuſtodienda tradebat. Nec hominum arbitrio piorum conſcientię ſubijciuntur, quãdo Eccleſię decretis aſtringuntur; ſed ipſi Chriſto, qui Eccleſiam miſit, ſubijciuntur: niſi, vt Caluiniſtæ vera dicant, Chriſtus (proh nefas!) mentitus fuerit, dicens: *Qui vos audit, me audit.* *Sed* (ait Caluinus) *Paulo nihil minùs venit in mentem, quàm neceſſitatis laqueũ conſcientijs injicere.* Reſpõdeo: Prorſus Paulo venit in mentẽ decreti Apoſtolici mandatum exequi. Illud autem decretum hoc *onus* fidelibus *impoſuit*, idque pro tempore *neceſſarium*, vt ex ipſis decreti verbis nuper demonſtrauimus. Paulus igitur hoc indubiè præſtitit. Nec tamen neceſsitatis laqueum conſcientijs iniecit, vt fallendi artifex Caluinus odiosè loquitur: ſed obedientiam neceſſariam prędicauit ac docuit, quæ pijs ac Dei amore flagrantibus laqueus

Caluiniſtæ vt legum Eccleſiaſtic. contemptores rectè accuſantur.

Luc. 10.

Act. 15. 28

Laqueus conſcientiæ obediendi neceſsitas quibus & quomodo.

non est, sed iugum suaue, & onus leue, refractarijs & impijs, veterisque adhuc testamenti filijs, dilectione vacuis, qui adhuc *alta sapientes* non volunt esse *humilibus consentientes*, sed potiùs toto corde reluctantes, laqueus est, onus graue, & durum ac molestissimum iugum est. Atqui nullam necessariam obediẽtiam Paulum hîc docuisse, probare contendit Caluinus. *Non enim* (inquit) *à seipso dissentit, cùm alibi clamat, Omnia munda mundis; Qui firmus est, vescitur quibuslibet; Regnum Dei non est esca & potus. Item, Esca nos non commendat Deo. Item, Omne quod in macello venditur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Propter has omnes Pauli propositiones Paulum nõ dissentire à seipso, id est, præceptum Apostolicum *de non edendis idolothytis, suffocato & sanguine*, quod hîc Gẽtibus Christianis custodiẽdum tradebat, nec violare, nec deinceps abrogãdum aut repudiãdũ docere, ipsemet Caluinus vno quasi verbo profitetur, quod tamen à nobis vberius docendum est. Subiungit enim: *Sed vno verbo conciliat quæ possent alias videri parum consentanea, cùm abstinere ab idolothytis iubeat propter alterius conscientiam.* Nempe quando idolothytorũ manducatio alijs infirmis Christianis, vel etiam ipsis Paganis præsentibus (quibus illa mãducatio quædam videbatur cum idololatris communicatio, ipsiusque idoli veneratio) graue scandalum pareret. Perspicuum

Rom. 12. 16.

Tit. 1. 15.

Rom. 14. 17.

1. Cor. 8.

Idolothytorũ manducatio quomodo in Cõcilio Apostol. prohibita & à Paulo permissa.

cuum autem est, Apostolos & Presbyteros Hierosolymis non aliter hoc præceptum de idolothytis promulgasse, quàm solius scandali prædicti vitãdi causa, extra quem scandali casum idem planè quod Paulus locis à Caluino citatis docet, iudicabãt; ipsa videl. idolothyta ex sua natura non esse cibũ immundum; posse illa in macello exposita emi & manducari, simplicem deniq; ab illis abstinentiã (remota offensionis causa, qua stante, nõ aliter hoc præceptum obligabat) nullam esse virtutem quæ nos commẽdet Deo; sicuti nec illa manducare vlla virtus erat. Nã nec in tali abstinentia vlla fuit obedientia præcepti Apostolici non obligantis: nec in tali manducatione alius erat quàm legitimus cibi vulgaris vsus; cũ aliquo sanè forti & prudenti iudicio coniunctus, quo (vt Apostolus dixit) *alius credit se manducare omnia*, id est, nulla vtitur distinctione ciborum, siue respectu Iudæorum, quo ad cibos lege vetitos, (de quo genere in Epistol. ad Rom. disputat) siue respectu Gentilium paganorum, aut etiam infirmorũ Christianorum, quoad ipsa idolothyta (de quo genere disputat in priori ad Corinthios;) non tamen aliqua virtutis aut pietatis actio. Vnde Apostolus de idolothytis disputans dixit: *Neque, si manducauerimus, abundabimus; neque, si non manducauerimus, deficiemus.* Tota igitur vtroque loco Apostoli disputatio est de huiusmodi

Rom. 14.

1. Cor. 8.

iusmodi cibis in sua natura cõsideratis, non quatenus sub hoc præceptum Apostolicum eorum prohibitio cadebat. Quare Paulus verè *à seipso non dissentit*; sed Ecclesijs illis Syriæ & Ciliciæ, quas iterum visitando peragrabat, Apostolicum præceptum necessariò obseruandum tradidit, eo videlicet sensu ac modo, atque in eum finem, quo ab Apostolis promulgatum erat. Romanis verò scribens, cibos in lege vetitos cum scandalo infirmorum Iudæorum, qui ad Christum conuersi fuerant, non esse ab alijs Christianis manducandos, latè disputat, de illis ingenere differens, non de suffocato & sanguine in Concilio Apostolico vetitis. Corinthijs scribens, idolothytorum manducationem seiuncto scandalo rem esse indifferentem, ex sensu præcepti Apostolici, latè declarat. Nisi fortè malit quis dicere (quam sententiam quibusdam placere video) nec Romanis, nec Corinthijs, sed solis illis circa Antiochiam recẽtibus Ecclesijs per Syriam ac Ciliciam decretum hoc Apostolicũ destinatum & traditum fuisse. Vtcumque verò hoc se habeat, Paulus in locis à Caluino citatis præceptum Apostolicum, quod hoc loco Gentibus ab eo conuersis custodiendum tradebat, ab eisdem nõ esse custodiendum non docet, eius obligationem quoad illos non tollit, ciborum ab Apostolis vetitorum liberum vsum illos non docet, sed de ipsorum

Cibos lege vetitos quomodo Christianis permittit Paulus post præceptũ Apostol. de abstinẽtia quodam.

ipsorum ciborum vsu naturali (secluso hoc precepto) disputat, & ab offensione Iudæorum aut Gentilium Christianorum Romanos ac Corinthios sedulò cauere diligenter docet. In epist. quoq; ad Titum Iudæorum superstitionē arguit, qui Gentilium Christianorum libertate quoad cibos in lege vetitos adhuc offendebantur, vt locus inspectus docet. Denique, in nullo horum locorū de suffocati & sanguinis abstinētia (quæ vna erat decreti Apostolici pars) disputat Paulus. Absurdè igitur & impiè adiungit Caluinus: *Interea sedulò cauet Paulus, ne hominum legibus pias animas obstringat.* Hæc assertio & adiūctio Caluiniana nudè asseritur, nec ex præcedētibus consequitur, nec in subsequentibus comprobatur: denique præsenti textui ex diametro aduersatur. Lucas enim de Paulo disertè dicit: *Cùm pertransiret ciuitates, tradebat eis custodire præcepta Apostolorum & Seniorum qui erant Hierosolymis.* Hoc est, hominum legibus, etsi nō quatenus hominum sine vllo adiuncto & simpliciter, vt odiosè Caluinus rē narrat, sed quatenus hominum quos Deus ad Ecclesiæ suæ gubernationem legitima authoritate præditos esse voluit, pias animas etiam, quantūcumque pias, obstringere, & obedientiæ præcepto obligare. Nunc concludit Caluinus. *Nos ergo nihil à Paulo diuersum tentamus*: Imò ita diuersum, vt nihil sit magis aduersum. Paulus trade-

Caluinus textui sacro contradicit.

bat Christianis à se conuersis *custodire præcepta* non sua, sed *Apostolorum & Presbyterorum in Concilio collectorum*: Caluinus tradit Christianis à se seductis non custodire vlla præcepta Episcoporum & Presbyterorũ, quantumlibet in Concilijs tradita & definita. Sua tamen præcepta Geneuensibus prescripta arrogantissimè seruari & custodiri voluit, præcepit, coëgit. Est ergo Caluinus Paulo ex diametro cõtrarius. Aliam nũc disputationem aggreditur. *Cæterùm* (inquit) *nimis crassè illudunt Papistæ, leges suas cum Apostolorum decretis comparando.* Atqui hanc ita crassam illusionem quàm subtiliter probet Caluinus, videamus: *Nullum finxerãt Apostoli nouum Dei cultum, nullum nouum spirituale regimen erexerunt.* Hoc vtrumque negatiuum quomodo probat Caluinus? Attende, Lector, & vide an non tibi crassè illudat. *Sed pacis* (inquit) *studio hortati fuerant Gentes vt Iudæis aliquid concederent.* Mentitur ac fallit, crasseque illudit impostor. Apostoli per modũ præcepti iniungunt, vel, vt loquũtur, imponunt, idque veluti necessarium ad pacem conseruandam medium, illa sua decreta: *Visum est nobis nihil vltrà oneris vobis imponere, præter hæc necessaria.* Act. 15. 28 Hæc non est hortatio, sed præceptio, nouiq; oneris impositio, eademq; necessaria: quod nuper latiùs ostensum dedimus. Deinde, Lucas hoc loco vocat hæc Apostolorũ placita, *dogmata ab illis decreta*, δογματα τα κεκριμένα, in-

Caluinus Paulo cõtrarius.

Apostoli præceptũ promulgant, non hortantur tantùm.

να, instituta quæ iudicialiter ordinauerant: videl. vocato Concilio, collatis sententijs, ac definitione tandē diuini Spiritus & ipsorum nomine promulgata, vt manifestū hîc appareat *nouum Ecclesiæ regimen*, quod hîc negat Caluinus, & quod Paulus alibi attestatur, dicens Presbyteris Ephesinis: *Attendite* Act. 20. *vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, quā acquisiuit sanguine suo.* Sed & in fine præcedentis capitis de eodem Paulo iterum dicitur: *Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorū & Seniorum:* παραδιδὺς τας ἐντολας τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων: quæ postrema verba tametsi è textu eraserint Nouatores, in suo tamen vetustissimo codice Græco (quem in multis alijs religiosè sequitur) inueniri fatetur Beza. Fuerunt ergo hæc ἐντολαι, præcepta; non παρακλήσεις, hortamenta. Denique, quāto studio & quā rigidè hæc Apostoli decreta veluti Præpositorum Ecclesiæ *(quibus obedire & subiacere* idē iubet Heb. 13. Paulus) præcepta propriè dicta à Christianis Gentilibus obseruata fuerint, nuper latè Suprà ad c. 15. v. 28. diximus. Sed & in hac obseruantia aliquem Dei cultū Apostolos intellexisse, illa clausula decretis adiuncta non obscurè innuit, *A quibus vos custodientes bene agetis*; maximè eo adiūcto quod in quibusdam Græcis codicibus legitur, πορευόμενοι, vel, vt vetustissimus Bezæ codex (si Bezæ credimus) legit,

φερόμενοι ἐν τῷ πνεύματι ἁγίῳ; Ambulantes vel conuersantes in Spiritu Sancto. Docent enim Apostoli, Gentiles Christianos per hanc abstinentiam illis iniunctam *rectè agituros, & in Spiritu S. ambulaturos*, id est, opus spirituale, Deo gratum facturos, non solùm paci publicæ consulturos. Sed & pacis studio Ecclesiæ præcepta obedienter seruare, tametsi nulla alia accederet vtilitas, opus esse spirituale, Deo gratum, & quo Deus colitur (quum sit opus charitatis) negari non potest, quod & tot Scripturæ, quæ ad pacem cum proximo hortãtur, manifestum faciunt. Postremò, & illud contra Caluini imposturas notandum, non omnia Ecclesiæ præcepta directè & præcisè ad Dei cultum ordinari, sed quædam vel ad propriã cuiusque vtilitatem & mortificationem, vel ad publicam Ecclesiæ ædificationẽ, vel etiam ad vitandas infirmorum offensiones: singula tamen ex legislatoris intentione, pro rei subiectæ materia, pro loco & tempore, fidelium conscientias obligare: vt nõ sit necesse nulla esse ad Dei cultum Ecclesiastica præcepta, tametsi Apostolicum hoc præceptum ad Dei cultum nõ spectaret. Neque ex hoc exemplo aliud inferũt Catholici, quàm esse penes Ecclesiæ Præpositos potestatem aliqua præcepta fidelibus imponendi, quæ ad certos fines, & certo quodam modo, eorum conscientias obligẽt. Ita vndequaque appa-

Psal. 33. 15 Rom. 12. 18.

Ecclesiæ præcepta nõ omnia ad Dei cultũ præcisè ordinantur.

ret

ret quâ crassè illudat suo lectori Caluinus. Pergit adhuc: *Vt leges suas isto prætextu excusset Papa, priùs totas mutari necesse erit.* Quàm futile hoc cauillũ sit, ex præcedentibus liquet: satisq; ostẽsum quã luculentũ istud sit authoritatis Ecclesiasticæ & irrefragabile exẽplũ.

Nunc schismaticæ suæ suorumque rebellionis patrocinium suscipiens Caluinus, ita prosequitur: *Nos verò, cùm spiritualem Dei cultum statuant Papistæ in humanis commentis, & ius vnius Dei ad homines transferant, qui dominentur in animas, fortiter repugnare cogimur, nisi perfido silentio prodere velimus partam Christi sanguine gratiam.* Respondeo: Apostoli & Presbyteri Hierosolymitani hoc loco, ac post eos alij Ecclesiarũ prępositi, nec in humanis commentis, sed in decretis & constitutionibus, *prout visum est Spiritui S. & ipsis*, spiritualem Dei cultum statuunt; nec vnius Dei ius ad homines transferunt, sed vnius Dei ius ab ipso vno Deo Iesu Christo hominibus communicatum agnoscunt, & exercent; pascentes & regentes Ecclesiam sibi commissam salutaribus decretis ac legibus; nec denique per hæc decreta & leges *dominantur in animas*, id est, imperium humanum & profanũ pro libito exercent, sed (vt Apostolus adiungit, vbi hoc dominium excludit) adiutores, συνεργοι, *cooperatores sunt nostri gaudij*, id est, salutis nostræ, de qua gaudemus. Quare Caluinus, qui huic ordinationi diuinæ & coope-

Ecclesiæ leges non sunt humana cõmenta.

Legibus Eccles. Dei ius ad homines non transfertur.

Ecclesia per suas leges nõ dominatur in animas

2. Cor. 1.

cooperationi Ecclesiæ se fortiter repugnare profitetur, *non id facere cogitur, ne perfido silentio partam Christi sanguine gratiam prodat*; sed id facere voluit, vt schismatica perfidia potestatem illam legitimam conuelleret, quâ Spiritus S. posuit ad regendam Ecclesiâ Christi sanguine partam. Non rei veritas, sed schismatis sui tuendi necessitas ad hanc tam fortem repugnantiam ac rebellionem eum coëgit. Pergit Caluinus: *Iam quid cum tribus decretis ad subleuandos infirmos positis simile habet immensa legum congeries, quæ non tantùm miseras animas obruit sua mole, sed fidem quoque absorbet?* Ad hanc calumniosam maledicentiam & nudam percontationem tria respõdeo. Primùm, Ecclesiam toto orbe diffusam pluribus postea indiguisse decretis quàm paucæ illæ Syriæ & Ciliciæ Ecclesiæ tunc ad Christum conuersæ eguerunt. Deinde, non hæc tria tantùm decreta, sed & plurimas alias constitutiones Apostoli tulerunt, quas in octo libros congessit Clemens, D. Petri comes. Postremò, leges Ecclesiasticæ nec vlla mole animas obruunt, nisi seruilia hæreticorum corda, & duras ceruices, quæ disciplinæ Ecclesiasticæ iugum ferre nequeunt; nec fidem absorbent, sed illustrant, eiusque & intelligentiam clariorem & exercitium feruentius reddunt. Concludit tandem Caluinus: *Nota est Augustini querimonia ad Ianuarium, quòd iam tunc nimio traditionum onere perpe-*

Ecclesiæ leges cur hodie multæ.

perperam grauata esset Ecclesia. An illi (obsecro) tolerabilis esset hodierna seruitus, quæ ferè centuplo durior est? Respondeo ex eodem Augustino, totam hanc querimoniam ad Ecclesiæ leges, quas vniuersa seruat Ecclesia, nihil prorsus attinere, sed de localibus quibusdam & priuatis ceremonijs institutâ fuisse. Augustini querimonia cõtra leges Ecclesiæ nulla.

Nota est eiusdem Augustini ad eundẽ Ianuarium sentẽtia: *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.* Epist. 118. cap. 1.

Nota quoque est eiusdem Augustini in eadem ad Ianuarium Epistola obseruationum & ceremoniarum diuisio. De varijs quippe ceremonijs & cultibus externis interrogatus, non respondet, vt hodie hæretici garriunt, liberas esse huiusmodi omnes obseruationes, sed cum distinctione sic respõdet; *Ad hæc ita respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuinæ Scripturæ præscribit authoritas, non dubitandum quin ita faciamus vt legimus. Similiter, si quid horum tota per orbem frequẽtat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Tertium genus eorum est quæ per loca regionesq; variantur, quod quidem liberas habet obseruationes.* Ibidẽ c. 5.

Facere tamen monet quemque in istis *quod in ea Ecclesia, in qua venit, inuenerit; dummodo nihil aut contra fidem aut contra bonos mores fiat.* Epist. 119 cap. 18.

Rursum in alia Epistola ad eundem

dem Ianuarium, de particularium Ecclesiarum ritibus ita repetit: *In his quæ variè per diuersa loca obseruantur, hæc saluberrima regula tenenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicumque instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit.* Quibus ita disputatis, hunc tandem in modum concludit doctissimus & sanctissimus Augustinus: *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ quas in eis instituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum: qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus, subijciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.*

Ibidē c. 19

Hæc

Hæc est tota Augustini ad Ianuarium querimonia, quam impostor Caluinus contra Ecclesiæ leges ac decreta siue per vniuersam toto orbe Ecclesiam obseruata, siue in Episcoporum Concilijs instituta, nefariè profert; quum sanctissimus Doctor, querimoniam suam instituens, hæc duo disertissimis verbis exceperit, ac sine vlla contradictione obseruanda esse docuerit; denique non nisi de variorum locorum varijs ac particularibus ritibus, sine Episcoporum & Conciliorum authoritate introductis, illam suâ querimoniam protulerit. His malis artibus & impostu ris, Apostolicarum & Ecclesiasticarum legum authoritatem, in hoc illustri exemplo luculenter confirmatam, conuellere se posse existimauit impostor Caluinus. Eâdem impostur â in sua Institutione falsarius vtitur: quæ hac etiam explicatione abunde refellitur. Instit. lib 4. c. 10 num. 13.

17. *Puella quædam habens spiritum pythonem, subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.* 18. *Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui, dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.*

DOcet hic locus luculenter, veritatis Euãgelicæ & sacræ doctrinæ, quæ non nisi diuina nititur authoritate, non esse quemli-

quemlibet legitimum testẽ aut præconem idoneũ, sed in toto hoc genere dispiciẽdum esse quis sit qui loquitur, non quid quispiam loquatur. Testimonium hoc veritatis, quod puella spiritum pythonem habens, vel potiùs quod spiritus nequã in illa perhibebat, & verissimũ erat, & (vt videri potuit) valde oportunum, planéq; huiusmodi, vt vel Angelus de cœlo oportuniùs aliquid denũciare non potuerit. Plurimùm enim expediebat, Philippenses illos cognoscere, Paulũ & comites eius *seruos esse Dei excelsi, qui annunciarent illis viam salutis*. His quippe verbis & summa docẽtium authoritas, & finis doctrinæ præstantissimus asseruntur. Paulus tamen hoc testimonium, ab impuro spiritu profectum, adeò auersatur, vt & de facto doluerit, & spiritum impurum organo, per quod loquebatur, eiecerit. Docet igitur clarè & perspicuè hic locus, veritatis doctrinam, testimonium, fidẽ non esse à quolibet accipiendam, non à dæmone veritatis hoste (vnde & magi, qui cum dæmone commercium habent, vt aliquam veritatem explorent, ex hoc loco refutantur) non ab hæretico *Satanæ ministro*, qui in persona hominis hæretici *transfigurat se in Angelum lucis*, vt alibi Paulus docet. Vnde illorum hodie refutatur demẽtia, qui neglectis veræ Ecclesiæ Pastoribus & legitimis testibus à Deo datis, à quolibet nouo sectario, nulla legitima authoritate misso,

Testis veritatis sacræ idoneus quilibet non est.

2. Cor. 11. 13.

totius

totius Euangelicæ doctrinæ veritatem exquirunt, accipiunt, amplectuntur. Iuuat hoc loco Caluinum audire, hoc ipsum contra hæreticos magistros documentum latè persequentem, suoque seipsum ore pulchre condemnantem. Sed antequam id faciat, bacchari illum cõtra Papam nonnihil oportuit. Id quale sit, audiamus. Primùm in genere præfatur. *Diabolus* (inquit) *sic mendacij pater est, vt fallaci prætextu veritatis seipsum tegat. Videmus vt quotidie simili artificio vtatur. Quid enim magis speciosum Papæ titulis, quibus se non aduersarium Christi, sed vicarium iactat? Quid solemni ista præfatione magis plausibile, In nomine Domini, Amen: In nomine Domini, Amen?* Cui respondeo: Quid magis speciosum, prædicantum hodie hæreticorum titulis, quibus se non aduersarios Christi, sed *verbi Dei Ministros, veritatis Euangelicæ Præcones, Ecclesiam reformatam* iactant? Quid solemni ista præfatione magis plausibile? *Verbum Domini, Verbum Domini: Gratia vobis & pax à Domino nostro Iesu Christo.* Huiusmodi quippe præfationibus gaudent hodie hæretici. Quorum vanitatem & impostruram quomodo Caluinus ipse describat, audiamus. *Scimus tamen* (inquit) *dum ita obtenditur à falsarijs Satanæ ministris, esse corruptam ac mortiferâ tabe infectam. Duplex enim quum sit Satanæ ratio oppugnandi Euangelij; nempe quòd aliquando via aperta grassatur, interdum verò mendacijs se insinuat; dua: quo-*

Hæreticorũ hodie speciosos titulos Caluinus pulchrè exagitat.

que habet mentiendi ſpecies; vel dum falſis doctri-
nis & craſsis ſuperſtitionibus verbum Dei exem-
vel dum ſe amicum verbi & miniſtrum verbi aſſe-
te ſimulans, quaſi per cuniculos obrepit. Imò nihil
2. Cor. 11. *eſt nocentior hoſtis, quàm dum ſe transformat in*
Angelum lucis. Iam tenemus quorſum ſpectet
tam ſplendidum elogium quo Paulum & eius co-
mites extulit. Nempe quia non tam commodum
erat bellum ex profeſſo gerere cum Euangelio, q
cultis artibus tentauit labefactare eius fidem. Na
ſi admiſſum fuiſſet à Paulo illud teſtimonium, n
lum ampliùs diſcrimen inter ſaluificam Chriſti
ctrinam & Satanæ ludibria fuiſſet: implicitus me
dacij tenebris fuiſſet Euangelij fulgor, atque ita
ſtinctus. Rectè hæc omnia Caluinus, ſed co
tra caput ſuum. Quia enim admiſſum fu
hodie ab inſtabili populo & indoctis hom
nibus, Caluini, Lutheri, ac aliorum Satan
miniſtrorum teſtimonium, nullum in
ampliùs diſcrimen habetur inter ſaluifica
Eccleſiæ Catholicæ doctrinam & hæretic
rum ludibria: implicita quoq; craſsis me
dacij tenebris orthodoxæ doctrinæ puri
eſt, peneque extincta.

Iam vtilem hoc loco mouet quæſtione
Caluinus, cuius reſolutio documentum
nobis poſitum multo adhuc luculentiu
confirmabit, & errorum ac ſchiſmatu
hodie cauſam fundamentalem aperiet
refutabit. *Quæritur* (inquit) *cur tantum licea*
Deus Satanæ permittat, vt veris quoque diuin
tionib

tionibus deludat ac fascinet miseros homines. Nullos enim eximi periculo videtur, quum falsæ diuinationes ita volitant. Neque enim boni minùs quàm mali, cùm obtenebrata est veritas, obnoxij esse videntur Satanæ discipulis. Ad hanc quæstionem, quæ de falsis & hæreticis doctrinis, quibus hodie mundus dementatur, aptiùs proponi debuit, quando illis potissimùm sacra & Euangelica veritas obtenebratur, ad hunc modum respondet Caluinus: *Responsio* (inquit) *facilis est. Etiam si omnibus promiscuè laqueos tendat Satan, pios tamen seruari Dei gratia, ne irretiantur vnà cum alijs.* Sed quia hæc Dei gratia non seruat pios ordinariè loquendo, nisi per certa externa media, videl. per Pastorum os & ministerium, quos in hunc ipsum finem dedit Ecclesiæ suæ, *ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia & astutia ad circumuentionem erroris*; ideoque hæc responsio valde adhuc mutila & imperfecta erat; addit Caluinus aliam: *Clarior etiam distinctio in Scriptura traditur, quòd Dominus hoc modo probat suorum fidem & pietatem; reprobos autem excæcat, vt pereant, quemadmodum digni sunt. Ideo Paulus disertè exprimit non dari Satanæ efficaciam erroris, nisi in eos qui Deo obsequi & veritatem amplecti recusant.* Atqui hæc adhuc responsio nihilo magis quàm alia quæstioni satisfacit. Ostendit enim quidem quosdam iusto Dei iudicio excæcatos, nempe quia Dei gratia attacti, Deo obsequi; & veritatē edocti, ve-

Hæresum laqueis cur multi capiãtur.

Ephes. 4.

2. Thess. 2

ritatem amplecti ex libera & praua volun-
tate noluerunt, à Satana decipi, alios ver
probatæ & spectatæ fidei ac pietatis nõ de-
cipi; id est, ostendit Satanicæ deceptionis ef-
ficaciam ex hominum prodire malitia, n
eiusdem irritos & inanes conatus ex pio-
rum prouenire constantia, iuxta illud Pau-
1. Cor. 11. 19. dictum, *Oportet hæreses esse, vt manifesti fiant q
probati in vobis sunt*; sed quo tandem medi
qua via, hæc piorum fides & constantia
netur, ne Satanæ decipulis capiantur, ha
responsio non docet. Declamat statim co
tra Epicureos quosdã, *qui propter tam va
in orbe hæreses, & pugnantes de religione sententi
præstare aiebant omni religione solutos viv
quàm exitium sibi accersere religionis studio.* Qu
Hæresum laqueos declinandi remedium Caluinianũ. rum demẽtiæ responsurus ita scribit: *Ego
dem fateor Satanam innumeris modis sacro
nomine abuti* (quod tam variæ hodie hære
corum sectæ, *Verbum Domini* singulæ crepa
tes, perspicuè loquuntur) *sed quum Domin
prouũciet se doctorem esse hominum, & pollicitus
Ephes. 6. propinquum se fore rectis corde; quum Paulus d
ceat, verbum Dei esse gladium Spiritus; quum ag
tur, eos, qui probè fundati sunt in fide Euangelij, n
esse amplius obnoxios hominum impostur is; quũ P
2. Pet. 1. trus Scripturam vocet lucernam ardentem in lo
caliginoso; quum nos minimè frustrari queat ben
Matth. 7. illa Christi inuitatio, Quærite, & inuenietis; pul
& aperietur vobis: quicquid moliatur Satan, q
quascumque tenebras offundere conentur pseud
prophet

prophetæ, timendum non est, ne Spiritus prudentiæ & discretionis nos deserat, qui Satanam suo arbitrio cõpescit, & nos per verbi sui fidem facit de illo triumphare. Attende hîc, Lector, Caluinianæ religionis, adeóque omnium hæresum proprium fundamentum. Attende quomodo per dulces benedictiones seducit Caluinus corda innocentium atque simplicium. Attende quomodo ad varias Satanæ fallacias cauendas illam viam Caluinus docet, quæ homines per singulas illas capiendos & irretiendos rectà ducit. Ait *nou esse metuendum ue Spiritus prudentiæ & discretionis nos deserat,* qui Satanam compescat. Hunc Spiritum ab vnoquoque intrepidè expectandum, propter varia quæ protulit argumenta, concludit. Sic priuatum in vnoquoque Spiritum, priuatam cuiusque prudẽtiam, & Spiritum discretionis in vnoquoque priuatum, certum ac firmum constituit iudicem & arbitrum, qui de omnibus pseudoprophetis iudicet, & omnes Satanæ fallacias dijudicet atque compescat; adeóque per fidem verbi Dei de Satana triumphet. Hunc priuatum Spiritum, omnium (quæcunque fuerunt) hæresum fundamentum, alio quodam in opere latè refutauimus. De Spiritu quoque discretionis in Antidotis Euangelicis nuper contra Caluinum disputauimus. Vnum hîc verbum adijciam, vt rei absurditas magis appareat; mox singula hominis argu-

Idem vt pestilentissimum refutatur.

De princip. fidei lib. 10 c. 5 In Ioan. cap. 7. vers. 17.

menta paucis decutiam. Si Spiritus Dei vnumquēque in Scripturis seu per Scripturas (hoc enim est quod Caluinus hîc dicit, *per fidē verbi sui*) omnem veritatē omnemque fallaciæ Satanicæ dijudicandæ certitudinem docet; hic Spiritus Dei aut ad Scripturas alligabitur, vt nō nisi per illas doceat aut non alligabitur, vt etiā absq; illis vnusquisq; pulsando & quærendo à solo diuini Spiritus afflatu omnem veritatē hauriat. Si posterius, ad Stenkfeldianorum dementiam deuoluimur, quæ cum diuinarū Scripturarum aperto contemptu solis enthusiasmis & afflatibus, quos orādo pecere, & meditando quærere ac pulsare se dictitant, omnem veritatem explorant. Et sanè ex hoc priuati Spiritus impurissimo fonte, fœda illa Stenkfeldianorum impietas profluxit. Si prius affirmatur, & ad Scripturas Dei Spiritus alligatur, hoc vnū seductoribus modernis propono, quare non multò probabiliùs ac certiùs atque securiùs Spiritum Dei ad Ecclesiam alligari, id est, Spiritum Dei non nisi per os & ministerium Ecclesiæ, Pastorum dico & Doctorū Ecclesiæ, omnem veritatem loqui, docere, testari affirmamus quàm per Scripturas; quando huic Ecclesiæ, his (inquam) Ecclesiæ suæ Pastoribus & Doctoribus Spiritū suum Christus diserte promiserit, & ad hunc ipsum finem promiserit, (quod tam multæ Scripturæ diserti-

Scripturarum priuata indagatio nō est certa veritatis inueniendæ regula.

Ioan. 14. & 16. & 17 Matth. 28 Ephes. 4. Luc. 10.

simæ

sim è loquuntur) in Scripturis autem veritatem vnumquemque quærere & scrutari vel nusquam vel rarissimè Scriptura doceat: Hoc (inquam) interim vnicuique expendendum propono. Nam ita prorsus se rem habere, alijs in locis sæpe & identidem docuimus.

Nunc ad Caluini hîc argumenta cumulatè etsi concisè prolata veniamus. *Non est* (inquit) *timendū de Spiritu prudētiæ & discretionis singulis affuturo, quia Dominus pronunciauit se fore doctorē hominum.* Verum est, mediantibus alijs Doctoribus, quos dedit Ecclesiæ suæ: non autē quòd singulos Deus absq; Ecclesiæ ministerio docet: *Memoria tenendū est* (ait ipse alibi Caluinus) *non modò datam esse nobis à Deo Scripturam, sed Interpretes simul & Doctores esse additos, qui nos adiuuent.* Et alibi citatis Pauli verbis de datis Ecclesiæ Pastoribus ad Ephes. 4. 11. *Videmus* (inquit) *vt Deus, qui posset momento suos perficere, nolit tamen eos adolescere in virilem ætatem, nisi educatione Ecclesiæ. Videmus modum exprimi, quia Pastoribus iniuncta est cælestis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes ad vnum cogi in eundum ordinem, vt mansueto & docili Spiritu regendos se Doctoribus in hunc vsum creatis permittant.* Hæc Caluinus, se ipsum egregiè refutans, palāq; docens sic Deum esse doctorem hominum, vt per Ecclesiæ Pastores doceat. Ita priuatis spiritibus, qui Ecclesiæ Doctores audire non sustinent,

1. Deus docet per Doctores Ecclesiæ. Suprà Act. cap. 8 ver. 31. in commēt. Institut. lib. 4. cap. 1. num. 5.

Caluinus ex seipso refutatur.

2. Deus propinquus rectis corde. Rom. 1.

nihil patrocinatur, quòd Deus se doctorem hominum pronuntiat. Addit: *& pollicitus se Deus se fore propinquum rectis corde.* Sanè quia recti corde obtemperant docenti Ecclesiæ, & (vt Paulus Romanos laudat) *obediunt ex corde in formam doctrinæ in qua traditi sunt.* Profert tertiò, docere Paulum *verbum Dei esse gladium Spiritûs*, vtiq; quando ab illo doctore profertur verbum Dei, qui ad verbi prædicationem & doctrinam legitimè missus est. Sanè quod puella ista pythonica clamauit, verbum veritatis & verbum Dei erat, sed gladius spiritus nequam, quo occidere & fascinare volebat; non gladius Spiritus Dei, qui corda audientium ad salutem penetraret. Adeò interest à quo hoc verbum proferatur, & quis hunc gladium exerat.

3. Verbum Dei quomodo gladius Spiritus.

4. Euangelij in fide fundati adhuc ob noxij erroribus esse possunt. Matth. 7. Gal. 4. Ierem. 2.

Profert quartò, testari Paulum, eos, *qui probè fundati sunt in fide Euangelij, non esse amplius obnoxios hominum impostoris.* At vbi hoc Paulus dicat, non notat Caluinus: & quidem qui probè fundati sunt in fide Euangelij, quidiu & quatenus tales sunt, hominum impostoris non sunt obnoxij; sicut *bona arbor non facit malos fructus*, quatenus & quamdiu talis est. Sed tam semel bene fundati impostoris hominum abripi à fide possunt, nisi mentiebatur Paulus dicens Galatis, *Currebatis bene: quis vos impedijt veritati non obedire?* quàm arbor bona in malam verti potest, nisi mentiatur Propheta dicens, *Quomodo conuersa*

conuersa est mihi in prauum vinea aliena? Ne autem hominum impostoris obnoxij simus, *ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum & astutia*, non Spiritus discretionis vnicuiq; in particulari, sed Spiritus sapiētiæ Ecclesiæ Pastoribus ac Doctoribus ad bonum generale datus est. Profert quintò, Scripturam à Petro vocari *lucernam ardentē in loco caliginoso*. Atqui tum demū maximè & clarissimè hæc Scripturæ lucerna nobis lucet, quando Ecclesia, quæ est *lux mundi, vt alios illuminet*, eam manu sua gestat, eam nobis demōstrat, exponit, explicat. Deinde, non lucet Scriptura nisi credentibus. *Quomodo autem credent ei quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Ita, vt luceat hæc lucerna, ad Ecclesiæ prædicatores legitimè missos (*Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?*) veniendum est. Ita pro priuata prudētia, aut Spiritu discretionis priuato, nihil hic locus facit. Vide plura in defensione nostra cōtra VVhitakerū lib. 1. cap. 9. Profert sextò & postremò, quòd frustrari nos non potest benigna illa Christi inuitatio, *Quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*. Ista quidem Christi vox frustrari nos non potest, sed primùm de fidei veritate quærenda Christus ibi non loquitur, verùm credentes docet omnia alia ad salutem necessaria pijs apud Deum precibus esse petenda. Tria enim illa, *petere, quærere, pulsare*, rem vnam dicunt, assiduis

Ephes. 4.

5. Scriptura quomodo lucerna ardens 2. Pet. 1. Matt. 5. Ephes. 3. 5.

Rom. 10.

6. Quærere vt inueniamus quomodo iubet Christus.

siduis apud Deum precibus agendum
omnia nobis necessaria ab eius bonit
impetremus; quod tota subsequens ora
manifestè indicat: *Quis ex vobis homo, qu*
petierit filius suus panem, &c. Deinde, ipsa fi
doctrina si propter latrantes & pacis E
clesiasticæ turbatores hæreticos quæren

Fides quo modo & quatenus quærēda.

est, eo modo quærenda est, qua eam inuen
posse Christus docuit. *Dedit autem Pastore*
Doctores animarum, à quibus omnis fidei
ritas simplicitate Christiana expectanda

Act. 7. 9.

accipienda est. Ad Eunuchum Scriptu
legentem, & in illis doctrinæ veritatem
quirentem, Philippum Euangelistam mi
Deus.

Act. 9.

Saulum de cælo tactum mittit ad
naniam, vt discat quid facere debeat.

Act. 10.

Cornelius, tametsi ab Angelo Dei visitatus,
fidei doctrinā discat, ad Petrū mittitur. V
ipse Caluinus veritate victus ita scrib

Caluinus seipsum refutat.

Quisquis vult Christi discipulus esse, & illumi
cælestis sapiētiæ luce, ad externam hominum voc
qua Christus tanquam organo vtitur, & cui fid
nostram vult esse annexam, attentum se ac docil
præbere ne grauetur. Hæc ille. Sic igitur qu
renda veritas; ipso se ipsum pulchre refut
Caluino. Qui enim alijs se docilem &
tentum præbere debet, ille de prudentia
discretionis Spiritu, sua propria Scriptur
rum indagatione confisus, præsumere cer
non debet. Cæterùm de his Christi verbis
Quærite, & inuenietis, in Antidotis nostris

Euang-

Euangelicis aliqua diximus, *sed plura* & vberiùs in Promptuarij nostri Catholici parte Quadragesimali. Concidit igitur prorsus Caluini fundamentum ad Satanæ decipulas fugiendas adinuentum, singulis eius argumentis ad istud conficiendum nullam planè vim habentibus. Qui ab omnibus Satanæ impostoris, ab omnibus pseudoprophetarum fallacijs liber & immunis esse cupit, Ecclesiam audiet, à Christo in authoritate positam, vt omnem in terris veritatem doceat.

Ad Ioan. caput 7. vers. 17. In fer 2. hebdom. 2.

20. *Et offerentes eos Magistratibus dixerunt: Hi omnes conturbant ciuitatem nostram, cùm sint Iudæi.*

CVm eo tempore diuinas Scripturas fœdis suis & impuris manibus contrectaret Caluinus, quò aduersus pullulantes hæreses, tam suas Geneuæ natas, quàm alias alibi exortas, aliqua vigilaret legum disciplina; & seditiosi sectarij pacem Ecclesiæ turbãtes aliquo coërcerentur tam Ecclesiasticæ censuræ quàm secularis brachij vigore ac vindicta: sicuti ad impiæ suæ ac suorum causam tuendam alijs Scripturis (quoquo modo fieri potuit) abusus est; ita & hac historiæ Apostolicæ parte contra eam, quæ tunc aliquatenus vigebat, hæreticorum inquisitionem abuti voluit. Sed alia longè hodie rerum facies (ex eo ipso potissimùm

alia,

alia, quòd illa, de qua conqueritur, inqui-
tio mollior & remissior æquo fuerat) quàm
in sectam suam hæc querela & accusatio
amussim quadret, ad oculum demonstra-
Versutè (inquit) *conficta fuit hæc crimmatio*
grauandos Christi seruos. Nam quamuis improbi
nequiter se gerant hostes Christi, aliquas tamen pe-
candi causas excogitant. Imò etiamsi clarè appare-
eorum cupiditas, ferrea tamẽ fronte semper aliqua
ingerunt ad tegendam suam turpitudinem. Ha-
in genere impiorum persecutorum & Ec-
clesiæ hostiũ accusatio verissima est. Nunc
ad quam hypothesin descendat, videamus.

Caluini querela de persecutione aduersus hæreticos

Ita hodie (inquit) *quicunque ex Papistis sunt acer-*
rimi zelotæ legis suæ, nihil tamen in animo habent
præter suum quæstum ac dominationem. Deierant
per omnia sacra licet pio affectu se cogi, res tamen ipsa
clamitat zelum eorum accendi ex frigore cultus
& eius flabellum esse ambitionem. Et vnde hoc
probas, Caluine? *Nam*, inquit, *sunt vel fame-*
lici canes, vel leones qui nihil nisi sæuitiam spirant.
Egregia verò probatio, quæ crimen inten-
tatum nihil quàm alijs verbis repetit & a-
seuerat: quasi fortiter bacchari & calũniari,
esset luculenter & inuictè probare. Cæte-
rùm ad totum hoc bacchandi genus, quo
homo impius, quod Dei proprium est, sibi
sumit, vt sit scrutator cordium & renum,
Deiq́ue iudicist non præuenit modò contra
1. Cor. 4. Paulum, qui iubet *neminem ante tempus iudi-*
care, sed & arrogat quoque; *iudicans consilia*
cordium,

cordium, & illuminans abscondita tenebrarum, quod soli Deo Paulus tribuit, alio in loco quæ sufficere possunt, vbi easdem fœtidas sordes iterum euomuit Caluinus, diximus. Nunc quid externi operis & in oculis hominum positi accuset, audiamus. *Calumniatur seditionem mouere Christi seruos, & pacem publicam turbari obtendunt à Paulo & eius comitibus. Eodem titulo odiosè traductus fuit Christus Luc.23.5. & Ioann.11.48. Et nunc ad creandum nobis odium nihil magis plausibile habent Papistæ quàm dum clamitant non aliò spectare doctrinam nostram, quàm ad turbas miscendas, vt tandem fœda sequatur rerum omnium confusio.* Hæc sanè accusatio, maximè contra sectam Caluinisticam, quàm luculenter vera ac certa sit, multorum iam annorum experientia ad oculum docuit. Et ne longè à Caluino abeamus, ipsam Geneuam quomodo Farellus & Viretus Caluini sodales primùm occupauerunt, nisi concitata seditione, vno & eodem die contra legitimum Principem Sabaudiæ ducem apertè rebellando, & loci Episcopum ciuitate eijciendo. Ipse postea Caluinus eas Geneuę seditiones mouit, vt pelli ciuitate homo nefarius debuerit; donec postea, vbi Argẽtinæ aliquandiu resedisset, factionis suæ studio reuocatus, per quos eiectus fuerat, ipse vel eijci, vel capitis aut fortunarũ discrimen subire coëgerit. Sanè hæresis Caluinianæ ita indiuiduâ esse comitem

Caluinistica secta seditiosa.

tem seditionem ac turbas, adeò ipse non diffitetur Caluinus, vt in lib. suo de scandalis, in secunda classe scandalorum quæ exortum Euãgelium secum adfert, seditioni ac turbis primum locum tribuat; & hoc scandali genus adeò non deprecetur, vt hũc in modum illum locum concludat: *At Euangelio recedere vt seditionibus obuiam eatur, nimis peruersum est.* Denique, vt vno verbo complectar omnia, Caluini secta quàm est ad concitandas seditiones nata, ad miscendas turbas facta, ad fœdam rerum omnium confusionem introducendam comparata, Hugonotarum in Gallia, & Batauorum in Belgio, tam frequentes, tam potentes rebelliones, toti orbi testantur. Iam verò suarum sibi seditionum machinandarum, & irrequieti ac turbulenti spiritus optimè conscij Caluinistæ Angli, ad creandum illic Catholicis odium nihil magis plausibile habent, quàm dum clamitant, Principiúque persuadent, non aliò spectare Catholicorum nobilium in Anglia constantiam, qui Caluinistarum sacrilegijs interesse nolunt; non aliò spectare Sacerdotum illic Catholicorum pias operas, qui fidem orthodoxam publicè ac per domos docendo, & Sacramenta administrando, in eo regno fouent; non aliò spectare Catholicorum Anglorũ studia, qui de rebus hodie in religione cõtrouersis seu vernaculo seu Latino

Tract. de scandalis, pag. 126.

sermone

sermone conscriptos libros in patriã transmittunt, quàm ad turbas miscendas, ad seditiones in regno concitandas, ad Principem suo solio deturbandam. Sic eorum contra Catholicos loquuntur edicta, decernunt comitia, grauissima & extrema profitentur supplicia: sed quàm immeritò, quàm penitus falsò, multis iam editis libris toti orbi innotuit. Videri hac de re possunt, liber contra persecutores Anglos, Andreas Philopater contra edictum Reginæ Angliæ Didymi Veridici Apologia, ac demum concertationes Catholicorũ in Anglia in vnum volumen congestæ, Remis, Lugduni, Constantiæ, & Treueris edita. Interim quod hîc in sua causa concludit Caluinus, idem & nos concludimus: *Sed hanc falsam infamiam Christi & Pauli exemplo fortiter nos spernere decet, donec malitiam hostium nostrorũ in lucem producat Dominus, & impudentiam refellat.*

21. *Et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani.*

HAEc quoque verba in aliquod Catholicæ fidei præiudicium torquere posse confidens Caluinus, artis suæ specimen etiam hoc in loco edere voluit. *Præiudicio* (inquit) *nituntur, ne causa veniat in disputationẽ: qualiter & Papistæ hodie nobiscum agunt: Hoc in generali Concilio decretum est: Magis recepta est opinio*

opinio, quàm vt fas sit dubitare: Hoc diuinus vsus approbauit: Hoc plusquam mille seculorum consensu sancitum est. Ita sanè. Sic contra Nouatores disputant Catholici, contra hæreticos orthodoxi, contra schismaticos Ecclesiæ filij. Sic contra veteres hæreticos antiquissimi Patres, [a] Tertullianus in Præscriptionibus aduersus hæreticos, & in principio libri contra Hermogenem; [b] Hieronymus contra Origenistas, & contra Luciferianos; [c] Gregorius Nazanzenus contra Arianos; [d] Hilarius aduersus eosdem; [e] Irenæus contra Valentinianos; [f] Cyprianus aduersus Nouatianos; [g] Augustinus aduersus Donatistas; [h] Optatus aduersus eosdem; [i] Basilius aduersus Eunomianos; quorum omnium verba alio [k] in loco produximus. Et quare tãdem hoc maximum & fortissimum contra hæreticos præiudicium Caluino displicet, nisi quia ipse hæreticus erat, & Ecclesiæ consensum, authoritatem, fidem, ferre non valuit? An fortè aliquid argumenti habet, quo hũc fortissimum Ecclesiasticæ antiquitatis arietem retundat? Videamus quid contrà disputet. *Sed quorsum* (inquit) *hæc omnia, nisi vt verbo Dei nihil authoritatis relinquant? Iactantur hominum placita: interim Dei legibus ne extremus quidem locus conceditur.* Cui breuiter respondeo: Antiquitatis Ecclesiasticæ præiudicium, Conciliorum saluberrima authoritas, mille seculorum

Antiquitatis Ecclesiasticæ præscriptio contra hæreticos defenditur.

a. Cap. 1.
b. In Epist. ad Pammachium & Oceanũ
c. Epist. 2. ad Cledonium.
d. In lib. de Synodis.
e. Lib. 3. cap. 3. & 4.
f. In lib. de vnitate Ecclesiæ.
g. Epist. 42
h. Lib. 2.
i. Epist. 72.
k. De princip. fid. l. 4. cap. 3.

lorum consensus, aduersus omnes hæreticos, & ipsos maximè Caluinistas, rectissimè & fortissimè producitur, premitur, vrgetur; non vt verbo Dei, Deique legibus nihil authoritatis relinquatur, nedum vel extremus quidem locus concedatur; sed quia verbum Dei & Dei leges melius intellexerunt, purius crediderunt, sanius docuerunt, generalia Concilia, tot seculorum Patres, Episcopi, Doctores, quàm nouelli cuiuslibet ætatis hæretici, ab Ecclesiæ Catholicæ radice præcisi, & gremio electi. Nec hîc iactantur hominum placita neglecto Dei verbo; sed eorum hominum voces audiuntur, decreta fidei creduntur, iudicium & authoritas in pretio habentur, quos veluti semetipsum audire Christus iussit, qui ad Dei verbum prædicandum, docendum, explicandum legitimè missi sunt, quibus, vt Ecclesiarum Præpositis, obedire & subiacere Apostolus iussit. Caluinus insigni fraude & nequitia suas diuini verbi deprauationes, suas sanctę Scripturæ corruptelas, sua impia & profana placita pro *Dei verbo Deique legibus* obtrudit. Conqueritur *Dei verbo nihil authoritatis relinqui*, nempe pro ut ille Dei verbum exponit, corrumpi, deprauat. Clamat *Dei legibus ne extremum quidem locum concedi*; nempe quia Caluini placita, & portentosa dogmata, Conciliorum generalium decretis & millę seculorum consensui postponuntur. Hac

Controuersiarũ hodie status.

Caluini larua detrahitur.

diu fraude mundo illusit Caluinus, illuserit atque insultarunt hæretici. Omnem Ecclesiæ authoritatem, cõsensum, iudicium, reiiciunt, vt Dei verbum regnet. Interim Dei verbum illud est, quicquid illi ex diuina Scriptura scelerate depravata impiè ac nefariè colligere possunt. Quod huius etiam loci tractatio luculenter ostendit. Vide enim, Lector, quomodo hæc Paganorum infidelium contra Apostolos verba Christianis Catholicis contra quemlibet hæreticum accommodet. *Quatenus* (inquit) *valere debent hæc præiudicia, ex præsenti loco statuere licet. Præclaræ erant leges Romanæ. Sed religio nunquam aliunde quàm ex solo Dei verbo pendet. Ideo in hac causa semper attentè videndum, vt, hominibus in ordinem coactis, vna præualeat Dei authoritas, isque, quicquid excellit in mundo, subijciat.* Hæc est igitur Caluini collectio: Philippenses illi, colonia Romana, homines idololatræ iuxta ritum Romanorum, qui adhuc Christum nesciebant, mores & instituta sua idololatrica, quæ longo tempore inualuerant, contra Apostolicam de Christo prædicationem recenter tunc Gentibus illatam, allegare, aut ex eis præiudicium facere non debebant. Ergo contra quemlibet hæreticum sua recenter spargentem dogmata, nulla Conciliorum generalium authoritas, nullus in Ecclesia Christiana antiquissimus vsus, non vel mille seculorum in vna & sola

Ecclesia

Dei verbum vocant hæretici proprias verbi corruptelas.

Caluini fœdus & impius paralogismus.

Ecclesia Christi consensus vel allegari vel aliquod præiudicium facere debet. Quis nō videt quàm nefariè Historiam Apostolicam impurus impostor deprauet? Ab idololatris ad Christianos, imò ad omniū Christianorum à mille seculis Magistros; & ab Apostolica recenti prædicatione ad quamliber nouellam hæresim, disputat, argumentatur, concludit. Sed de hoc non minùs impio quàm absurdo argumentandi genere paulò superiùs contra Caluinum latè disputauimus. Ad cap. 14 vers. 15.

31. *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua.* 32. *Et locuti sunt verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius.*

SOlius fidei iustificantis placitum horum temporum hæretici, diuinæ charitatis & bonorum operū iurati hostes, sic arcto amore complexi sunt, vt vbicumque vox fidei aut credēdi præceptum in Scripturis sonat, ibi cōfestim suam solā fidem iustificantem, veluti adamatam suam, loquentem se audire videātur, eiusque in amplexus currant: non absimiles sanè Herodi seniori, qui cùm dilectissimam suam cōiugem Mariamnem præcipiti consilio è medio sustulisset, eā tamē, veluti adhuc superstitem, sæpissime aduocabat, & à satellitibus suis aduocari iubebat. Sic enim illi mortuam iamdudum, penitusque Ioseph. Antiquit. lib. 15. c. 11.

nitusque profligatam, & iusto Ecclesiæ Catholicæ decreto damnatam *solam fidē iustificantem*, veluti adhuc in Scripturis viuētem, ad quamlibet de fide vocem, solam suam fidem iustificantē coràm adesse & loqui imaginātur. Ad hæc quippe simplicissima Pauli verba, *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris*, sic solam fidem iustificantē ex ore Pauli audire sibi visus est Caluinus, vt veluti certissimè præsentem lectoribus eam suis his verbis commendet, quasiq; digito demonstret. *Duo* (inquit) *hic notanda sunt: primum, Christum esse vnicum fidei scopū: ideo nihil quàm vagari hominum mentes, quum ab eo declinant.* Rectè quidē istud & verè de fidei in Christum necessitate dicitur, estque mel Caluinianum, quo lectoris sui os tātisper illinere voluit, vt subsequens venenum suauiùs ac faciliùs deglutiat. Ad quā rem alio etiam artificio vtitur. Priusquam suum illi toxicum propinet, Catholicorum doctrinam traducit, & lectoris animū Catholicæ Ecclesiæ (quæ longè aliud docet) odio imbuit. *Itaq;* (inquit) *nihil mirum si tota Papatus Theologia immane sit chaos, & horribilis labyrinthus; quia, neglecto Christo, sibi in vanis & ventosis speculationibus indulgent.* Grauis & fœda accusatio, sed quā nec minimo verbo probat. Satis habuit impudenti mēdacio & terrificis verbis (*Immane chaos, horribilis labyrinthus*) lectorem suum attonitū reddere, & totius Catholicæ Ecclesiæ odio (ne, quid

Caluinus veneficus artificiosus.

Catho-

Catholici doceant, vel minimum aduertat) efficaciter imbuere. Nam nihil quã ſcurriliter mẽtiri nebulonem, tota Catholica doctrina, & ipſa maximè Scholaſtica Theologia (vbi de Chriſto eiusq; totius vitæ ac doctrinæ partibus ſingulis copioſiſsimè diſputatur) omnibus qui vel primis labris eã attigerũt, luce meridiana clariùs demonſtrãt. Hoc igitur duplici artificio vſus, ad ſuã adamatam, quam hîc præſentem ſomniauit, accedit, ſuumque toxicum (animo lectoris hactenus ad id prẽparato) apertè effundit. *Deinde* (inquit) *notandum eſt, poſtquã fide amplexi ſumus Chriſtum, id vnum ſufficere ad ſalutem.* Hoc quidem *notari* iubet Caluinus, & ſolã ſuam fidem ſaluãtem quaſi præſentem digito demonſtrat. Sed illa in verbis Scripturæ Apoſtolicæ nuſquam apparet. Si enim docente Paulo, *Crede in Dominũ Ieſum, & ſaluus eris*, docuit Paulus, poſtquam fide amplexi ſumus Chriſtũ, id vnũ ſufficere ad ſalutẽ; ergo alio in loco dicente Chriſto, *Hoc fac, & viues*, docuit Chriſtus, poſtquã Deum & proximum dilexerimus, id vnum ſufficere nobis ad vitam æternam, ſiue in Chriſtũ credamus, ſiue nõ. Caluinianæ conſequutionis abſurditatẽ & impietatẽ quis nõ videt? Audiamus tamẽ quæ apud eũ ſequuntur, an hanc ſuam notationem adamatam quoquo modo probabilẽ nobis reddere queat: imò an nõ eam longiùs diſputando ipſemet egregiè refutet.

Caluini ſtolidus paralogiſmus pro ſola fide. Luc. 10. 28.

Sed posterius (inquit) *membrum, quod mox subnectit Lucas, melius fidei naturam exprimit. Iubent Paulus & Silas custodem carceris in Filium Dei credere. An præcisè in hac vna voce subsistunt?* Nequaquam sanè: quo magis impius Caluinus est, qui ex eo verbo colligit, id vnum, credere in Christum, sufficere ad salutem. Si enim in ea vna voce præcisè non subsistit Paulus, quare in ea vna fide subsistit Caluinus, & illam vnam fidem ad salutem sufficere affirmat? Sed cum Caluino pergamus: *Imò sequitur apud Lucam in contextu, ipsos annuntiasse sermonem Domini.* Hoc sanè sequitur; & hoc ipsum docet, Paulum & Silam non hoc solùm custodem illum carceris docuisse, *vt crederet in Dominum Iesum*, sed alia quoque ad salutem necessaria docuisse: nempe vt Dei mandata seruaret, idque iuxta communem legationis formam omnibus Apostolis à Christo datam, quam à Paulo prætermissam fuisse, nisi admodum impiè, cogitari potest. Forma autem legationis hæc erat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. docentes eos seruare omnia quæcumque præcepi vobis.* Sic Paulus & Silas hũc custodem carceris docuerunt & baptizarunt, docentes eum non solùm credere in Dominũ Iesum, à quo doctrinæ exordium capiebant, sed docentes eum præterea *seruare omnia quæcumque mandauit Christus.* Et hæc est illa *verbi Domini annunciatio*, quam Lucas in con-

Matth 28.

Mandatorum obseruatio baptizandis iniuncta.

in cõtextu subnectit. Quod & in prima Petri concione fecerat: cuius summa de fide in Christum crucifixum commemorata, subnectit: *Alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens, Saluamini à generatione ista praua. In his verbis* (ait S. Augustinus) *erat mortuorum operum cõdemnatio, quæ nequiter agunt huius seculi dilectores, & commendatio vitæ, quam teneant atq. sectentur qui se ab hoc prauo seculo eripiunt. Iam itaque, si placet, affirmare conentur, eum se eripere ab hoc seculo prauo, qui tantummodo credit in Christum, etiam si in flagitijs, quibus voluerit, perseueret vsq. ad professionẽ adulterij. Quod si dicere nefas est, audiant baptizãdi nõ solùm quid credere debeant, sed etiam quẽadmodũ se ab hoc seculo prauo eripiant. Ibi enim necesse est vt audiant quemadmodũ credentes viuere debeant.* Hæc hactenus Augustinus. Et paulò pòst, tractãs prædicationem Philippi, qui Eunucho *euangelizãs Christum*, nihil aliud dixisse à Luca memoratur, quàm, *Si credis ex toto corde, licet te baptizari*, quod pro solius fidei sufficientia quidam rapiebãt, vt hoc loco Caluinus, scribit iterum Augustinus: *Si Scriptura in eo quod ait, Baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta illa omnia, quæ, licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen serie traditionis scimus implenda; pari modo etiam in eo quod scriptum est, euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est & illa in Catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent eius qui credit in Dominum Ie-*

Act. 2.

De fide & operibus cap. 2.

Ibidẽ c. 9.

num Iesum. Hoc est enim euangelizare Christum, non tantùm dicere quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ obseruanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi. Hæc iterum Augustinus. Sic & quod Lucas hoc loco verbis Pauli & Silæ, *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris*, subtexuit, *Et locuti sunt verbum Domini*, docet Paulum & Silam, quæ de Christo credenda, & quid credentibus in Christum faciendum erat, pluribus verbis docuisse: vt istud posterius membrum apud Lucam non *fidei naturam*, vt somniat Caluinus, sed totius Euangelicæ doctrinæ naturam & summam melius expresserit. At ex his verbis quid colligat Caluinus pro fidei natura aduertamus. *Videmus ergo* (inquit) *vt fides non levis sit vel arida opinio de rebus ignotis, sed liquida distinctaque Christi cognitio ex Euangelio concepta. Absit rursum Euangelij prædicatio, nulla iam restabit fides. In summa, Lucas fidem cum prædicatione & doctrina coniungit; & postquam de fide breuiter locutus est, exegetice refert verum & legitimum credendi modum.* Ad suas hæreses quoquo modo stabiliendas vigilans & attentus est Caluinus. Inter alia insana hæreticorum hodie dogmata, vnum est; fidem ex Euangelica prędicatione nasci. Quod vt de fide generaliter accepta, siue de doctrina fidei & omnium credendorum verissimum est, ex parte causæ externæ (*Quomodo enim credent quem non audierunt? & quomodo audiet sine prædicante?*)

Sacri textus fœda corruptio

Rom. 10.

sic in

sic in sensu hæreticorum hodie, videl. fidem seu fiduciam & certitudinē remissionis peccatorum ex Euangelij prædicatione nasci, & tunc per Ecclesiā remitti credētibus peccata, quando per Ecclesiæ Ministros prædicatum de Christo Euāgeliū creditur, fideq; apprehenditur, merum figmētum est, vt latiùs alio in loco cōtra inanes Caluini disputationes ostendimus. Hoc suorū hominum figmētum ex hoc loco stabilire se posse Caluinus arbitratur. *Videmus* (inquit) *vt fides* (intellige semper fidem Caluinianam, quæ est beneuolentię erga nos diuinæ certitudo, & de data peccatorū remissione certa persuasio) *est liquida distinctaque Christi* (nos scilicet iustificantis, & peccata nostra perpetuò remittentis) *cognitio ex Euangelio cōcepta*. Et vnde hoc vides, Caluine? *Quia Lucas adiunxit de Paulo & Sila, Loquuti sunt illis verbum Domini*. Sed in hac locutione, seu annūtiatione, seu prædicatione verbi Domini, quod tandem vel minimum fidei Caluinianæ vestigium appareat? Ex hoc sanè loco apparet, Paulum & Silam custodem illum carceris nō solùm ad credendum hortatos fuisse, sed prolixiorem adhuc illi verbi Euangelici explicationem fecisse; vnde manifestè sequitur, non in sola fide doctrinam Euangelicam consistere, nec in illa vna voce, *Crede in Dominum Iesum*, quasi id vnū sufficeret, (quod hìc Caluinus affirmat) Paulum ac Silam substitisse,

In Antid. Euang. ad Ioan. c. 20. vers. 23.

sed alia adhuc plura custodem illū docuisse. Quæ illa plura fuerint, tutiùs ac certiùs ex forma Apostolicę prædicationis (Matth. 28. 20.) atq; ex D. August. explicatione (vt iam dictum est) quàm ex vllis Caluini figmentis intelligere debemus. Interim aduertat Lector, ad eius collectionis probationem, qua colligit, *quia Paulus iussit credere* in Christum vt saluus esset, *idcirco id vnum ad salutem sufficere*, nihil afferre Caluinum.

Caluinus suū principale paradoxum nec vno verbo probauit.

Nunc quia paulò latiùs Paulum ac Silam verbum Dei annūciasse Lucas commemorat, rapit inde Caluinus reprehendendę Catholicæ doctrinæ ansam. *Ideo* (inquit) *pro figmento implicitæ fidei, de quo balbutiunt Papistæ, teneamus fidem verbo Dei implicitam, quæ nobis Christi virtutem explicet.* Cui eius conclusioni respondeo: Pro figmento solius fidei iustificantis, & specialis huius fidei Euāgelio annexæ, de quo tam multa balbutit Caluinus, teneamus fidem verbo Dei implicitam, illi sanè verbo Dei quod Paulus scripsit: *In Christo Iesu neque præputium neque circuncisio aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur*: quæ vna fides per charitatis opera iustificans, virtutem Christi nobis explicat. Fides implicita, de qua tam crebrò balbutit Caluinus, tametsi liquidam & explicatam cognitionem Christi non habeat, non tamen eorum est qui Christum ignorant, aut qui in Christum non credunt, aut denique talis fides, vt sic cre-

Gal. 5. 6.

Fides implicita quæ & qualis.

sic credentes Christi beneficio ac vita per Christum spoliet. In fidem implicitam non ipsa explicatè credenda fidei dogmata cadunt, sed altiora quædam fidei mysteria, quoad causas & connexionem eorum. Credit quilibet Christianus in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. in Filium Dei incarnatum, de Virgine natum, de Spiritu S. cõceptum, & reliqua quæ in Symbolo continentur. Credit adhuc alia in Concilijs contra varios hæreticos definita, aut saltem credere ea paratus est vbi id edoctus fuerit. Cæterùm quia non quilibet Christianus horum omnium tam liquidam & explicatam cognitionem habet, vt vel singula de Deo ac Christo in Concilijs definita teneat; vel, si ea tenet, rationes & connexiones singulorum cognoscat; nec intelligat quomodo vnica Dei essentia in tribus personis subsistat, cur vna persona Pater, alia Filius, tertia Spiritus Sanctus vocetur; quomodo Christus cum duabus naturis in vna persona subsistat; quomodo Deo Patri consubstantialis; quomodo ex solo Patre Filius, ex Patre & Filio Spiritus S. suam originem accipiat; quia, inquam, hæc non intelligit, sed quod de istis credit Ecclesia, quod maiores eius Ecclesiarum Pastores credunt, hoc ille etiam firmiter credit; idcirco de his omnibus fidē implicitā habere dicitur: nec aliā habere simplex & idiota Christian⁹ tenetur.

Iam

Iam quia Caluinus ex hac Pauli & Silæ prædicatione custodi carceris ac domesticis eius facta, hanc fidem refellere, liquidâ verò & explicitam Christi cognitionem singulis necessariam probare contendit; vt eius in hac parte dementia omnibus perspicua fiat, quæro à Caluino, quo tandem modo fieri potuit, vt Paulus ac Silas custodem illum carceris, eiusque domesticos, claram & explicitam Christi cognitionem, omnium (inquam) fidei dogmatum liquidam & explicitam notitiam, illa vna nocte docere potuerint, qua & crediderunt & baptizati fuerunt illi omnes, posteáque Pauli ac Silæ vulnera lauerunt, & adductos è carcere in domum, mensam illis apposuerunt. An tantillo tempore liquidam & explicitam Christi cognitionem tradiderunt; talem, inquam, quæ nihil implicita fide credẽdum nouellis illis Christianis relinqueret? Hoc si nisi absurdissimè dici potest, vanus & insulsus Caluinus, qui ex hac Pauli & Silæ prædicatione tam liquidam & explicatã Christi cognitionem recentibus illis discipulis traditam infert, quæ fide omni implicita careret, eamque à Catholicis assertam veluti inane figmentum conuinceret. Tandem, an omnes hodie sectæ Caluinisticæ Ministri (vt de turba populari taceã) tam liquidã & explicitam Christi cognitionem tenent, vt nihil prorsus implicita fide credãt? vt omnia fi-

Paulus ac Silas fidẽ hoc loco implicitã in aliquibus docuerunt.

nia fidei mysteria, eorum rationes, cõnexiones, causas explicitè teneãt, vt nihil de Deo ac Christo eius contra varias hæreses definitum ignorent? Id certè qui credit, valde id implicita fide credere debet: quum nihil sit hodie indoctius sectæ Caluinisticæ (saltem in Anglia) Ministris. Sed Caluinianas ineptias refutandi nullus finis. Ad grauiora pergamus.

CAP. XVII.

2. *Per sabbata tria disserebat eis de Scripturis.*

MIRABILE ex his verbis corollarium infert Caluinus: *Dicit Lucas Paulum disputasse ex Scripturis. Ergo non nisi ex ore Dei petendæ sunt fidei probationes. Si de rebus humanis sit disceptatio, tũc habeant humanæ rationes locum. In fidei verò doctrina, sola Dei authoritas regnare debet, atque ab ea pendere nos conuenit.* Hactenus quæ de ore Dei, eiusque authoritate sola in fidei doctrina attendenda disputat, verissima sunt; & ad illud axioma confirmandum, quod olim constituimus, varijsque Caluinistis displicere audio; *In doctrina fidei, non quid dicatur, sed quis loquatur, attendendum esse, quia quod credimus, authoritati; quod scimus, rationi debetur;* plurimum valent. Cæterũm non est hoc illud ad quod Caluinus hoc loco collimat. Aliud

In Principijs fidei doctrin. lib. 10. c. 6

Aliud ille spectat, vt sequētia proximè verba demonstrant. *Fatentur quidem* (inquit) *omnes, acquiescendum esse vni Deo: sed interea pauci sunt qui loquentem in Scripturis audiant. Atqui si valet inter nos illud axioma, Scripturā à Deo profectam; non aliunde sumenda erat vel docendi vel discendi regula.* Hæc est ergo Caluini ex hoc loco deductio: Paulus ex Scripturis disputauit; & Scripturam à Deo profectam esse, certum est inter nos axioma: ergo nō aliunde quàm ex solis Scripturis sumenda est vel docendi vel discendi regula. Vide nunc in similibus stultissimæ consequentiæ dementiam. Petrus in prima sua concione ex Ioëlis prophetia disputauit; & Ioelis prophetiam à Deo esse profectam, certum est inter nos axioma: ergo non aliunde quàm ex sola Ioelis prophetia sumenda est vel docendi vel discendi regula. Rursum, Paulus reddens rationem doctrinæ suæ coram rege Agrippa, ait: *Auxilio adiutus Dei, vsque in hodiernam diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses.* Certum autem est inter nos axioma, quæcumque Prophetæ & Moyses locuti sunt, à Deo esse profecta: ergo non aliunde quàm ex solis Prophetis & Moyse sumenda est vel docendi vel discendi regula. Quòd si istæ consequentiæ primà statim facie absurditatem suam loquuntur, profectò nec minùs absurda hæc Caluini

Caluini stolidus paralogissmus.

Act. 2. 16.

Act. 26. 22.

conse-

consecutio est. Collectionis quippe forma non secus valet à qualibet Scripturæ parte procedens, quàm ab vniuersa: maximè cùm Paulum in illis tribus sabbatis ex vniuersa Scriptura disputasse verisimile non sit; magisque probabile, quòd ex illis tantùm partibus, quæ de more in Synagoga lectæ fuerunt, disputauerit. Sed in alio adhuc simili consequentiæ huius fatuitatem demonstremus. Paulus, *quod accepit à Domino, hoc tradit Corinthijs* de Cœna Domini: quicquid autem Paulus à Domino accepit, certum est inter nos axioma à Deo profectum id esse: ergo non aliunde quàm ex solis illis quæ Paulus à Domino accepit, sumenda est vel docendi vel discendi regula. Rursum: Paulus *Euangelium* quod euangelizatum ab ipso est, *neque ab homine accepit, neque didicit, sed per reuelationem Iesu Christi:* quod autem Paulus per reuelationem Iesu Christi accepit, certum inter nos axioma est à Deo esse profectum: ergo non aliunde quàm ex sola reuelatione Iesu Christi, ne quidem ex Scripturis ipsis, sumenda est vel docendi vel discendi regula. An non pulchra Caluini hæc est pro solis Scripturis consecutio, quæ in eadem collectionis forma ipsas Scripturas à docendi ac discendi regula excludit? Hæc est videl. ex vno posito aiente particulari, conclusionem inferre vniuersaliter negantem; ac si sic quis colligeret; Panis ad corporis sustentationem est com-

1. Cor. 11. 23.

Gal. 1. 11. 12.

Scriptura non est vnica docendi & discendi regula.

est commodus & necessarius: ergo nec potus, nec caro, nec piscis, nec quicquam aliud esculentum aut poculentum, ad corporis sustentationem valet. Et tamen post tam insulsam consequentiam etiam à puero ridendam, vide, lector, quàm magnificè contra Catholicos quasi capta Troia Caluinus triumphet. *Vide* (inquit) *apparet, quam diabolico furore agantur Papistæ, cùm negant ex Scripturis posse quicquam certi colligi, atque ideo contendunt standum esse hominum placitis.* Atqui si contra Catholicos furiosus hic disputator ex priori sua conclusione aliquid probabiliter disputare vellet, eo illos nomine taxare debuerat, quòd non ex solis Scripturis omnem fidei doctrinam peterent, sed aliunde quàm ex illis eam quærerent. Illa enim fuit hominis conclusio præcedens. Nunc non contentus illa sua collectione (tametsi, vt ostensum est, furoris ac dementiæ plena) Catholicos premere, dementiam suam auget, & furore planè diabolico affirmat negare Papistas, non solùm ex solis Scripturis omnem fidei doctrinam colligi oportere, sed ne quidem *ex illis aliquid certi colligi posse*: id est, non solùm diuinis Scripturis aliquid à Catholicis addi ad fidei doctrinam comparandam, sed & ipsas Scripturas ab omni fidei doctrina inde petenda per illos penitus remoueri. Cæterùm quo furiosiùs bacchatur, eo se magis palpandam cuilibet lectori

Caluini triūphus à puero ridendus.

Caluini inexplebilis virulentia.

ctori inexplebilis hominis virulentia præber. Lippis enim ac tonsoribus, vt in prouerbio est, notum est, adeò non negare Catholicos ex diuinis Scripturis aliquid certi colligi posse, vt tũ in suis scriptis omnibus, omniq́ue theologica disputatione, ex ipsis Scripturis quàm plurima fidei dogmata colligant, concludant, probent; tum disertè doceant, ex diuinis Scripturis multo maximam fidei doctrinam, & quidem in genere omnem, colligi posse ac debere; aliqua tamen esse de fide credenda, quæ ex solis Scripturis, Ecclesiastica traditione & interpretatione neglecta, colligi non possunt. Contendunt igitur Catholici, non quidem *esse stadum hominum placitis*, vt cauillator Caluinus nugatur, quasi illis aut solis aut seorsim ac per se acceptis standum diceret; sed standum esse tam traditioni Apostolicæ, quoad quędam dogmata in diuinis Scripturis non expressa; quàm interpretationi Ecclesiasticæ, quoad fidei dogmata etiam in Scripturis expressa; ne praua & contorta cuiuslibet hæretici deprauatio ipsas nobis Scripturas auferat; aut certè earum nobis vsum & fructum penitus eripiat. In hoc vtroque genere non hominum placitis stamus, sed Spiritus S. decretis ac doctrinæ, certorum hominum ministerio, quos Christus in authoritate posuit, non quorumlibet, ad nos perlatis acquiescimus. Istud hominum ministe-

Ecclesiastica traditio & interpretatio.

rium, per quos veluti sua organa Spiritus S. loquitur, tam ea interdum docendo quæ in Scripturis non exprimuntur, quàm ipsas diuinas Scripturas nobis exponendo, si Caluinus è medio tollere contendit, (ne forte hominum placitis stare videatur,) nõ solùm gigantum more Deo bellum indicit, & ordinem à Christo positum, vt verus Antichristus, subuertit, sed sibi etiam, totiusque sectæ suæ, aut alterius cuiuslibet ministerii (quarũ quælibet tum extra expressam Scripturam multa asserit, tum verbi Dei interpretationem sibi arrogat, & de fidei dogmatibus decernit) apertum bellum indicit: quod alibi ex ipsis Caluini verbis ostendemus.

Nunc in furiosa eius declamatione pergamus. *Quæro enim* (inquit) *an legitima fuerit nec ne disputandi ratio quam tenuit Paulus.* Respondeo, fuisse inprimis legitimam; sed non ex eo cõsequi, nullam præter eã legitimam disputandi rationem esse, quando & ipsum Paulum aliam alibi disputãdi rationem tenuisse nuper docuimus. Caluinus autem, quasi vno posito antecedente vero, quidlibet inde posset concludere, & collectionem suam præcedẽtem, puerili fatuitate plenam, firmissimam præsupponens, nõ nisi rixando & bacchãdo pergit. *Pudeat saltem eos* (inquit) *plus reuerentiæ habitũ fuisse verbo Domini in Gente incredula quàm hodie apud eos obtineat.* At quomodo

modo hoctã infame & crassum mẽdacium probas, Caluine? *Iudæi* (inquit) *Paulum admittunt & ferunt è Scripturis disputantem. Hoc mero ludibrio ducit Papa cum suis omnibus, dum Scripturam in medium adducitur, quasi flexiloquus sit illic Deus, & vanis ambagibus ludat.* An nõ huic furenti nebuloni, quum hæc scriberet, aliquo elleboro opus erat? Sed sic ille propheta furiosus suos dementare potuit, vt quidlibet mentienti fidem darent. Quicquid contra Catholicos deblaterare illi libuit, id pro oraculo creditum Geneuæ fuit: adeò sanè, vt quum eodem semel tempore Farellus & Caluinus Scripturas Geneuæ exponerent, rogatus quidam cur Caluinum semper, Farellum nunquam, adiret; responderit: *Si Farelli loco Paulus doceret, ego, relicto Paulo, Caluinum audirem.* Hanc in sua Cathedra Geneuensi fidem nactus Caluinus, vt quidlibet asseréti, fingenti, mentienti crederetur, eandem in commentarijs publicè emittendis fidem sibi à suis dandam præsumens, nullum exhorret mẽdacium, nullum refugit quantumuis puerile figmentum. Quod enim vel fingere mendacium crassius magisque palpabile potuit Caluinus, quàm vt diceret, *pro mero ludibrio à Papa & Papistis omnibus duci, quum in mediũ Scriptura adducitur*: quasi in Ecclesia Catholica nec in templis, nec in scholis, nec in libris vllis, Scripturarum vox audiretur: quasi nec in quotidiano officio

Caluini putidum mendacium.

Zanchius in epist. ad mis.

Caluino nullum mendaciũ satis crassum.

Scripturæ per totum annum legerentur; nec pro concione Pastores Catholici aliquid ex Scripturis dissererẽt; nec per Dominicas & Festa vlla vel Euangelia vel Epistolæ Apostolicæ populo explicarentur; nec aut Scholastici scriptores, aut cõtrouersiarum hodie tractatores, ex Scripturis vsquam disputarent; sed totum illud disputandi genus pro mero ludibrio haberẽt. Memini nostratem quendam virum nobilem, sed Caluinistica secta à puero imbutum, quũ ad aquas Spadanas ante aliquot annos concionatorem quendam fortè Ordinis D. Francisci conspexisset, totum stetisse attonitum; causam rogatũ, respondisse, se id vnicè mirari, quòd monachum concionantẽ videret: sibi enim hactenus à suis persuasum esse, monachos nunquam populo concionari; Scripturas populo nunquã exponere, nunquã tractare; sed in suis preculis demurmurãdis totos occupatos esse. Hę sunt Ægyptiacæ tenebræ, quibus Caluinistica secta, lucem Euangelij altiùs exortam crepans, miseros suos sectatores inuoluit; quas & hoc loco Caluinus lectori suo inducere, fœdaq; caligine eum obuoluere molitur.

Sed totam hanc tandem infamem eius declamationem absoluamus. *Huc accedit* (inquit) *quòd hodie multo plus lucis in Scripturis extat, & illic certior refulget Dei veritas, quàm in lege & Prophetis. Nam in Euãgelio sol iustitiæ Christus pa-*

stus pleno fulgore nos irradiat: quo minùs tolerabilis est blasphemia, dum certitudinẽ adhuc detrahũt Papistæ verbo Dei. Nos verò sciamus, vt nõ alibi fundata esse potest fides quàm in verbo Domini, ita in omnibus controuersijs non nisi eius testimonio standum esse. Hęc ille. Cui breuiter respondeo: Diuinę Scripturæ certitudinem Catholici non detrahunt, sed omnimodam sufficientiam soli literę sacræ negant. Quicquid ex scriptura rectè colligitur, aut in Scriptura perspicuè dicitur, certã & infallibilem veritatem esse nemo Catholicus negat. Sed nec omnia prorsus in Scriptura haberi, nec quę habẽtur absque certa interpretationis linea (quæ ex ipsis semper Scripturis duci nõ potest) firmiter teneri posse, Catholici affirmant: quam vtramque veritatem & nos inter alios pro nostro modulo olim demonstratam dedimus. Et quidem in solo verbo Domini fundata est fides nostra, nec nisi verbi Domini testimonio in omnibus controuersijs standum est. Sed hoc verbum Domini latiùs patet quàm Scripturarũ libri; sonatque non secus per os Ecclesiæ, quàm per Scripturę voces. Est enim *fides ex auditu verbi Dei*, quod non auditur nisi ex ore prædicantis Ecclesiæ, vt disertissimè Paulus docet. Esse fidem ex lectione solius Scripturæ, nec Paulus, nec vlla Scriptura vsquã docet. Quare sicut Paulus per tria sabbata, sic Pastores Catholici per omnes

De principijs fidei lib. 10 11. & 12.

Rom. 10.

in anno Dominicos dies, ex Scripturis disserunt, disputant, docent; sed non ex solis illis.

11. *Qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberent.*

MAgna cum animarum pernicie, & totius Ordinis in Ecclesia à Deo instituti perturbatione, contendunt ex hoc loco hæretici, fas esse cuilibet Christiano, cuiuscumque in Ecclesia doctrinam, quantalibet vel Conciliorum vel Episcoporum authoritate & consensu stabilitam, ad examen proprium reuocare: vt sic Scriptura à quolibet spiritu discretionis intellecta, non autem cuiusquam docentis authoritas, vnicuique sit credendi norma ac regula. Vt hac doctrina nihil pestilentius, veluti quæ omniũ hæresum & priuatarum de fide opinionum seminariũ est; ita eã hoc loco summa diligentia tractat, pertractat, & premit Caluinus. Totã impostoris nefarij disputationẽ, Deo dante, refutabo. *Duo* (inquit) *hic obijci possunt absurda. Nam arrogantiæ esse videtur, quòd inquirunt vt dijudicent, & à promptitudine, qua Euangelium credentes receperunt, valde alienum. Deinde, cùm inquisitio dubitationis signũ sit, sequitur, nullâ fide antè fuisse præditos, cui semper est annexa πληροφορία & certitudo.* Ita rectè quidẽ & mer-

Priuati spiritus iudicium à Caluino operosè defensum refutatur.

tò obij-

tò obijciuntur, veluti verè absurda. Nunc quid ad illa respondeat attendamus. *Ad primam* (inquit) *obiectionem respondeo, Non sic debere accipi Lucæ verba, quasi iudicium sibi sumpserint Thessalonicenses, vel disceptauerint an recipienda esset Dei veritas. Tantùm Pauli doctrinam exigebant ad Scripturæ amussim, non secus atque aurum igne probatur. Scriptura enim verè Lydius est lapis, ad quem examinandæ sunt omnes doctrinæ.* Hæc Caluinus. Sed hominis demẽtiam breuiter demonstro. Primùm, si hæc distinctio inter Dei veritatem & Pauli doctrinã admittenda est, vt de hac iudicare & disceptare liceat, de illa non liceat; age, qui de omnibus Pauli epistolis iudicare, & disceptare, ac de illis sibi iudicium sumere hodie vellet, an nõ hac pulchra distinctione suam impietatẽ à Caluino edoctus palliare posset, se quidem de Dei veritate, quam epistolæ Paulinæ complecti dicuntur, nec iudicare nec disceptare, sed tantùm de Pauli epistolis & Pauli doctrina iudicare ac disceptare, easq; ad amussim Scripturæ exigere velle? Planè eadem responsio similem impietatem eodem fuco tueretur. Non secus quippe Pauli prædicatio ac doctrina viua voce tradita ipsissima Dei veritas erat, quàm alia eius doctrina per epistolas tradita. Quam ob causam eisdem Thessalonicẽsibus Paulus scripsit: *Tenete traditiones*, id est, traditã doctrinam *quas accepistis*, vtique à me & ab alijs Apostolis; *siue per*

Pauli doctrinam à Dei veritate impiè distinguit Caluinus.

2. Thess. 2

ue per sermonem, viua voce traditũ; *siue per epi-stolas*, aut meas vobis atque alijs datas, aut etiam aliorum Apostolorum. Deinde, si de Pauli doctrina iudicare ac disceptare licea-

Gal.1.9. quomodo ad Galatas idem Paulus scripsit: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euãgelizauerit præter id quod accepistis*, vtique ex mea aut aliorum Apostolorum prædicatione; *anathema sit?* An non suæ prędicationi ac doctrinæ omnimodam obedientiam fla-

Gal.5.2. gitat? Quomodo rursum eisdem dixit: *Ego Paulus dico vobis, Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit?* Si de Pauli doctrina iudicare ac disceptare licet, facilè illi respondere-rent Galatæ: Quidquid tu, Paule, dicas, ad Scripturæ amussim tua verba exigemus; vt sit de ea iudicemus ac disceptemus rectáne ac Dei veritati cõueniens sit, an obliqua & ab ea deflectens: eo magis quo Dei Scriptura

Gen.17. apertè nobis prodidit, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meũ irritum fecit.* An non hæc Caluini distinctio pulchra ac præclara est, qua Dei veritatẽ à Pauli doctrina diuellit? Atqui Christus suam veritatem & Apostolorum prædicationẽ ita arctissimo vinculo coniunxit, vt illis dixerit: *Qui vos audit, me audit*; *qui vos spernit, me spernit.* Quidni etiam, Qui vos iudicat, me iudicat? Qui vestram doctrinam examinat, meã veritatem examinat? Impia ergo & multis modis absurda

Ecclesiæ doctrina cum Dei veritate arctissimo vinculo cõiuncta.

Luc.10.

surda (vt cætera taceamus) hæc Caluini distinctio est.

Quod de Scripturæ Lydio lapide subnectit, verũ quidẽ est; sed non aduertit impostor, præter ipsum lapidem, qui aurum probet, aurifice quoque opus esse, qui de colore iudicet, quẽ lapidis tactus adfert, verúmne an genuinum auri colorem referat, an non. Ita Scriptura quidẽ Lydius est veritatis lapis, vt, quæ Scripturæ colorem doctrina refert, illa indubiæ veritatis habenda sit; sed aurifice perito, *prudẽti patrefamilias, datis à Deo Pastoribus* opus est, qui de Scripturæ colore, sensu, & intelligẽtia iudiciũ ferãt. Nõ enim purum colorem, germanum ac genuinum sensum, diuina Scriptura à quolibet attacta, tractata, explicata reddit; *nec prophetia omnis propria interpretatione fit*; sed (vt ipse alibi Caluinus professus est,) *qui dedit nobis Scripturas, dedit etiam Magistros, Pastores, ac Doctores*, quorum ministerio & opera diuinas Scripturas intelligamus, omnisq; doctrina ad Scripturæ amussim exigatur. Hoc ipsius Scripturæ varia passim tum obscuritas tum ambiguitas necessariò exigebat. Quod hoc ipso loco præuidens Caluinus, hãc sibi ipsi obiectionem immediatè post præcedentia mouet. *Si quis* (inquit) *excipiat hoc genus examinis fore ambiguum, cùm sæpe obscura sit Scriptura, & in varios sensus flectatur; dico simul esse adhibendũ iudiciuu Spiritus, qui nõ abs re vocatur Spiritus discretionis.*

Scriptura quomodo lapis Lydius.

Luc. 12. Ephes. 4.

2. Pet. 1. 20.

In com. in Acta Apost. c. 8 ver. 31.

Cæterũ duce ac directore Spiritu nõ aliũde quàm ex Scripturis iudiciũ faciũt fideles de qualibet doctrina.

Hoc Caluini perpetuum effugium de Spiritu discretionis semel atque iterum in his Antidotis nostris refutatũ reliquimus. Iudicium Spiritus verum ac diuinitus in Scripturis reuelatum, est iudicium Pastorum & Doctorũ Ecclesiæ, quibus in persona Apostolorum Christus dixit: *Alium Paracletum dabo vobis, Spiritum veritatis, qui doceat vos omnem veritatem, & maneat vobiscum in æternum.* Hic Dei Spiritus per ora Apostolorũ priùs, ac postea per successores eorum in æternum loquens, donatio est Apostolis & eorũ successoribus propria: *Non enim omnes Prophetæ, non omnes Doctores:* sed *quosdã dedit Christus Apostolos, Euangelistas, Prophetas* primũ, *dein Pastores & Doctores in opus ministerij*; cuius vel maxima pars est, Scripturas populo exponere, & ad Scripturarũ amussim omnẽ doctrinam exigere. Hoc iudiciũ Spiritus Dei, nusquam vocatur in Scripturis (vt Caluinus hìc falsò affirmat) *Spiritus discretionis*. Loquitur sanè Paulus *de discretione spirituum*, veluti distincto quodam Spiritus S. dono: sed de Spiritu discretionis nusquam aut ille aut alia Scriptura loquitur. Est hæreticorum hodie singulare cõmẽtum, ad omnẽ ministerij Ecclesiastici à Christo instituti authoritatẽ deijciendã nefariè adinuentũ, ad omnes nouas hæreses inuehendas proprium & singulare instru-

Ioan. 14. 16.

1 Cor. 12. Ephes. 4.

Spiritus Dei iudicium non vocatur spiritus discretionis. 1. Cor. 12.

instrumentũ. Discretio spirituũ speciale donum erat paucis concessum. Spiritũ discretionis vulgare esse fidelium donum Caluinus vult: *& de quo nullus fidelis* (vt alibi scripsit) *ambigere debet quin ei à Deo suppeditetur*, quam denique *quilibet sibi suo iure venditare posset*. Ex hoc igitur discretionis Spiritu prætenso, Scripturarum obscuritati & ambiguitati non liquida aliqua veritate succurreretur; sed ex infinita opinionũ ac iudiciorum varietate maior & multiplicior tum ambiguitas tum obscuritas exoriretur. Manet ergo firmum, tametsi ex Scriptura, veluti Lydio lapide aurũ, omnis veritas probari debeat, supereſſe tamen vt hæc ipsa probatio operâ ac ministerio Pastorum Ecclesiæ fiat: de quorum propterea doctrina non magis quàm de ipsa veritate iudicare aut disceptare populus fidelis debet.

In com. ad Ioan. c 8. v. 17. & in Act. c. 10. v. 17.

His nunc ita explicatis, reliquam Caluini disputationem expendamus. *Atque hoc modo refellitur sacrilegum illud Papistarum dicterium: Quia nihil certò colligi posset ex Scripturis, fidem ex sola Ecclesiæ determinatione pendere.* Non sacrilegum Papistarum dicterium, sed sacrilegum Caluini mendacium est, nihil certò ex Scripturis colligi posse, vt suprà ostendimus. Porrò fidem ex sola Ecclesiæ determinatione pendere (ordinariè loquendo de externa fidei causa) non ideo Catholici affirmant, quia nihil ex Scripturis certò colligi po-

Ecclesiæ determinationi cur Catholici deferunt.

gi poteſt, ſed quia ipſas Scripturas ipſa Eccleſia optimè intelligit, vt ex illis rectè intellectis orthodoxæ fidei dogmata certiſsimè colligant. Caluinus & quilibet alius hereticus Eccleſię determinationem ferre non poſſunt, vt ipſi pro ſuo libito Scripturas exponentes, ſuas orbi determinationes obtrudant. Pergit Caluinus: *Nam cùm Theſſalonicenſes laudat Scriptura Dei, in eorum exemplo regulam nobis præſcribit.* Quid tandem nos doceat, & quam nobis regulam Theſſalonicenſium exemplum præſcribat, mox dicemus, vbi ipſa textus noſtri verba expendemus. Cum Caluino pergamus: *Fruſtra autem inquiſitio fieret ex Scripturis, niſi ſatis haberent lucis ad nos docendos.* Reſpondeo: Scripturæ ſatis habent lucis ad fidem iam firmiter credentium confirmandam, corroborandam, augendam, & promouendam (ad quem finem hæc Theſſalonicenſium inquiſitio fiebat, vt mox ex ipſa Caluini confeſsione docebimus) nō autem ad fidem de dubio dogmate ingenerandam; non ad traditam ab Eccleſia doctrinam examinandam, ſuóue examini ſubijciendam, non denique vt ex ea de Eccleſię definientis doctrina iudicare cuiuis de ea dubitanti, aut in dubium eam vocáti, liceat. Pergit Caluinus, & veluti optimo iacto fundamento concluſiones & corollaria ſua multiplicat. *Stet igitur* (inquit) *firmum axioma: nullam doctrinam fide eſſe dignam, niſi*

Scriptura quatenus valet ad docendū.

quam

quam in Scripturis fundatam esse deprehendimus. At hoc axioma iam stare non potest, præiacto eius fundamento funditus euerso. Et hoc axioma nihil est aliud, quã vt id quisq; credat quod libeat; eam fidem quisque teneat, quam ipsemet suo iudicio veram esse iudicat; denique, vt suus cuique animus fidei regula ac norma sit. Ait enim: *Nisi quam in Scripturis fundatam esse deprehendimus*: nos videlicet ipsi, & vnus quisque nostrûm, nostro ipsorum iudicio. Ideo noluit dicere, Quæ in Scripturis fundata deprehenditur; sed, *Quã in Scripturis fundatam esse deprehẽdimus.* Huic dementissimo corollario aliud non minore demẽtia plenum annectit: *Quicquid pro sua libidine effutiuerit Papa, vult sine controuersia ab omnibus recipi. At qui an superior censebitur Paulo, in cuius prædicationem inquirere discipulis licuit?* Respondeo: Nec quicquid effutiuerit Papa, vult à quoquam recipi, nedum ab omnibus; sed quicquid Papa, veluti Petri successor (cui, *clauibus regni cælorum datis*, quamlibet in fide difficultatem aperiẽdi facultas data est; qui sic in Ecclesiæ fundamento positus est, vt eius fidei ac definitioni totum innitatur Ecclesię ædificium; pro cuius fide sic orauit Christus, vt, dum fratres suos fide confirmat, in fidei dogmate errare nequeat) de fide decernit ac definit, ex Christi promissionibus firmum ac stabile creditur; ideoque sine controuersia ab omnibus recipi-

Papę iudẽcium nec vsurpatũ, nec temerarium. Matth. 16 Luc. 22.

recipitur, nec in Pauli prædicationem ac doctrinam vlli discipulorum inquirere licuit, quod ex præcedentibus patet. Pergamus cum Caluino: *Ac notemus non de laruato aliquo Concilio hoc dici, sed de paruo hominum cœtu: vnde melius apparet, singulos ad legendam Scripturam vocari.* Respondeo: Thessalonicenses isti pauci sanè erant, nec de illorum (vt videtur) numero, qui in Concilijs Christianorum sententiam dicere solent. Illorum tamen exemplo non omnes ad legendam Scripturam vocantur, quia Thessalonicenses isti, siue Berrhœenses (vt vult cõtrà Caluinum Beza) sic à Luca describuntur, vt non è vulgo credentium fuisse videantur, sed εὐγενέστεροι: quod etiam superlatiuè acceptum, primarios & excellentes viros notat, non tàm *nobilitate generis*, (vt multis verbis vrget Caluinus) sed (vt contra eum sentit Beza) *morum probitate & animi virtute ac pietate.* Cuiusmodi hominibus tametsi Scripturarum lectio vtilis sit, non tamen propterea eorum exemplo sine discrimine omnes, idiotæ, rudes, superbi, ad Scripturarum lectionem vocantur. Sed neque libertas illa in Ecclesiæ primordijs paucis fidelibus concessa, constitutæ iam & per totum orbem propagatæ Ecclesiæ conuenit. Denique vt omnes horum exemplo ad Scripturã legendam vocentur, nullus tamen horum exemplo ita vocatur, vt de fidei dogmate semel per Ec-

Scripturã à singulis legi oportere Thessalon. exemplũ nõ probat.

per Ecclesiam determinato iudicare ac disceptare ei liceat: quod isti seu Thessalonicenses seu Berrhœenses non fecerũt, vt mox ostẽdetur. Prosequitur Caluinus: *Sic etiã cum fidei promptitudine non pugnat disquisitio. Nam simulac auscultat quispiã, & discẽdi cupidus se attentũ præbet, iam propensius ac doculis est, etiãsi statim non planè assentiatur.* Ista speculatio ad rẽ præsentem non pertinet, quia isti Thessalonicenses ea promptitudine Pauli doctrinam receperunt, vt ei planè assensi fuerint atque crediderint, quod mox Caluinum ipsum profiteri audiemus. Audiamus tamen quod ad huius assertionis explicationem sequitur; quia non modicum in illis venenũ latet, cui mederi operæpretium erit. *Exempli gratia* (inquit:) *Profitebitur ignotus doctor veram se doctrinam adferre. Accedam ad audiendum paratus, & animus in obedientiam veritatis compositus erit. Expẽdam nihilominus interea qualis sit doctrina, neque amplectar nisi certam & à me agnitam veritatem. Atque hoc optimum est temperamentum, vbi Dei reuerentia deuincti libenter & placidè audimus quod nobis proponitur, tanquam ab ipso profectum. Interea tamen cauemus ab hominum impostoris, nec se animi nostri cæco leuitatis impetu ad quiduis temere credendum præcipitant. Ergo inquisitio, cuius meminit Lucas, non eò tendit vt lenti simus & difficiles ad credendum: sed potiùs promptitudo cum iudicio media inter leuitatem & cõtumaciam statuitur.* Hæc impostor iste. Vniuersam

Toxicum capitale & fundamentale.

vera

veræ fidei naturam, vim, ac virtutem verſ
tus vulpes inuertit, ſubuertit, euacuat: pro
prium ac firmũ vniuerſis hæreſibus fund
mentum ponit, viã ſternit, feneſtram ap
rit. Prędicante ignoto doctore, ponit in a
diente veritatis ſtudium, & audiẽdi prom
ptitudinẽ, ſed relinquit ei iudiciũ proprium

Hæreſum omnium fundamẽtum à Caluino poſitum euertitur.

vt nõ niſi agnitam à ſeipſo veritatem amplectat

Studium illud veritatis, & prõptitudo a
diendi, communia ſunt bonis & malis: æq
cadunt in homines nouitatis auidos, atq
in pios veritatis amantes. Nam nouita

2. Tim. 4. 3.

amatores, quos *prurientes auribus* Apoſtol
vocat, ſic nouam doctrinam appetunt,
etiam non niſi veram deſiderent. Nem

Veritatis ſtudiũ malis & bonis commune.

quippe ipſam falſitatem ſub nomine falſi, q
quatenus huiuſmodi, in cauſa religionis ſci
re deſiderat. Omnes naturaliter ipſum ve
rum ſcire deſiderant, & omnes naturalit
bonum appetunt, ſeu verum, ſeu appare
Promptitudo igitur illa, & ſtudium verita
tis, vt ab omnibus ſanè veritatis diſcipul
neceſſariò afferenda ſunt, ita non cõſtituun
illud proprium medium ad fidẽ animis in
generandam, quum cuilibet hæretico, au
falſi numinis cultori, illa vtraque cõmuni
ſint. Iam verò quòd his adiungit Caluin
proprium cuiuſque iudicium, & non rec
pere quenquam *niſi agnitam à ſeipſo veritate*
vt iſtud ſit *promptitudinis* dictæ *temperamentum*
veræ fidei, qualis Chriſtianorum & piorum

eſt, e

est, ex diametro repugnat. Vera quippe Christianorum fides in simplici obedientia fundatur, *captivat intellectum in obsequium Christi, obedit ex corde in formam doctrinæ traditam*, denique proprium iudicium penitus exterminat, quod Apostolus vocat *sapere plusquam oportet sapere*. Abrahæ fides tantopere laudata, non erat aliquod proprium iudicium, sed mera & simplicissima obediētia verbi Dei. *Non infirmatus est fide*, id est, non destitit credere, & si tentatus in contrarium; *nec consideravit corpus suum emortuum cùm ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ*, videl. tam senio quàm sterilitate. Hîc si proprium iudicium consuluisset, omnem promissioni fidem detraxisset. Sed *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia*, id est, ex proprio iudicio nullum scrupulum mouit; *sed confortatus est fide*, id est, se ipsum consolatus est per fidem & simplicem assensum; *dās gloriam Deo*, id est, captiuās iudicium suum in obsequium Dei; *plenissimè sciens*, certissimè persuasus ex fide sua in Deum; *quia quæcumque promisit Deus, potens est & facere. Ideo* (id est, propter hanc fidei simplicem obedientiam) *reputatum est ei ad iustitiam*. Dicet hîc aliquis: Deus non erat Abrahæ ignotus doctor, vnde non est simile in casu à Caluino proposito. Respondeo: Nullus doctrinæ fidei prædicator legitimus, ignotus doctor est. Aut enim per legitimam missionem auditoribus suis notus est;

Iudicium proprium veræ fidei repugnat. 2 Cor. 10. 5.

Rō. 6. 17.

Rō 4. 19.

Prædicator fidei legitimus ignotus doctor non est.

aut, si extra ordinem venit, vocatio eius missio extraordinaria miraculis confirmatur, vt per ea innotescat. An non Apostoli omnes, quũ primò Euangeliũ prædicarent ignoti doctores erãt? Atqui, vt suis auditoribus innotescerent, *signa & prodigia per manus eorum fiebãt*. Quod Paulus suis Corinthijs mentẽ reuocans, *Sermo*, inquit, *meus, & praedicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* (vbi sanè locus proprio iudicio explicandus) *sed in ostẽsione Spiritus & virtutis*: id est per diuini Spiritus ac potentiæ miracula. Et huius causam: *Vt fides vestra nõ sit in sapiẽtia hominum sed in virtute Dei*: id est, non nitatur persuasioni humanæ, vbi iudicio humano persuadetur, *vt agnitam à seipso sibique persuasam veritatem quisque recipiat*, sed gratiæ & potentiæ diuinæ nitatur; id est, ideo quisque credat quia ex authoritate diuina per eorum ora quos Deus mittit, fidei veritatem accipiat. Hanc ob causam Paulus (quod omnibus Apostolis, eorumque legitimis successoribus commune est) profitetur se *Apostolatum* accepisse *ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius*, id est, se vice Christi legatione & Apostolatu fungi, vt gentes omnes ad fidei obedientiam adducat. Vnde in eadem epistola iterum repetit: *Habeo gloriam in Christo Iesu ad Deum. Neque enim audeo aliquid eorum quæ per me non effecit Christus*, id est aliquo alio gloriari, nisi de ijs quæ per me

Act. 2. 43.
Act. 4. 30.
1. Cor. 2. 4
Rom. 1. 5.
Rom. 15. 17. & 18.

præ-

prædicationem, veluti medium externum, Christus sua gratia interna effecit; *in obedientiam gentium*, id est, vt gentes obedirent prædicationi meæ externæ, factæ videlicet non persuasione, aut aliqua demonstratione euidenti; sed, vt subiungit, *verbo & factis in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus S.* Denique, adeò fides mera obedientia est Deo per os eorum quos mittit loquenti, vt fides atque obedientia pro synonymis ab Apostolo habeantur. Quum enim dixisset Romanis in exordio epistolæ, *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo*; idem repetens sub finem, vbi ad fidei perseuerantiam hortatur, *Vestra* (inquit) *obedientia in omnem locum diuulgata est.* Tandem ad suos Thessalonicenses, quos hîc Caluinus proprio iudicio circà Pauli prædicationem vsos fuisse vult, ita scribit: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate.* Totam ergo (vt dixi) fidei naturam, vim, ac virtutem hæc Caluini pestilens doctrina inuertit, subuertit, euacuat. Omnibus autem hæresibus proprium fundamentum eadem eius pestilens doctrina ponit. Quum enim hæresis nihil sonet aliud, quàm electionem alicuius doctrinæ proprio iudicio factam (vnde & Paulus *hæreticos* ait *proprio suo iudicio esse damnatos*, quia ex proprio iudicio, quod in causa fidei adhibere volunt, damnationem sibi accersunt) manifestum fit, quòd hæc Caluini doctrina

Rom. 1. 8.

Rom. 16. 19.

2. Thess. 3 14.

Hæresis electio est ex proprio iudicio. Tit. 3. 11.

ctrina, quæ propriũ iudicium in doctrina fidei flagitat, & auditores verbi *non nisi ag-nam à seipsis veritatem amplecti* docet, propri ponit omnibus hæresibus fundamen-tum, patentem viam sternit, & feneſtram aperit. Ad factum Thessalonicensium quod attinet, nullum hîc proprium iudicium at-tulerunt, vt Paulo prædicanti crederent: sed propriam disquisitionem & sedulitatem at-tulerunt, vt, quod Paulo prædicante ma-na animi promptitudine & alacritate (*auidi-tatem* noster interpres vertit) crediderant, ad fidei suæ consolationem & confirmatio-nem clariùs intelligerẽt: de quo mox plura. Et hæc quidem hactenus ad primam à Ie obiectionem factam respondit Caluinus, qua dicebatur *arrogãtiæ esse videri, quòd Thes-salonicenses de Pauli doctrina inquirunt, vt dijudi-cent, idque à promptitudine, quam Lucas in illis la-dat, valde esse alienum.* Hanc obiectionem ve-luti *de re* (vt loquitur) *absurda* Caluinus hac-tenus non soluit, quia verè de Pauli doctri-na nullum hîc iudicium à Thessalonicen-sibus istis sumptum est: quod non solùm ab-surdum, sed & impium futurum fuisse, no-stra hactenus responsio docuit. Nunc ad se-cundam soluendam obiectionem accedit. *Nunc* (inquit) *soluenda est secunda obiectio. Du-bitationi contraria est fides: qui inquirit, dubitat ergo sequitur, Thessalonicenses, cùm de Pauli doctri-na inquirunt, fide adhuc fuisse vacuos.* Ad hoc quid

quid respondeat, attendamus. Nam istos Thessalonicenses ante hoc scrutinium ex Scripturis factum, verè credidisse & Pauli doctrinæ veram fidem adhibuisse, non solùm illa Lucæ verba manifestum faciunt; *cum omni auditate*, seu animi propensione & promptitudine (μετὰ πάσης προθυμίας) *verbum fidei susceperunt*; sed & ipse Caluinus apertis verbis profitetur, ideoque aduersus professionem illam suam hanc obiectionem mouit. Nam & infrà ad proximè sequentem versiculum, quo Lucas ita scribit, *Et multi quidem crediderunt*, ita commentatur Caluinus: *Non refertur ad proximam sententiam, quasi illi, quorum meminit, delectu habito credere cœperint; esset enim illud absurdum: sed intelligit Lucas, quia multi illorum exemplo accesserint, auctam fuisse in illa vrbe Ecclesiam.* Hæc illic Caluinus. Apertè igitur agnoscit, quod res est, Thessalonicenses, istos audita Pauli prædicatione, credidisse, & post fidem Pauli doctrinæ habitam, Scripturas nihilominus scrutatos fuisse. Nunc de hoc scrutinio, de hac inquisitione, quæ dubitationis speciē habet, non inutilem obiectionem mouet Caluinus. Ad eam quid respondeat, videamus. *Atqui* (inquit) *fidei certitudo confirmationem non impedit. Confirmationem voco dum magis ac magis cordibus nostris obsignatur Dei veritas, quæ tamen priùs dubia non erat. Exempli gratia: Audiam ex Euangelio me Christi gratia Deo reconciliatum esse, &*

Thessalonicenses ante scrutinium ex Scripturis crediderunt.

peccata mea eius sacro sanguine expiata (transeo hoc exemplum per modum fictionis: nam verè ex Euangelio nemo audit in particulari se esse Deo reconciliatum, aut sibi in particulari remissa esse peccata:) *proferetur testimonium, quod mihi fidem faciat: postea, si penitus excutiam Scripturas, occurrent subinde alia testimonia, quæ non modò iuuabunt fidem meam, sed augebunt ac stabilient, vt accedat plenior certitudo.* Hoc (vt dixi) exemplum, non nisi figmentum est: quia quantumlibet Ioannes Caluinus (verbi gratia) excusserit Scripturas, nullum in illis vnquam testimonium inuenit, nec alius quispiam inuenire poterit, quæ aiunt Ioanni Caluino remissa fuisse per Christum peccata. Sed ponatur exemplum in eo quod certissimè verum est; credentibus in Christum & obtemperantibus illi (*factus est* enim *causa salutis omnibus obtemperantibus sibi*) remissa esse per Christi sanguinem peccata. Hanc fidem multa alia testimonia confirmabunt, augebunt, ac stabilient, vt accedat plenior certitudo. *Similiter* (ait Caluinus) *quoad intelligẽtiam ex Scripturæ lectione proficit fides.* Hæc ille. Tota huius obiectionis solutio vniuersam priorem Caluini disputationem euertit: 1. quà docuit, Thessalonicenses istos *de Pauli doctrina iudicasse, disceptasse, & ad Scripturæ examen eam exegisse.* 2. qua rursum docuit, *horum exemplo, nullam apud nos doctrinam fide dignam esse debere,*

Hebr. 5. 9.

Superiora Caluini commenta ex ipso met refutantur.

1.

2.

nisi quàm nos in Scripturis fundatam deprehendimus: 3. qua denique docuit, ex horum facto 30
promptitudinem fidei cum iudicio proprio coniunctam esse debere, vt sic non nisi certam & à nobis ipsis agnitam veritatem amplectamur. Nunc enim horum hominum exemplum nihil prorsus horum omnium docet: quando ante hoc Scripturarū scrutinium, ante illam disquisitionē ex Scripturis, qua scrutabantur an quæ Paulus ex veteribus prophetijs allegauerat, ita se in Scripturis propheticis haberent, prorsus Pauli doctrinæ crediderant, ideoque non vt crederent, sed vt id, quod iam firmiter credebant, magis confirmarent, magis augerent, atque in fide magis proficerent, hanc Scripturarum disquisitionem fecerunt. Quare iterum Caluinus, ad hæc Lucæ verba, *Qui cum omni auiditate verbum susceperunt, quotidie scrutantes Scripturas an hæc ita se haberent*; duplicem in istis Thessalonicensibus virtutem obseruat: vnam quòd promptè prædicanti Paulo crederent, alteram quòd fidei suæ profectum & confirmationem in Scripturis quærerēt. *Hoc primùm* (inquit) *nomine laudat Thessalonicenses Lucas, quòd prompto & alacri studio Euangelium receperant. Deinde, quòd sedula inquisitione quotidie fidem suam confirmarent. Ita ipsorum pietas & fides initiò à promptitudine laudatur: in suo autem progressu à constantia & proficiendi studio.* Sic hæc (vti dixi) secūdæ obiectionis so-

lutio, hæc posterior Caluini confessio, (adiunctis etiam quæ priùs dixerat) manifestè docent, id quod res est, hoc scrutinium Scripturarum à Thessalonicẽsibus factum, non ideo factum esse vt crederent, sed vt in fide proficerent; *non vt de Pauli doctrina iudicantes veritatem à se ipsis agnitam* acciperent, sed vt veritatem fidei à Paulo acceptam magis confirmarent; denique, *non vt cum sua promptitudine proprium iudicium cõiungerent ad credendum*, sed vt cum ipsa promptitudine ac fide *propriam sedulitatem, industriam, disquisitionem* coniungerẽt ad fidem perficiendã, & (vt loquitur Caluinus) *cordibus suis magis ac magis obsignandam*. Qui re vera proprius est diuinarum Scripturarum vsus; non vt ex ijs sibi quisque fidem formet, (res hæc periculi plena est) sed vt fidem ab Ecclesiæ prædicatione acceptam, ex earum lectione ac studio confirmet, augeat, perficiat.

Non contentus tota hac prolixa disputatione Caluinus, quia durum adhuc nodum superesse videbat, quòd de Pauli doctrina Thessalonicenses istos iudicasse affirmauerat, super ea re sibi ipsi scrupulum mouet, quasi volens lectoribus suis omnem prorsus scrupulum eximere. *Si quis* (inquit) *rursum excipiat, parum authoritatis tribuere eos doctrinæ Pauli, qui ex Scripturis disquirunt an ita res habeat; respondeo, tales esse fidei profectus, vt interdum ex Scripturis quærant de quo iam diuinitus persuasi sint,*

sunt, & habent interius Spiritus testimonium.

Respondeo & ego: Habet quidem tales fides profectus, vt de quo quis certissimè persuasus est, tum ex interno diuini Spiritus testimonio, tum ex externo Ecclesiæ docentis & determinantis iudicio, vt interdum, imò frequenter, id quod firmissimè creditur, ex Scripturarum sedula lectione magis ac magis ad maiorem credentium consolationem confirmetur atque corroboretur. Scripturarū lectionis fructus proprius.

Quod Paulus docere volens, dixit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. 15. Sed quid? An vt vnusquisque ex Scripturarum lectione ipsam fidem addiscat? Non hoc adiungit Paulus, (qui in eadem epistola dixerat, *Fides est ex auditu,*) sed hunc finem, & hoc doctrinæ genus ex Scripturarum lectione hauriendum subiungit: *vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Rom. 10. Duo ponit spei nostræ in Christum quasi fundamenta aut certè sustentacula. Alterum est *patientia* tribulationum quæ ex fidei professione sequuntur, de qua in eadē epistola dixerat: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem adfert, probatio spem.* Rom. 5. Alterum est *Scripturarum consolatio.* Quæ enim à Deo bona speramus seu gratiæ seu gloriæ, seu in hac vita seu in futura, illa toties in Scripturis promissa reperimus, vt ad hanc spem nostram roborādam plurimum consolationis, plurimum momenti adferat

Scripturarum lectio. Sic ad fidei ac spei nostræ consolationem robur, augmentũ, Scripturæ à fidelibus leguntur, qui tamen & fidem indubiam, & spem firmam in Deum ante Scripturarum lectionem habuerunt & absque earum lectione per totam vitam habere possunt, vt maximus Christianorum numerus habet; qui idiotæ & indocti quum sint, cælum tamen rapiunt. Hoc igitur quod de fidei profectu Caluinus dicit, qui talis est, vt, quod certissimè quis credit, adhuc in Scripturis quærat, verissimum sanè est quoad ipsam firmissimæ suæ fidei consolationem, robur, augmentum: sed non est verũ quoad aliquod iudiciũ de doctrina fidei sumẽdum, sicuti hoc loco de doctrina Pauli iudicasse Thessalonicenses ac disceptasse & ad examen Scripturarum eam reuocasse Caluinus suprà affirmauit. Quare hic fidei profectus motum à Caluino scrupum non eximit, nec obiectionem soluit. Additigitur adhuc aliquid, finemque tandem operosæ huic disputationi suæ imponit. *Et Lucas* (inquit) *non fidem omnibus numeris absolutam in Thessalonicensibus prædicat, sed tantùm commemorat qualiter initiati fuerint Christo, & quales in fide fecerint progressus, donec solidum pietatis aedificium inter eos extaret.* Hæc ille. Atqui nec hæc adhuc verba scrupum eximunt, aut motam difficultatem tollunt. Tametsi enim (quod modò confessus fuerat) Thessalonicenses

Fidei profectus differt à iudicio de fide.

Paulo

Paulo prædicanti credidisse, Lucam eorum fidem à promptitudine laudare, nec nisi ad fidei profectum & confirmationem Scripturas postea scrutatos fuisse, hoc totũ nunc retractare velle videatur, dicens eorum fidem non omnibus numeris absolutam à Luca prædicari, sed hoc tantùm ab eo commemorari, *qualiter initiati fuerint Christo*; tamẽ nec ista ipsa retractatio, aut certè eorum, quæ priùs dixit, correctio & extenuatio, obiectionem propositam dissoluit. Esto quippe: non fuerit eorum fides omnibus numeris absoluta. At vera fides erat, & verè crediderũt. *Fidei quippe certitudo* (dixit modò ipse Caluinus) *confirmationem, augmentum, perfectionem fidei non impedit*. Esto rursum quòd initiati tantùm Christo fuerant. At per veri nominis fidem initiati erãt. Nihil ergo hæc tota responsio ad difficultatem propositam, *parũ authoritatis eos tribuisse doctrinæ Pauli, qui ex Scripturis disquirebant an ita res haberet, sicut Paulus dixerat*. Siue enim crederẽt, siue nõ crederẽt; siue inchoatã fidẽ, siue perfectã haberent; de Pauli Apostoli doctrina iudicare, aut eã in dubiũ vocare, de ea sibi iudiciũ sumere, nullo modo debebant. Hoc enim erat authoritati Apostoli Pauli, *qui pro Christo legatione fungebatur*, & consequenter ipsius Christi authoritati parum tribuere, imò multum derogare. Quod an rectè illi facere potuerint, ostendere iam debuit Caluinus, hac

Absurditatẽ quòd de Pauli doctrina Thess. iudicauerint Cal. non tollit.

2. Cor. 5. 20.

hac mota à seipso difficultate. Sed q
ostendere hoc non potuit, ad alia sermon
deflexit. Difficultatem tamen ipsam p
ponere voluit, vt quacumque reddita r
sponsione apud lectorem sibi deditum
satisfeciſſe videretur. Hæ sunt Caluini a
tes. His ille technis orbi illusit, audacia
calliditate maximam apud suos Geneue
ses, atque innumeros ad illam spelunc
profugos, authoritatem nactus.

Caluini singularis impostura

Sed antequam hunc locum abrumpa
vt singularis Caluini impietas, imò omn
hodie hæreticorum dolus malus (qui omn
vt suam de Ecclesiæ dogmatibus iudicand
arrogantiam hoc vno exemplo tueantur, p
samque Ecclesiæ supremam in causis fid
iudicandis authoritatem conuellant, ho
vno loco maximè abutuntur) luculenta
appareat; obseruatione dignum est, eos q
*de Pauli doctrina Thessalonicenses iudicasse ac d
ceptasse, eamque ad Scripturæ amussim exegis*
omnino volunt, non permittere vt de ipso
rum dogmatibus quispiam iudicet, disce
tet, aut ad Scripturæ amussim ea exigat. N
est passus hoc Lutherus, cuius illa vox leg
tur: *Certus sum me mea dogmata habere de ca*
Et alibi: *Ego in hoc libro non contuli, sed asseru
& assero, & penes nullum volo esse iudicium, s
omnibus suadeo vt præstent obsequium.* Sed ne
minùs arrogans Caluini vox legitur. N
(inquit) *sedula meditatione adhibita sensum am
plectimur*

Hæretici volunt de alijs omnibus iudicare, nullius iudicio subijci

In lib. contra Regē Angliæ. In fine libri de seruo arbitrio. Instit. l. 4. c. 17. n. 25.

pleſtimur (illorum verborum, Hoc eſt corpus meum) *quem Spiritus Dei ſuggerit: quo freti, ex alto deſpicimus quicquid terrenæ ſapientiæ contrà opponitur.* Ecce, de ſenſu Scripturæ, quem ille effinxit, adeò neminem iudicare vult, nec Catholicam Eccleſiam, nec totam ſectam Lutheranam, maiores ſuos; nec reliquos Cinglianos fratres ſuos; *vt omnes ex alto deſpiciat*; & *pro terrena ſapientia* contemnat. Nempe Caluinus ſedula meditatione vſus eſt. Taceat omnis homo. Spiritus Dei ſuum illi ſenſum ſuggeſsit. Iſtud credere debemus, etiam extra Scripturas; quum alioqui (excepta vnius Caluini doctrina) nihil ampliùs credendum ſit quàm quod in verbo Dei ſcriptum legimus. Hæc duo monſtra breuiter attigiſſe, digitoque monſtraſſe, huic loco & inſtituto ſatis eſt.

29. *Genus cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile.*

IGnorantiam & cæcitatem Græcorum refellere volens Paulus, ſumit medium ab ipſis conceſſum, & ab vno eorum poëta decantatum: τοῦ μεν γαρ καὶ γενὸς ἐσμεν. *Sumus* (inquit) *Dei genus*: aliquid in ipſa natura noſtra Deo ſimile ac affine retinemus. In anima ipſa noſtra Dei quædam imago inſculpta eſt. Hanc effingere non poſſumus, aut vllis lineamentis exprimere. Ergo multo minùs

Gentilis ſuperſtitio propria.

minùs perfectum illud animæ noſtræ arch
typum τὸ θεῖον numen illud ac diuinam
ſentiam vllo vel auro vel argento inſculp
re, vlla vel arte vel ſcientia humana exp
mere valemus. Craſſa igitur veſtra inſci
eſt, qui in ſimulachris iſtis, delubris, atq
aris veſtris manufactis Deũ habitare, De
contineri, Deum vos colere poſſe exiſtim
tis. Docet Paulus, communem hanc Ge
tium ſuperſtitionem fuiſſe, quòd ſub corp
reis figuris Deum aliquem ſe colere po
putarent. Vnde etiam ſequebatur, cra
illos de diuinitate opiniones habuiſſe,
non niſi carnale quid & corporeũ, ocul
que ſubiectum, diuino numini affinxi
Hæc exiſto loco rectiſsimè colliguntur.

Vide nunc quomodo & hunc ipſum cr
ſiſsimum Gentium errorem hominib
Chriſtianis, totique Eccleſiæ Catholic
propter ſacrarum imaginum veneratio
impius Caluinus impingat. *Hodie* (inqu
nihilo magis excuſabiles ſunt Papiſtæ. Quoſcum
enim fucos inducant ad colorandas imagines qu
Deũ exprimere conãtur (quaſi aliqua in Chri
norũ Eccleſijs Dei imago eſſet) *quia tamẽ e*
impliciti ſunt errore quo veteres, vrgentur Prop
tarum teſtimonijs. Nempe quòd ligno dicu
Pater meus es tu; & lapidi, Tu me genuiſti. Q
autem eaſdem olim excuſationes obtenderint Ethn
ci, quibus hodie ſe tegere conantur Papiſtæ, exi
rum libris ſatis notum eſt. Itaque quorundam ſe

nas non effugiunt Prophetæ, quasi nimiam illis affingant crassitiem, imò falsis criminibus eos onerent: verùm omnibus probè expensis, reperient qui rectè iudicabunt, quæcumque captarint effugia, etiam acutissimi quique, hac tamen amentia fuisse correptos, Deo rite litari apud simulachra. Hæc Caluinus. Homo impius crassissimam Ethnicorum idololatriã, qui ligna & lapides colebant, extenuare conẽdit; quasi non illa, sed Deum in illis, colerent, nec ipsis simulachris sed Deo apud simulachra litarent, vt hoc artificio imaginum cultum in Ecclesia Catholica (vbi in ipsa imagine Sanctus ille colitur, quem imago refert, & in ipso sancto Deus verus, cui ille Sanctus seruiebat;) veteri idololatriæ prorsus consimilẽ esse stupido lectori persuadeat. Hanc ob causam hoc ipso in capite paulò superiùs ad vers. 24. ita scribit: *Deos se precari dicebant increduli adeorum simulachra; sed nisi Dei numen ac virtutem alligassent simulachris, an inde speraſſent auxilium? an illuc suas preces & vota direxissent?* Et iterum paulò pòst ait, *Gentiles crassis istis præstigijs fuisse delusos, vt Deum è cæleſti suo solio detractum mundi elementis includerent: eandem quoque crassitiem Iudæis accidisse:* tandem, *Nec hodie* (inquit) *alia suppetit Papistis defensio, quàm quaolim Gentes & Iudæi suos errores vtcumque fucare ac tegere conati sunt.* Sed & in impia sua Institutione ad eundem modum disputat. *Non ita stupidi* (inquit) *fuisse ethnici censendi sunt,*

Gentilis idololatriam crassissimã extenuat Cal. vt eam ad imaginũ cultum Cath. trãsferat.

Institut. lib. 1. cap. 11. num. 9

sunt, vt non intelligerent Deum alium esse quàm l
gna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio sim
lachra, Deos semper eosdem animo retinebant;
multa erant vni Deo simulachra; nec pro multi
dine complures tamen Deos sibi fingebant. Prætere
noua quotidie consecrabant, nec putabant tamen
nouos facere Deos. Et paulò pòst ità conclud
Et Deum æternum Iudæi vnum verumque cæli
terræ Dominum sub talibus simulachris pers
erant se colere, & Gētes suos (licet falsos) Deos, q
tamen in cælo habitare fingerent. Hæc ibi. Vt
omnino Gētes, & à Iudæis ad idololatriam
prolapsos, non ipsa saxa & ligna, non simu
lachra, non ipsam militiam cæli, solem, lu
nā, ac sydera; sed in his omnibus seu signis
seu elementis, vnum verum Deum coluisse.
Quo posito, idololatricus erit omnis ima
ginum cultus, in quibus vel per quas verum
Deus quocumque modo colitur & adora
tur. Et in hoc suo commento ita sibi place
Caluinus, vt loco ex Institut. citato excla
met; *Huc animum aduertant qui ad defensionem*
execrabilis idololatriæ, qua multis antehac seculis
vera religio submersa subuersáque fuit, miseros pre
textus aucupātur. Cæterū totus hic triumphus
ante victoriā canitur. Imò hoc Caluini sin
gulari cōmento nihil fœdius, nihil crassius,
nihil tā doctissimorū Patrū cōsentienti do
ctrinæ, quàm apertissimis diuinæ Scriptu
ræ monimentis magis aduersum: quod nūc
paucis docebo, ab eo, quod priùs dixi, exor-

dium

dium sumens. Et quia Caluinus ipse (loco Institutionis citato) S. Augustinum pro sua sententia profert, ex ipso maximè Augustino, (qui de hac Gentium varia idololatria varijs in locis sapientissimè disputauit) atq; adeò ex loco ac textu Augustini à Caluino citato (quem fœdissimè mutilauit) Caluinum refutabimus. Profert in hunc modum Augustinum Caluinus. *Leguntur*, inquit, *excusationes quas ab idololatris sui seculi fuisse prætextas refert Augustinus in Psal. 113. Nempe quum quærerentur, respondebant vulgare, se non visibile illud colere, sed numen quod illic inuisibiliter habitabat. Qui verò purgatioris (vt ipse loquitur) religionis erant, nec simulachrum nec dæmonium se colere aiebant, sed per effigiem corpoream intueri eius rei signum quam colere deberent.* Mentitur ac fallit Caluinus. Tum ordinem verborum inuertit, tum ipsa verba commutat. Tantus est fallendi artifex impostor iste; & ita cauteriata conscientia Veteres citat. Hæc est tota Augustini oratio, qua vel maximè Caluini commentum refellitur. Primùm, de crassa eorum idololatria disputat, qui saxa ipsa & ligna, simulachra ipsa ex auro & argento effigiata adorabant, vt ille Psalmus prolixè decantat; & eam crassi erroris causam describit. *Quis* (inquit) *puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quòd simulachra Gentium os habent, & non loquentur, & cætera quæ diuinus sermo contexuit? Cur ergo tantopere Spiritus Sanctus curat*

Augustin. disputat. ab ipso Cal. prolata, Caluini figmentum refutat.

Caluini cauteriata cõscientia.

Psalm. 113 12. & seqq. Enarrat. ibidem.

Gentes ipsa saxa & simulachra coluisse ostẽditur.

ctus curat Scripturarum plurimis in locis hæc in-
nuare atque inculcare veluti inscientibus, quasi non
hominibus apertissima sint atque notissima, nisi quia
per speciem membrorum significat, quam naturaliter
in animantibus viuentem videre atque in nobis
ipsis sentire consueuimus? Iam huius tam crassæ dementiæ causam etiam ex ipsorum cõfessione subiungit. *Quanquam* (inquit) *vt illi de-*
serunt in signo aliquo fabrefacto atque eminẽti tu-
locato suggestu, cum honorari atque adorari à mul-
titudine cœperit, parit in vnoquoque sordidissimum
erroris affectum, vt quoniam in illo figmento non
inuenit vitalem motum, credat numen occultum,
effigiem tamen viuenti corpori similem, seductus
forma, & commotus authoritate quasi sapientium
institutorum, obsequentiumque turbarum, sine vllo
aliquo habitatore esse non putet. Sed quid? An hoc numen occultum vel hunc viuum habitatorem vnum in omnibus simulachris Deum fuisse, hoc dicendo asserebant vel cogitabant idololatræ illi? Sequitur in Augustino: *Hinc & mala dæmonia ad possidenda Gentium simulachra talis hominum affectus inuitat, quorum præsidentium varia fallacia mortiferi seminantur & multiplicantur errores. Alijs itaque locis etiam contra ipsa diuinæ literæ vigilant, ne quisquam dicat cùm irrisa fuerint simulachra, Non hoc*
visibile colo, sed numen quod illic inuisibiliter ha-
bitat. Ipsa ergo numina in alio Psalmo eadem Scriptura sic damnat: *Quoniam omnes dij Gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Dicit & Apo-*

Psalm. 95.

stolus

stolus: Nõ quòd idolum sit aliquid, sed quoniam, quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: & nolo vos fieri seruos dæmoniorum. Quæ duo diuinæ Scripturæ loca, sapienter à D. August. prolata, Caluini commentum fortissimè iugulant. *Omnes dij Gentium dæmonia*, ait Propheta. Omnes dij Gentium vnus Deus, ait Caluinus. *Quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, non Deo*; ait Paulus. Quę immolant Gentes, Deo immolant, & per simulachra sua Deo litant, ait Caluinus. An magis ex diametro Scripturæ aduersari Caluinus potuit? Numen ergo seu viuus aliquis inhabitator, quem in suis simulachris imaginabantur Gentes, non erat vnus Deus, vt vult Caluinus; sed varia demonia, vt docet Scriptura, & ex Scriptura hoc loco Augustinus. Pergamus nunc cum Augustino: *Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicũt, Nec simulachrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor, quam colere debeo.* Hæc est posterior à Caluino posita sententia, sed in Augustino multum eam præcedens (vt mox apparebit) quam priori loco posuit Caluinus. Sed quid? An res illa, cuius signum isti intuebantur, & quam se colere debere aiebant, ipse vnus verus erat Deus, vt Caluinus comminiscitur? Nihil minùs, vt sequentia Augustini verba manifestum faciunt. Sic enim prosequitur: *Ita verò interpretantur simulachra, vt alio dicant*

1. Cor. 10

Scripturæ S. & impij Cal. anti thesis.

significari terram, vnde templum solent appellare Telluris; alio mare, sicut Neptuni simulachro; alio aërem, sicut Iunonis; alio ignem, sicut Vulcani; alio Luciferum, sicut Veneris, alio Solem, alio Lunam, alio illud, alio illud sidus vel illam vel illam creaturam: neque enim cuncta enumerare sufficimus. De quibus rursus cùm exagitari cœperint quòd corpora colant, maximèque terram & mare & aërem & ignem, quorum nobis vsus in promptu est (nam de cœlestibus, quoniam nostro ea corpore contrectare atque contingere nisi oculorum radijs non valemus, non ita erubescunt) respondere audent non se ista corpora colere, sed quæ illis regẽdis præsident numina. Hæc Augustini verba apud Caluinum priori loco posita, in singulari numero efferuntur, vt hac arte mutato numero probaret vnum Deum à Gentibus per sua simulachra coli, sicut Christus & Sancti eius, sed vnius Dei confessione & cultu, varijs imaginibus à Christianis coluntur. Atqui docet S. August. non vnum Deum, sed varia numina, ab istis etiam qui purgatiores videbantur, coli; ideoque & illos in diuina Scriptura non secus quàm crassiores illos qui saxa & ligna colebant, damnari. Sic enim prosequitur: *Itaque Apostoli vna sententia pœnam istorum damnationemque testatur. Qui commutauerunt* (inquit) *veritatem Dei in mendacium, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Nam priore parte huius sententiæ simulachra damnauit, posteriore tem-*

Caluini pudenda fraus.

Rom. 1.

tem interpretationes simulachrorum. Hæc Augustinus, luculenter docens, omnem veterum idololatrarum cultum in creaturam desijsse, non in Creatorem, nempe vel in saxa & ligna, vel in dæmonia illis inhabitantia, vel in elementa huius mundi. Ita ipse locus ex Augustino à Caluino citatus, Caluini dementiam vel maximè refutat.

Sanè nemo magis accuratè quàm vnus Augustinus omnes veteris idololatriæ species prosequutus est, omnesq; in creaturam, nullam in Creatorem desijsse demonstrat. *Nullum* (inquit) *habet exitum idolorum cultus, nisi in creatura.* Crassissimos idololatras ipsa ligna & saxa & *mera opera hominum coluisse*, idque authore Herme Trismegisto in opere de Ciuit. Dei docet. Hos quoq; *altiùs fuisse in errorem demersos quàm qui opera Dei colebant*, in lib. de doctrina Christiana scribit. Denique hanc fuisse maximè vulgarem idololatriam, & "*ciuilẽ Theologiam* nũcupatam fuisse, *quæ videl. per Pontifices in tẽplis celebrabatur*, docet idem Augustinus ex Varrone superstitionũ Gentilium collectore superstitiosissimo. In hoc idololatrię crassissimũ genꝰ impegerunt Iudæi, vt graphicè describit Ieremias, non in ipsis saxis vnum Deum colentes, vt glossat Caluinus; sed relicto penitus Deo, ipsa saxa colẽtes. Vtrumque enim clarissimis verbis Propheta docet: *Transite* (inquit) *ad Insulas Cethim, & videte; & in Cedar mittite,*

Contra Faustum lib. 20. c. 20.

Lib. 8. c. 23.

Lib. 3. c. 7.

"De Ciuitat. Dei lib. 14. c. 27.

Gentium varia idololatria.

Idololatriæ crassissimæ genus.

Iudæi idololatrę nõ Deum in saxis sed saxa colebant ipsa.

Ieremi. 2. &

mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusce modi. Si mutauit gens Deos suos, certè ipsi non sunt Dij: (contra Caluinũ, qui vult omnes Gentes coluisse vnum Deum) *Populus verò meus mutauit gloriam suã in idolũ. Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Quid apertius dici potuit? Nõ in idolo Deum, sed relicto Deo idolum coluerunt. Mutauerũt gloriam suam, id est gloriosum vnius veri Dei cultum in idolum.

Ver. 26. Sed sequuntur adhuc clariora: *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusa est domus Israël, ipsi & Reges eorũ, & principes & sacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Apertè dicit, relicto penitus Deo, omniq́ue memoria eius, ipsa simulachra lignea & lapidea Iudæos coluisse, & quidem tanto numero, vt paulò post

Ver. 28. subijciat: *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui Iuda.* An isti vnum Deum in variis simulachris coluerunt? Nec minùs expressè Esaias Propheta: *Conuersi sunt retrorsum, confundantur confusione qui confidunt in sculptilibus, qui dicũt conflatili, Vos Dij nostri.* Et

Esai. 42. Cap. 46. rursum alio in loco: *Conducunt artificem vt faciat Deum, & procidunt, & adorant.* Hic fuit crassissimus tam Iudæorũ quàm Gentilium idolorum cultus. Secundus idololatriæ gradus tu-

Idololatriæ gradus secũdus.

dus fuit, non ipsa saxa aut dæmonia illis affixa, sed ipsas creaturas, cœlũ, mare, terram colere & adorare, vt describit Augustinus de doctrina Christiana libro 3. cap. 7. Tertium genus quosdam homines mortuos pro Dijs colebat, per imagines eorum, Iouem, Mercurium, & alios, & hæc erat Theologia fabularis seu poëtica. Quartũ genus ipsum mundum tãquam animatum quid pro Deo habebat, & per statuas illa colebat, vt describit ex Varrone Augustinus in opere de Ciuitat. Dei. De hoc genere dicit Scriptura, quòd *colit omnẽ militiam cœli*. Quintum adhuc genus spirituales quasdam substãtias à Deo creatas colebant, id est, ipsa dæmonia & malos Angelos per se. Tales erant Platonici. Et hæc duo postrema genera ad physicã Theologiam quasique veram sapientiam referebantur. In nullo autem istorum omnium, & minimè in primo genere omnium crassissimo, (vt fingit Caluinus) verus Deus aut vnus Deus colebatur. Imò in illis omnibus dæmonia colebãt (iuxta Scripturæ verbum, *Omnes Dij Gentium dæmonia*) quatenus per illa omnia id colebant, vnde beneficia acceperunt, aut accipere se existimabant: his enim omnibus modis dæmon illos ludificabat, vt disertè describit Lactãtius: Arnobius quoque in oratione ad Gentiles, Tertullianus in Apologetico, Iustinus Martyr, Tatianus, Athenagoras in orationibus aduersus Gen-

Tertius.

Quartus.

Lib 7. c. 16.

4. Regum 21. & 2. Parал. 33.

Quintus.

Diuinar. Institut. lib. 2. c. 17

tes; (quod & ipse Celsus apud Origenem non dissimulat) luculenter docent, ipsa saxa & ligna à vulgo Gentilium adorari solere.

Sed nunc apertissimis Scripturis Caluini cõmentum, in quo tantopere gloriatur, breuiter & solidè refutemus. Omnes sanè illas Scripturæ hoc faciũt, quæ in idolorum cultu nullum verum Deum agnitum, imò penitus ignoratum aut certè neglectum atque reiectum docent. In hanc sententiam praeter citata iá Ieremiæ & Esaiæ loca, multa in Scripturis sacris referuntur. De Iudæis relapsis dicitur: *Seruierunt idolis, dimiserũtq; Dominum, & non coluerunt eum.* De vitulo aureo canit Dauid: *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*: & addit statim, ne in illo vitulo ipsum Dominum eos coluisse quis existimet, (vt Caluinus imprudenter asserit) *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto*, &c. Rursum in alio Psalmo: *Auerterunt se, & non seruauerunt pactum, conuersi sunt in arcum prauum. Inuitauerunt concitauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.* Prius ponit auersionem à vero Deo, postea conuersionem ad idola: & quidem talem, quæ ad æmulationem prouocat. Sic Babylonij in despectum & æmulationem veri Dei Israël, *laudabant Deos suos aureos & argenteos.* Adhuc semel de suis Iudæis Moyses

Deum in suis simulachris Gentes nõ coluisse ex Scripturis probatur.

Iudic. 10.

Psal. 105.

Psalm. 77.

Dan. 5.

Deus

Deum, qui te genuit, dereliquisti: oblitus es Domini Deut. 32.
Creatoris tui, Immolauerunt dæmonijs, & non Deo; dijs quos ignorabãt. Qui vnus locus illam Caluini dementiam & audaciam refutat, qua scribit: *Non tam prorsus incogitantes erant Iudæi,* Instit lib. 1. cap. 11. num. 9.
vt non meminissent Deum fuisse, cuius manu eductii essent ex Ægypto, antequam fabricarent vitulum. Excusat homo nefarius Iudæos, vt Christianos accusandi materiã capter. Sed illius os mendacij conuincit Moyses, qui disertè dicit de hoc facto Iudæorum: *Obliti sunt Domini creatoris sui, Immolauerũt dæmonijs, & non Deo.* Quod & verba Psalmistæ suprà citata luculentiùs affirmant. Addit adhucibidem Caluinus: *Quin Aaroni dicenti illos esse Deos à quibus liberati essent è terra Ægypti, intrepidè annuebant, non dubia significatione, velle se retinere illũ Deum liberatorem, modò præeuntem in vitulo conspicerent.* Atqui non hæc Aaron dixit, sed verba populi erant, Dei sui iam obliti & infatuati. *Dixeruntque* (ait textus) *Hi sunt dij tui Israel,* Exod. 32.
qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est. Quod haud dubiè aut ad populi ludibrium (sicuti ad eum finem illos auro & argento suo spoliauit) aut cum summa blasphemia ad ipsius Dei ludibrium, vt populo placeret, Aaron per præconem clamari fecit. Clara enim sunt Moysis & Dauidis verba, quibus testantur hunc vitulum à Iudæis adoratum

Caluinus Iudæos excusat vt Christianos accusaret.

ratum *cum Dei obliuione, derelictione, contemp*
Sed alias Scripturas in medium adferam
De Gentibus idololatris Apostolus dicit
Rom. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in si*
litudinem imaginis corruptibilis hominis, & vo
crum, & serpentum, &c. id est, vel homin
mortuos, vel alias creaturas, relicto ve
Deo, coluerunt. Vnde de eisdem conuer
1. Thess. 1. ad Christum ait: *Conuersi estis ad Deum à*
mulachris, seruire Deo viuo & vero. Ergo pri
penitus auersi erant à Deo, nec Deum p
simulachra, sed ipsa simulachra colebant.

Quibus ita explicatis, insulsæ Calu
cauillationes superiùs prolatæ facilè refe
luntur. Ethnicorum patronum agens, a
Instit. lo- *non ita stupidos censendos fuisse Ethnicos, vt no*
co citato. *intelligerent Deum alium esse quàm ligna & lap*
des. Attamen cur & quomodo hoc tanto
stupore, *traditi* videl. *à Deo in reprobum sensu*
percussi fuerint, tum Apostolus narrat, iusto
Dei iudicio in pœnam superbiæ & Dei con
temptus illud attribuens, tum D. Augusti
nus loco primùm citato apertè declarauit.
Sed luculentissimè id liber Sapientiæ de
monstrauit. De illis qui elementa & opera
Sap. 13. Dei coluerunt, dicit: *Vani sunt omnes homines,*
in quibus non subest scientia Dei, & de his qua
videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui
est, neque operibus attendentes, agnouerunt quis es
set artifex. Istis ergo refutatis, qui purgatio
res cæteris videbantur, quia saltem opera

Dei

Dei, non opera hominum, venerabantur, Deum tamen ignorantes, de crassis idololatris subiungit. *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem*, & cætera quæ sequuntur. De quibus tandem concludit: *Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, pro vita mortuum, pro itinere eum qui ambulare non potest, & de omnium rerum euentu ab eo qui in omnibus est inutilis.* Hæc Sapientiæ liber; quo tamen sapientior videri volens Caluinus, affirmat, *Nisi Dei numen ac virtutem alligassent simulachris, an illuc suas preces & vota direxissent?* Ita non veretur apertè Scripturæ contradicere. Sed à D. Augustino in loco ab ipsomet citato discere Caluinus debuit, certam hanc fuisse Ethnicorum stupiditatem, vt ipsa saxa, sine vllo diuino numine illis affixo, inuocarent. *Quis* (inquit) *adorans vel intuens simulachrum, qui non sic afficitur vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari, quod desiderat, speret?* Hæc Augustinus; qui ex libro Sapientiæ illud didicerat, vbi clarissimis verbis iam citatis illud affirmatur. Iam quod pro suæ absurdissimæ sententiæ confirmatione adfert Caluinus (loco in Institutione citato) *mutasse quidem Gentiles pro suo arbitrio simulachra, eosdem tamen Deos animo semper retinuisse; & vni Deo multa simulachra posuisse, nouaque ia quotidie consecrasse, vt non putarent*

Ad c. 17. vers. 24. in Acta.

Cal. Scripturæ apertè contradicit.

In Psalm. 113.

rent se nouos facere Deos: quis non videt diui-
næ Scripturę apertissimè aduersari, quę ipsi
Ierem. 2. Iudæis ad idola conuersis dicit: *Iuxta numerum ciuitatum tuarum facti sunt tibi dij tui Iuda*? Et quamuis eodem in loco Gentium in sua superstitione constantiam, *quòd non mutauerit Deos suos*, Iudæis exprobrat Propheta, qui *gloriam suam commutauerunt in idola*; tamen Gentes Deos suos multiplicasse, & veteribus retentis nouos subinde addidisse, ex omnibus Gentium historijs compertissimum est. Quo in genere maximè superstitiosi Romani fuerunt, qui post Augustum Cæsarem Imperatores suos in Deos retulerunt, *consecratis templis, erectis aris, datis flaminibus*, vt apud Flauium Vopiscum, Iuliũ Capitolinum, Trebellium Pollionem, & alios qui Ethnicorum Imperatorum vitas scripserunt, videre est. Quàm est ergo non solùm atrox & horrenda, sed fœda etiam & putida hæc impij Caluini accusatio, quam etiam ex eius ore Caluinistæ omnes acceperunt, *Non aliam suppetere Catholicis sacrarum imaginum defensionem, quàm qua olim Gentiles & Iudæi suos errores vtcumque fucare ac tegere conati sunt!* Primi nostrorum temporum Iconomachi Gẽtilitiam superstitionem, eamque crassissimam, quòd saxa & ligna colerent Catholici, ipsis obiecerunt. Hæc quia nimis crassa & à quolibet palpanda calumnia statim apparebat, subtiliùs agere volens Caluinus,

uinus, Gentilitiam superstitionem ab illis crassis erroribus liberat; eam extenuat, & non nisi vero Deo per sua simulachra Gentes ac Iudæos litasse affirmat; vt eodem crimine Catholicos inuoluat; qui in suis imaginibus nec ligna ac saxa, nec vlla huius mundi elementa, nec vllos homines mortuos pro Dijs colunt, sed Christum ac Sanctos eius in fide & cultu vnius Dei venerantur. Sed vera est diuina Scriptura: *Omnes Dij Gentium dæmonia.* Vera est Moysis de Iudæis sententia: *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo.* Vera est demum Pauli assertio: *Quæcumque Gentes immolant, dæmonijs immolant, & non Deo.* Falsa, execranda, flagris non stylo coërcenda, perpetua hæc est Caluini & Caluinistarum in Ecclesiam Dei blasphemia.

Caluinus primis Protestãtibus subtilior esse volens, fit nequior.

Psalm. 95.

Deut. 32. 1. Cor. 10.

CAP. XVIII.

18. *Qui sibi tot onderat in Cenchræis caput: habebat enim votum.*

DE quo hæc dicantur, an de Paulo, an de Aquila, an de Priscilla & Aquila simul, varia lectio facit dubitare. Chrysostomus in plurali legit, vt de Priscilla & Aquila intelligatur. In Bibliotheca quoque Vaticana huiusmodi Græcam lectionem sese vidisse affirmat Cæsar Baronius

Tom. 1. nius in Annalibus. Beda illam lectionem putat esse mendosam, Retract. in Act. cap. 18. D. August. epist. 19. ad Hieronymum, & D. Hieronymus vicissim, de solo Paulo hoc exponunt. Similiter hæretici interpretes intelligere malunt. Istud autem votum legale (de quo lege Num. 6.) Paulus fecit & expleuit, *neque Christianam salutem aut remissionem peccatorum in ea ceremonia ponens*, vt docet S. Augustinus loco citato; neque tamen nullum Dei cultum in eo exercens, vt ad hunc locum acerrimè contendit Caluinus. Plane enim (vt Augustinus loco citato de hoc ipso facto & de eadem ceremonia repetita infra cap. 22. & de circuncisione Timothei scribit) *ideo fecit, ne illa quæ prioribus (vt congruebat) temporibus in vmbris rerum futurarum Deo fieri iusserat, tanquam idololatriam Gentilium damnare crederetur: & propter commendandam auctoritatem diuinam, & Sacramentorum illorum prophetica sanctitatem.* Et in alijs illis duobus factis, vt Iudæis sese accommodaret, Paulum illa fecisse, manifestum est. Hoc autem votum in Cenchræis expletum, votum prius uatum fuisse, religionis & sanctificationis causa assumptum, qualis Num. 6. describitur, dubitari non debet. In peregrinatione quippe sua, qua passim Christum Gentibus prædicabat, vt Iudæis sese conformaret, nulla ratio erat. Deinde, ideo relicto Epheso Hierosolymam festinasse videtur, vt, quo

Votũ Pauli religionis causa assumptũ.

vot

voto huiusmodi expleto in templo iuxta leges offerenda erant, offerret. Iudæis quippe adhuc licebat cæremonijs legalibus vti; huiusmodi maximè quæ non vmbraticæ, aut præfiguratiuæ, sed ad Dei cultum & sanctificationem propriè destinatæ erant: qualis hæc inprimis cæremonia fuit. *Deo enim se consecrabant ad certos dies, à vino & omni omnino fructu vitis abstinentes*, & cæsariem gestantes, quam voto expleto totonderant. Hanc cæremoniam legalem, nec figuralem, nec sacrificalem, sed simplicem Dei cultum, Paulus adhuc seruauit, veluti quæ ad Dei cultum & corporis mortificationem pertineret; suo exemplo Christianos docens, vota ad corporis mortificationem vel pietatis augmentum suscepta, à Christiana religione minimè esse aliena.

Quid tamen in contrarium adferat Caluinus, expendamus. *Votum* (inquit) *hoc cæremoniale non fuisse priuatim à Paulo conceptum, vt Deo cultum aliquem præstaret, pro confesso sumo.* Atqui quod ille pro confesso sumit, hoc ita sumendum nõ esse iam probatum dedimus. Quid ille contrà disputet, videamus. *Sciebat* (inquit) *temporale fuisse, quod sub lege mandauerat Deus veteri populo.* Respõdeo: Cæremonia ipsa tẽporalis erat; sed mortificatio voto nũcupata, ad quã hæc cæremonia veteri populo data fuit, non erat temporalis, sed omnium temporũ est, quatenus omni tempore *mor-*

re *mortificanda sunt membra nostra quæ sunt s*
Coloss. 3. 5. *per terram* (vt Paulus docet) & omni tempo-
1. Cor. 9. 27. re *castigari* hoc *corpus* debet, *ne, quum aliis prædi-*
cemus, ipsi reprobi simus; quod Paulus se feciss
atteſtatur, hanc ipsam fortasse mortificatio-
nem ex parte insinuãs, quã in hoc suo vtu
exercuit. Ab ipsa igitur ceremonia prop
legali & temporali, distinguenda est morti-
ficatio corporis, castigatio & abstinentia ce-
remoniæ adiuncta. Sed pergamus cum Ca-
uino, vt, quò demum tendat ipsius orati
videamus: *Nos verò scimus quàm sedulò d*
Paulus regnũ Dei non esse situm in externis illis el
mentis, & quàm acriter illorum abrogationem v
geat. Respondeo: Regnum Dei nõ est situm
in externa qualibet corporis mortificatione,
in esca & potu, in cibi & vini abstinẽtia, ab-
1. Tim. 4. 2. que interna pietate: sed vt *pietas ad omnia vti-*
lis est, sic corporis exercitatio ad modicum vtilis
quatenus hæc ad illam manuducit, illa hã
perficit. Porrò externorũ elemẽtorum lega-
lium abrogationẽ Paulus vrget, partim qu
vmbratica erant, partim ne veluti legalia &
Iudaica à Gentibus ad Christum conuersis
assumantur: in tota quippe illa doctrina
Gẽtiles Christianos informat. Pergit Ca-
uinus: *Absurdum sanè fuisset ea religione, qua alio*
soluebat Paulus, suam ipsius conscientiam obstring
At Paulus adhuc Iudaicas ceremonias non
quidẽ vmbraticas (vt dixi) sed ad pietatem
institutas seruare, suamq; ipsius conscien-
tiam

tiam ex voto obstringere volens, nihil absurdi facit, cùm Gentiles Christianos eadem religione soluit. Alia erat Gentilium Christianorum, alia Iudæorum qui ad Christum conuersi essent, ratio. Istis adhuc toto Pauli tempore Iudaicas ceremonias etiam purè legales seruare fas erat: Gentiles Christiani illis in vniuersum obstringi non potuerunt. Quare tota hæc Caluini disputatio nihil ad hominum. Vnde valde insulsè infert: *Si igitur totondit Paulus non alium ob finem, nisi vt Iudæis adhuc rudibus, necdum rite edoctis, se accommodaret: quemadmodum testatur 1. Cor. 9. 20. vt eos, qui sub lege erant, lucrifaceret, se voluntariam legis, à qua liber erat, subiectionem obijsse.* Atqui vt hoc totum de alijs ceremonijs merè vmbraticis verum esse possit, de quibus infrà cap. 20. agitur, tamen ad hoc Pauli factum nihil istud pertinet, propter causas iam explicatas. *Si quis obijciat* (ait Caluinus) *non licuisse votum simulare quod non ex animo conceperat; responsio in promptu est, quo ad purificationis substantiam nihil eum ficte egisse, ceremoniam verò, quæ adhuc libera erat, adhibuisse, non quasi Deus talem cultum exigeret, sed vt rudibus aliquid concederet.* Hæc obiectio in hoc voto Cenchræis expleto nullum locum habet. In alia illa legali purificatione, de qua infrà cap. 20. Lucas scribit, locum hæc obiectio habere potest. Sed in hoc (vt dixi) voto locum non habet, quia nulla hîc simulandi necessitas

erat. Imò ab omni potiùs simulatione ab
tinendi maior necessitas fuit. Hoc qu
pe votum nec Hierosolymis, nec inter I
dæos, nec vt illis sese accommodaret, s
Cenchræis, oppido Achaiæ, & apud Gen
euangelizans, & ex propria deuotione s
cepit. Ipsa quoque purificationis substan
quàm Caluinus eum non fictè egisse fa
tur, non erat nuda ceremonia, sed pia ac s
Num. 6. cta quædam *à vino, omniq́ue quod inebriare
tuit, adeoq́ue ab omni fructu vitis, ad certum
abstinentia, qua Domino sanctificaretur.* Ha
ergo quum non fictè egerit, profectò De
in hac purificatione non fictè coluit, & s
ctificationi spiritus (mediãte corporis mo
tificatione) non simulatè studuit. Ita
dixi) nullo modo hæc obiectio in hoc pr
senti voto locum habet.

Venit tandem Caluinus ad disputatio
nis suæ scopum; & quò tota hæc spectan
hactenus textus corruptela, demonstra
Ideo (inquit) *ridiculi sunt Papistæ, dum hinc v
uendi exemplum elicunt.* Sed attende, Lecto
quàm ridiculè & futiliter hanc accusatio
Caluini antitheses dissolutæ. probat. Conatur id facere per certas anti
theses, sed malè sartas & pessimè fundat
Paulum (inquit) *nulla ad vouendum religio
duxit: isti verò fictitium Dei cultum in votis loca*
Prior antithesis malè fundata pessimè c
hæret. Iam enim liquidò à nobis demo
stratum est, sanctificationis ac mortificatio

nis propriæ ſtudio ac religione Paulum ad hoc vouendum inductum fuiſſe: ideoque non fictitium, ſed verum, purum, ac ſincerum Dei cultum in votis locari piè ac prudenter ſuſceptis, fortiter ac religiosè præſtitis. Sequitur alia antitheſis nihilo melior: *Paulum temporis ratio cogebat ad ſeruandos legales ritus: iſti non aliud proficiunt, niſi vt Chriſtianam Eccleſiam, cui pridem ſua conſtat libertas, ſuperſtitione implicent. Longè enim aliud eſt, obſoletas ceremonias in vſum reuocare, quàm eas adhuc ſuperſtites tolerare, donec paulatim in deſuetudinem abierint.* Rurſum prior antitheſis pars malè fundata peſsimè cohæret. Non enim ad hoc votum, de quo hîc fit ſermo, vlla temporis ratio Paulum cogebat, ſed ſolum pietatis ſtudium impellebat, vt iam à nobis ſemel atque iterum oſtenſum eſt. In poſteriori antitheſis parte ita diſputat Caluinus, ac ſi iſta ceremonia legalis, à Paulo ex voto ſuſcepta, à Catholicis hodie ſuſciperetur. In quo quia turpiter ſimplici lectori imponit, tota, quam fingit, oppoſitio penitus concidit. Neque enim hanc ceremoniam legalem veterem obſoletam in vſum aliqui reuocãt Catholici. An de vllis vnquam Catholicis Chriſtianis auditum eſt, aut in Catholica Eccleſia vnquam obſeruatum fuit, quod de hac ceremonia præſcribit lex Moſaica? Sic habet lex: *Vir ſiue mulier quum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare,* Caluini impoſtura. Num. 6.

re, à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebit. Acetum ex vino & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, nõ bibẽt: vuas recentes siccásque non comedẽt cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quicquid ex vinea esse potest, vsque ad acinum, non comedent. Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius vsque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit (siue Nazaræus erit) *crescente cæsarie capitis eius.* Et post multas alias huius consecrationis ceremonias ita prosequitur legislator: *Tunc radetur Nazaræus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ*: tandemque concludit: *Ista est lex Nazaræi, quum vouerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ: exceptis his quæ inuenerit manus eius, iuxta quod mente deuouerat, ita faciet ad perfectionẽ sanctificationis suæ.* Hæc ibi. Quis ergo Caluino in mentẽ venit, vt hãc obsoletã ceremoniam legalẽ in vsum à Catholicis reuocari affirmaret? An non splendide mentitur, ac imperito lectori turpiter imponit? Transit adhuc ad alia: *Omitto quòd clericalem suam tonsuram Papistæ frustra & impie cum purificationis symbolo comparant, quod Deus in lege probauerat.* Sed & hoc frustra atque inepte à Caluino obijcitur. Clericalis tonsura est capillorum abscisio: purificationis illa legalis non patiebatur nouaculam ascendere super caput eius qui purificari voluit. Quomodo ergo hæc illius symbolo

Tonsura clericalis inepte à Caluino taxata.

esse potuit? Imò contrà disputat Epiphanius, monachos nunc tonsos esse debere, quia gestare cæsariem, Nazaræorum veteris Testamenti proprium erat. Quare si de cæsarie, quam gestant clerici, hoc dixisset Caluinus, paulò probabilior fuisset obiectio. Sed nec illa res toti clero generalis est (quũ in tota Italia, ipsaque maximè vrbe Roma, cæsariem clerici non gestent, sed attonso sunt capite) nec cum hac purificatione legali vllam affinitatem habet, quando votum huic purificationi adiunctum à nullis clericis assumitur. Denique, quæ in veteri populo obseruata, à Christianis in vsum assumpta sunt, non tanquam ceremoniæ legales, sed vt Ecclesiasticæ obseruationes, longè alio ritu ac fine assumuntur; quod contra veteres hæreticos, similia obijcientes, veteres & doctissimi Patres olim responderunt; contra Aërium[a] Epiphanius, contra Eunomium[b] Hieronymus, & contra omnes in genere[c] Leo Magnus. Sed & ipse Caluinus ceremonias legales, quando ipsi videtur & placet, in Ecclesiæ Christianæ vsum assumi posse, pleno ore profitetur, quod nuper ex eius verbis docuimus. Quibus & istud adijcimus. Agens de oratione publica in templis, *Et si*, inquit, *cessarunt legales vmbræ, quia tamen hac ceremonia inter nos quoque sidei vnitatem Deus fouere voluit, non dubium quin ad nos pertineat eadem promissio.* At garrulam

Hær. 20. Ceremoniæ legales quomodo à Christianis assumuntur.

a Hær. 75. b In com. ad Gal. 4. c Serm. 4. de ieiunio 7. mensis.

Sup. in cap. 3.

Institut. lib. 3. cap. 20. n. 29.

tandem Caluini θαῤῥολογίαν concludamus. *Sed* (inquit) *quia minimè necessaria est longior refutatio, nobis hoc vnum sufficiat, Paulum vt infirmos Christo adduceret, saltem ne eos offenderet, voto se obligasse, quod sciebat coram Deo nullius esse momenti.* Sanè quia ineptiarum Caluini minimè necessaria est longior refutatio, nobis contra eius corruptelas hoc vnum sufficere debet, Paulum in hoc suo voto Ceremoniis expleto, nec vt Iudæos Christo adduceret, nec vt eis sese accommodaret, quibus extra Hierosolymam ita parum Iudæus videbatur, vt *discessionem & apostasiam à Moyse eum docere* publicè criminarentur, sed vt iuxta illius ceremoniæ legalis ritum *Domino consecraret, seque ipsum sanctificaret* (quæ ceremoniæ vsus erat) ceremoniam illam legalem obseruasse: vt impius apertè Caluinus sit, qui hanc voti obligationē à Paulo factā *nullius fuisse coram Deo momenti*, adeoque ipsum Paulum hoc sciuisse, solita sua audacia & impudentia affirmet. De ipsa votorum ad verum Dei cultum susceptā Christianis obligatione, quam hæc ceremonia legalis à Paulo iam Christiano, adeoque Christianorum Apostolo, susceptā non mediocriter illustrat atque confirmat, * alibi contra Caluinum disputauimus.

Act. 20.

Num. 6.

* In Ant. Euang. ad Matt. cap. 14. ver 9. In Prom. Cath. in die Annū. B. Virginis.

CAP.

CAP. XIX.

5. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu: & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

EST hic vnus locus pertinaciæ hæreticæ, & quàm cauteriata conscientia horum temporum hæretici Scripturas deprauât, memorabile exemplũ. Quum enim perspicuè doceat discrimen baptismi Ioannis à baptismo Christi (quod discrimen illi non admittunt, partim ne baptismi Christi proprium effectum regenerationem spiritualem agnoscant; qui sanè Sacramenti effectus soli fidei iustificanti repugnat; partim vt baptismum nostrum non nisi pœnitentiæ esse baptismum, sicut Ioannis erat, præterque baptismi Sacramentum nullum aliud pœnitentiæ esse demonstrent) Patresque omnes vtriusq; baptismi discrimen ex hoc potissimùm loco confirment; Origenes in Ioann. tom. 8. Hieronymus in Ioël. cap. 2. & in Dial. contra Lucifer. Chrysostomus hom. 40. in Acta, Oecumenius in hunc locum, qui Basilium, Nazãzenum, Cyrillum, Athanasium, & alios Græcos Patres se sequi profitetur, & omnium maximè D. Augustinus tract. 5. in Euangel. Ioan. & cõtra Donatistas lib. 5. cap. 9. & cap. 11. & contra lit.

Ioan. baptismum à Christi bapt. non differre, cur hæretici hodie volunt.

Scripturæ ab hæreticis corruptæ memorabile exemplum.

Petiliani lib. 2. cap. 32. Hæretici tamen moderni ad vnum omnes vtriusque baptismi discrimen ex hoc loco probari pertinacissimè negãt; ideoque hunc textum fœdissimè lacerant. Priores hæretici eò quòd in superiori capite, vbi de Apollo dicitur, *Sciens tantùm baptisma Ioannis*, nomine baptismatis tota Ioannis prædicatio & institutio intelligitur, quæ cum baptismate in aqua coniuncta erat; volunt etiam hoc loco quòd isti Ephesij *baptizati* dicuntur *baptismate Ioannis*, non de baptismo in aqua, sed de *sola institutione & doctrina Ioannis* intelligi. Huius corruptelæ primus author fuit Zvvinglius in com. ad Marc. cap. 1. quem sequutus est Bucerus in com. ad cap. 3. Matth. & Bullingerus in com. in hunc locum. Sed hæc fœda corruptela hoc vno verbo euincitur, quod sic *Ioannes Baptista* a Ionnes prædicator, eiusque baptismus mera prædicatio vocari debuit.

Hæretico rum variæ corruptelæ circa hunc vnũ locum.

1.

2. corruptela.

Alij postea hæretici de Ioannis quidem baptismo in aqua facto sermonem hîc haberi fatentur; sed baptismum illum Ioannis non verum & germanum, at in aliqua corrupta forma datum fuisse, vtpote in quo de Spiritu S. nihil esset dictum, affirmant, ideoque fuisse de nouo à Paulo baptizatos. Hanc corruptelam tradunt Lutherani Magdeburgenses Cen. 1. lib. 2. cap. 4. in tit. de baptismo: & Martinus Chemnitius hunc sensum ex textu Græco colligi posse vehemen-

ter

ter contēdit: in Cēsura Conc. Tridēt. in Sacramento baptismi. Atqui contra istos ait Caluinus: *Quia nihil habet coloris hæc coniectura, imò potiùs innuunt verba Pauli veros & germanos fuisse Ioannis discipulos, & Lucas honorificè vocat eos discipulos Christi, huic sententiæ non subscribo.* Adhuc alij hæretici, admittētes quòd vero baptismo Ioānis isti fuerint baptizati, mox id quod dicitur, *Baptizati erant in nomine D. Iesu*, exponūt, *institutos & edoctos illos à Paulo fuisse totam fidem de Christo*: quam manifestam corruptelam his verbis reijcit Caluinus: *Quidam baptismi nomen pro noua institutione accipiunt: quibus non assentior, quòd eorum expositio, vt coacta est, effugium sapit.* Tandem Caluinus ipse non minùs absurdè quàm cæteri verba hæc, *Baptizati sunt in nomine D. Iesu*, nihil aliud vult significare, quàm quòd duodecim isti, audita Pauli prædicatione, *acceperūt Spiritū S.* sicuti suprà cap. 1. dicitur, *Baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.* Quod autem apud Lucā sequitur, *Et quum imposuisset manus Paulus, venit Spiritus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*, exegeticè tantùm dici, & esse explicationem præcedentis sententiæ, *more Scripturæ, quæ, quod breuiter proponit, clariùs explicat.* Sed hæc violenta sacri textus contorsio facilè reijcitur. Primùm, quia non dicit Lucas eos baptizatos fuisse Spiritu S. sicut Act. 1. Christus locutus est, vbi propterea de visibilibus donis

3. corruptela.

4. corruptela Caluino propria.

Act. 1.

Caluini corruptela refutatur.

Spiritus S. agi perspicuum est, sed tacens de Spiritu disertissimè *baptizatos illos fuisse in nomine D. Iesu*, quæ phrasis perpetuò apud Lucam proprium Christi baptismum denotat, vt suprà Act. 2. 8. 10. Et vide quàm frigidè hãc validissimam obiectionem soluit Caluinus. *Si obijciat quispiam* (inquit) *baptismi nomen, vbi pro Spiritus donis ponitur, non simpliciter, sed cum adiectione sumi; respondeo, ex contextu satis patere Lucæ mentem: deinde, Lucam alludere ad baptismum cuius meminerat.* Vide impostoris fraudem. Duo videtur concinnè dicere, quum prorsus nihil dicat. Dicit ex contextu patere Lucæ mentem. Sed quis sit ille contextus, & quomodo hoc pateat, nihil dicit, quia reuera quod diceret non habebat. Generali quadam propositione lectorem ludificat. Deinde, si Lucas alludit ad baptismum cuius meminerat, quærendum à Caluino de quo baptismo loquatur. Meminit enim certè Lucas baptismi in Spiritu Act. 1. sed adiecit perspicuè, *Baptizabimini Spiritu Sancto*. Si ad illum alludit, cur non eandem adiectionem apposuit? Illa est obiectio ad quam Caluinus non respondet. Rursum meminit sæpe Lucas alterius baptismi Christo proprij, cuius quoties meminit (locis suprà citatis) adiecit, *In nomine Domini Iesu*. Hanc particulam cùm hoc loco adijciat, quis dubitabit non solùm ad illum baptismum alludere Lucam, sed & illum ipsum

Caluini ars & impostura.

Act. 2. & 8. & 10.

ipſummet deſignare? Sed de hac adiectione, *In nomine Domini Ieſu*, in toto ſuo commentario ne vnum quidem verbum impoſtor Caluinus dicit. Deinde, de viſibilibus Spiritus S. donis diſertè ſubiungit Lucas per impoſitionẽ manuum Pauli illa data fuiſſe. Hæc autem dona viſibilia rem fuiſſe à baptiſmo eiuſque effectibus planè diuerſam, multis modis manifeſtũ fit. Primùm, quòd tam ante baptiſmum vt in Cornelio Act. 10. quàm poſt baptiſmum, vt in Apoſtolis priùs baptizatis in die Pentecoſtes, data aliquando fuerunt. Deinde, quòd per impoſitionẽ manuum diſtincto Sacramento iam baptizatis dari ſolebant, vt ſuprà Act. 8. latè oſtendimus. Rurſum, quòd, & ſi cum ipſo baptiſmo interdum darentur, tamen per diuerſam ceremoniam impoſitionis manuum. Quare hoc loco baptizari dicuntur in nomine Chriſti, non à Paulo, ſed ab alijs quibuſdam: Spiritum S. verò accepiſſe dicuntur *per impoſitionem manuum Pauli*. Poſtremò, quòd ceſſantibus illis donis, baptiſmus nihilominus integer & perfectus manet, manifeſtè liquet baptiſmi proprium effectum illa dona non fuiſſe. Lucas igitur baptiſmum & Spiritus S. dona collata commemorans, illum *in Chriſti nomine* datũ, hæc *per impoſitionem manuum Pauli* collata, diuerſas ceremonias luculentiſsimè deſcribit. Quæ hîc Caluinus contra diuerſum impoſitionis

Alia impoſtura: textum ſibi aduerſantẽ diſſimulat.

Spiritus S. dona viſibilia à baptiſmo diuerſa.

sitionis manuum Sacramentum pluribus verbis garrit, suprà ad Act. cap. 8. vbi eadem prorsus effutiuit, satis refutata dedimus.

Ver 15. 16. 17.

5. corruptela Bezæ propria.

Post hos omnes Theodorus Beza tametsi Caluinum hoc loco *doctissimum interpretem* vocat, eius tamen relicta dementia, & suo quoque modo sapere volens, ait verba illa Lucæ, *His auditis, baptizati sunt*, non ad istos 12. Ephesios quibus Paulus hîc loquebatur, sed ad illos qui audito Ioanne Baptista baptizati sunt baptismo Christi, referēda esse, & de illis, non de istis, intelligēda. Totā hominis disputationem, quam præter morem prolixam hîc & accuratam (quantum ad rem præsentem pertinet) in mediū proferam, expendam, & variæ vanitatis conuincam. *Quæritur* (inquit) *quid Paulum impulerit vt ab Ephesijs quæreret, si Spiritum S. accepissent. Etenim si Spiritus S. nomine intelligatur vel ipse Spiritus S. vel eius donum, quo pius omnis, id est, verum Deum profitens, à merè profano siue veræ religionis ignaro dignoscitur, nimis absurdum fuerit hoc quærere ex ijs qui iam pro discipulis non temere nec falsò haberentur.* Hanc non fuisse quæstionis Paulinæ mentem, facilè Bezæ concedimus; vnde illa Lutheranorum sententia refellitur, quæ adulterinum hîc quendam Ioannis baptismum somniant, sine vlla Spiritus doctrina acceptum, quo isti 12. Ephesij baptizarentur. Prosequitur Beza: *Sin verò de donis*

de donis illis extraordinarijs, vt dono linguarum & prophetiæ, quibus isti postea donati fuisse dicuntur ver. 6. hoc accipiatur, cur hæc ex istis rogasse Apostolum dicimus, cùm ea cunctis credentibus minimè fuerint communia? Atqui tametsi præcisè cunctis ea fortasse dona non fuerint cõmunia, ad quæstionis tamẽ rationem sufficit, quòd plerisque, & valde multis, illa dona vel pariter cum baptismo vel certè post illum per impositionem manuum adiectam (vt de Samaritanis à Philippo baptizatis legimus) illa dona conferebantur. Sanè vt per impositionem manuum illa dona conferri solebant, ita cùm omnibus baptizatis illud alterum Sacramentum impendi soleret, omnibus quoque discipulis seu baptizatis illa dona satis communia tunc temporis erant. Sed libentius fortasse huius Paulinæ quæstionis rationem ex ipso Caluino audiet Beza, aut alius quispiam Caluinista. Ad illa Pauli verba, *An Spiritum S. accepistis?* ita scribit Caluinus: *Clausula historiæ ostendit de specialibus donis hîc à Paulo haberi sermonem.* Et paulò pòst proponit hanc quæstionem, fueritne tunc passim commune omnibus hoc Spiritus donum: cui sic respondet: *Fortè non gregarij fuerunt homines: vel quia in mediocri numero erant, hoc est, duodecim, quærit Paulus an omnes donorum sint expertes.* Hæc & adhuc alia illic Caluinus, vt doceat, tametsi hoc fortè donum omnibus commune non erat, iusta tamen

Act. 8.

tamen ex causa hac ratione Paulum hoc ab illis 12. quæsiuisse. Vana est igitur Bezæ subsequens conclusio, cui veluti fundamento suam postea singularem supertexuit corruptelam, qua dixit: *Necesse est igitur fateri, non agi hîc de peculiari quapiam 12. hominum historia qui sunt ab Apostolo seu baptizati seu rebaptizati, neque de baptismo, sed de Ephesinæ Ecclesiæ primordijs, quum antea nulli fuissent illic ordine constituti piorum conuentus: ac proinde Apostolum percontari de donis quibus illos peculiariter solebat Deus ornare, qui gubernaculis Ecclesiæ admouebantur, num videlicet iam essent illis manus impositæ, vel ijs saltem Spiritus S. donis præditi, ex quibus colligeretur illos ad sacrum ministerium diuinitus vocari, veluti dono linguarum & prophetiæ. Hoc autem posito, facile est intelligere quæ postea narrantur, & quantopere Veteres præsertim à scopo & huius loci explicatione (quod eorum pace dictum sit) aberrarunt.* Hæc pro suæ singularis deprauationis fundamento Beza. Quia dona Spiritus S. extraordinaria non erant omnibus communia, & dona Spiritus S. necessaria nemini Christiano erant negata, propterea Pauli quæstionẽ de neutro hoc genere, sed de donis Ministrorum verbi, & quæ illi per manuum impositionem accipere solebant, necessariò intelligendam esse concludit. Sed non videt cæcus hæreticus, dona ista Ministris verbi propria, adhuc multo minùs fuisse communia quàm dona illa

Bezæ fundamentum deprauationis refutatur.

illa linguarum & prophetiæ; quando illa linguarum & prophetiæ dona quàm plurimis non verbi Ministris collata fuisse indubitatum sit; nisi fortè omnes in Cornelij domo baptizatos, & omnes in Samaria qui à Philippo priùs baptizati per manuum impositionem Apostolorum hæc dona postea acceperunt, verbi Ministros & Ecclesiæ gubernaculis admotos fuisse, vesanus Beza affirmare velit. Deinde, commenti sui nullam prorsus rationem adfert, sed nuda sua affirmatione vel coniectura potiùs ponit: moxque infert, *hoc posito*, id est, suo commento stolidissimo semel admisso, *Veteres omnes à scopo huius loci aberrasse*; nec Veteres modò, sed & Caluinum ipsum, aliosque omnes Nouatores, quorum diuersas sententias nuper protulimus. *Hoc etiam posito, facilè intelligi quæ sequuntur*, id est, suas, quæ sequuntur, corruptelas facilè admitti posse. Sic isti nefarij homines, pro suo quisque libito atque commento, Scripturas inuertunt, torquent, contorquent, deprauant. Act. 18. & 8.

Iam ad horum Ephesiorum responsionem, qua à Paulo interrogati *in quo baptizati essent*, responderunt, *In Ioannis baptismo*; *Apertissima*, inquit Beza, *est responsio, qua significant isti se in baptismo professos fuisse doctrinam à Ioanne propositam, & adhibito baptismo, quo & ipsi baptizati fuerant, sancitam; vnde & Christum agnouerant, sed tenuiter admodum; nec vlteriùs audito*

ipso

ipso Christo, vel eius deinceps Apostolis, vt de Apollo quoque paulò antè dictum est, progressi. Ex quo sequitur, mirum non fuisse, istos illum Spiritum S. ignorasse, qui non nisi à die Pentecostes fuisset missus. Hoc totum satis probabile est, & fatetur hîc Beza istos 12. verè fuisse à Ioanne baptizatos, repudiata eorum sententia, qui baptismum Ioannis pro doctrina Ioannis accipiunt. Quod vt est verissimum, ita, quantum aduersus eum faciat, paulò pòst videbitur. Mox de varia acceptione verbi baptismi multa commemorat, quæ veluti ad præsentem causam παρεργα prætermittimus.

Illud nunc videamus, quomodo super putido suo nuper posito fundamento tertum propositum inuertat, atque peruertat. Ad illa verba, *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, hanc annotationem ponit: *Id est, Qui verè Ioanni istum baptismum docenti crediderunt*: & quod noster interpres vertit ταῦτα, *his auditis*; ille vertit, τοῦτο, *quæ illud audiuerunt*, sequutus (vt ait) suum vetustissimum codicem, & Arabicam interpretationem, de quibus fingere quicquid libet potest. Nam Syrum interpretem, qui vulgo extat, cum nostra lectione conuenire fatetur. Omnes quoque Græci codices, qui extãt, non aliter quàm noster legunt. Mox, ô absurdissimi sensus sui hanc vnicam rationem adfert, premit, vrget: *Sed illud condonari*

non

non potest, quo particula δὲ omissa, vetus interpres Veteribus nimium multis præbuit maximi duplicis erroris occasionem, vt qui propterea Lucæ hæc esse verba credētes, & ad duodecim illos pertinere qui fuerūt rebaptizati, eò sunt dilapsi, vt aliud fuisse Ioannis baptisma quàm Christi, & à Ioanne baptizatos oportuisse in Christi nomen rebaptizari existimauerint: errore certè non leui. De illa particula, δὲ, postea videbimus. Nunc quæ est huius Bestiæ arrogātia, veluti Aristarchum quēdam veteres doctissimos Patres nuper à nobis citatos *maximi duplicis erroris* arguere, quia nouellus iste hæretieus duplicē audet, partim contra apertum Scripturæ Apostolicæ textum, partim contra vnanimē totius Catholicæ Ecclesiæ & veterum Patrum cōsensum, errorem sustinere? De textus præsentis corruptela postea: nunc *pro errore non leui* cōtra omnes Veteres aliter sentiētes ponit, diuersum fuisse Ioannis baptisma à Christi baptismate. Et quam tandē, obsecro, ob causam? *Nam* (inquit) *vt alias certissimas rationes nunc omittam* (id est, putidissimas cauillationes, à Catholicis scriptoribus sæpe refutatas, & nulla hîc commemoratione dignas) *si verum est illud dogma, baptismum certè nostrum cum Christo cōmunem non habemus, vt apertissimè colligit in hūc locum doctissimus interpres*: (Caluinus scilicet, à cuius sententia in huius loci explicatione totus dissidet Beza) *quum tamen illetum circumcisionē Patrum, tū nostrum baptismum,*

Bezæ arrogantia.

in sua carnis circumcisione & baptismo sanctificauit.

Bezæ sele-ctus ex multis certissimis ratio mera demẽtia.

Hæc scilicet pulcherrima ratio tam pulchra Bezæ visa est, sicuti sua olim turpissima Publia Venere pulchrior videbatur, vt vnam illã prætermittere nõ potuerit. Nihil enim certè illa infirmius aut magis putidum. Nos

Baptismũ cũ Christo habere cõmunẽ nemini licet.

habere baptismum cũ Christo communem, adeò conueniens non est, vt etiam illud expetere nefariũ sit. Christus non fuit à Ioanne baptizatus (sicut cæteri homines) vel ad remissionẽ aliquam peccatorum per pœnitentiam & fidem in Christum, vel ad ipsam pœnitentiam, quarum alterutra Christum indiguisse nefas est cogitare, vnde ad illum

Matth. 3.

baptizari volentem dixit Baptista, *Ego debeo à te baptizari*, id est, per te remissionem peccatorum cõsequi, *& tu venis ad me?* Sed partim humilitatis docendæ causa, partim vt in illo baptismo Ioãni Christus perspicuè innotesceret, baptizari à Ioãne Christus voluit. Vnde illi respondit Christus: *Sine modò*, id est, permitte me ad tempus hanc humilitatem exercere. *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam*: id est, iustum & Deo gratũ est, vt nos, qui sumus à Deo missi ad cæteros omnem iustitiam docendos, opere quoque præstemus quicquid iustum & Deo gratum

Ioan. 13.

est, etiam in rebus minimis. Nam & sic *pedes discipulorum suorum lauare voluit, quum omnium Dominus ac Magister esset.* Nos, si volumus cõmunem cum Christo habere baptismum,

ad eun-

ad eundem quoque finem cum illo, non ad alium quempiam, baptizari debemus. Christus quoq; ideo à Ioanne baptizatus fuerat, vt per apparitionem descendentis columbæ sciret Ioannes quis ille esset qui verè baptizaret. *Super quem videris Spiritum S. descendentem, & manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu S.* Vt eodem baptismo baptizemur, omnes Christi esse debemus, nō Christiani. Postremò, Christus suo quidem baptismo, quem à Ioanne accepit, aquas sanctificauit, vt magno consensu Patres docent; sed baptismo quem instituit, nō quem accepit, nostrum baptismum docuit, & quis noster baptismus esse deberet, quantaque eius vis & efficacia, expressit. Sanè vt Christo conformemur, Christique membra simus, plus facit Christi institutio quàm actio, plus præceptum quàm exemplum. Nisi fortè quia Christus & mortuos suscitauit, & super aquas ambulauit, & vendentes atque ementes è templo eiecit, & solo verbo peccata remisit, & summa authoritate Pharisæos & Scribas in os increpauit, & deniq; mandata dedit, Sacramēta instituit, Apostolos in orbē misit, id vniuersum à nobis quoque præstandum est. Tandem, si circumcisionem legalem sua circumcisione, sicut baptismum nostrum suo baptismo, Christus sanctificauit; hæc pulchra comparatio efficiet, vt non secus circūcidi quàm baptizari debeamus.

Ioan. 1.

Christi institutio non actio ad imitationē nos obligat.

Caluini pulchra ratio à Beza sic adamata, quā fœdū errorem secū trahit.

Quo potissimùm argumento moti videntur Æthiopes, Moscouitæ, & alij barbararũ gentium Christiani, qui pariter cum baptismo circuncisionem retinent. Sed de hac re satis.

Pergit Beza: *Reiterationẽ autẽ baptismi etiãsi concederemus, minimè tamen inde colligere possent fanatici Anabaptistæ iterandum esse Christi baptismum.* Atqui posito hoc insano dogmate, eundem prorsus fuisse baptismum Ioannis & baptismum Christi; si concedatur eos qui Ioannis baptismo iam baptizati fuerunt, Christi baptismo iterũ baptizatos fuisse; inuictè sequitur, eiusdem baptismi reiterationem fuisse factam; & eundẽ baptismum aliqua ex causa reiterari posse. Quare sapientissimus Doctor S. Augustinus huius consequentiæ firmitatem perspiciens, contra Donatistas qui à Catholicis baptizatos rebaptizabãt, & hoc potissimùm exẽplo dementiam suam fucabãt, ex hac manifesta vtriusque baptismi differentia illos perpetuò refutat. In Euangelium Ioannis ita scribit: *Quidam qui habebant baptisma Ioannis, iussi sunt à Paulo baptizari. Non enim habebant baptisma Christi. Sed hæretici baptisma Christi dederũt, quod baptisma non dedit Ioannes.* Et paulò pòst ibidem: *Dedit baptismum Iudas, & non baptizatum est post Iudam: dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannem, quia, quod à Ioanne datum, Ioannis erat.* Et rursùm: *Post Ioannem ideo baptizatum est, quia baptisma Christi non dabat, sed baptisma suum: quia sic ac-*

Ioannis baptismũ à Christi baptismo distingui, rebaptizatio hoc loco inuictè probat.

Tract. 5.

se acceperat, vt ipsi is esset. Hæc in concione ad populum. Sed luculentiùs contra ipsos Donatistas scribēs: *Baptizatos à Paulo eos qui iam baptizati baptismo Ioannis fuerant, legimus in Actis Apostolorum, non ob aliud, nisi quia Ioannis baptismus non fuerit Christi baptismus, sed Ioanni à Christo concessus, qui propriè Ioannis diceretur.* Et paulò pòst, hoc ipsum iterum acerrimè disputans, & ostendens nullam aliam causam esse potuisse, cur Ephesij illi post baptismum Ioānis acceptum, Christi quoq; baptismum à Paulo acceperint, cōcludit: *Quæ igitur causa est, nisi quia bapt. sma quod illos iussit Paulus accipere, nō hoc erat quod per Ioannem dabatur?* Eodem modo contra Petilianum Donatistam acriter disputat. Tantam huius consequentiæ vim esse doctissimus iudicauit August. quam vno verbulo reiecisse (nulla prorsus adiuncta causa) satis esse putauit Beza.

Contr. Donat lib. 5. cap. 9.

Ibidem cap. 15.

Lib. 2. c. 12.

Nunc reliquam eius disputationem videamus. *Sed quæso* (inquit) *quorsum hæc omnia? Etenim particula δε, quæ in Græcis omnibus codicibus summo consensu legitur, & particulæ μεν necessariò respondet, nullo modo, nullo (inquam) modo paritur, vt huius orationis seriem discerpamus, quasi prior pars Paulo, posterior sit ipsi Lucæ scriptori tribuenda. Ergo hæc quoq; Pauli verba sunt, tum doctrinam à Ioāne quidem annūciatam, ab istis verò fide apprehensam, vt verè Euangelicam, tum etiam baptismum istis collatum, vt verè Christianum, approbantis: quibus postea manus imponens, subsequu-*

tis demum ijs donis quæ Spiritus S. nomine priùs significauerat, & de quibus fuerat eos percõtatus, Ecclesiam Ephesinam constituit. Hæc est tota Bezæ hoc loco disputatio, huiusq; loci vt nouella ac singularis (reiecto ipso Caluino) ita absurda & stolida deprauatio. Dixit illis Ephesijs, quia de Spiritu S. nihil audiuisse responderant, Paulus, In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt, In Ioannis baptismate: id est, Baptismã Ioãnis accepimus, & eo magistro discipuli Christi facti sumus. Dixit autẽ Paulus: *Ioannes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, hoc est, in Iesum.* Qui verò *illud* (ait Beza) id est, *illam Ioãnis doctrinam audierunt, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Hic sensus (ait Beza) necessariò tenendus est, propter illas duas particulas μὲν & δὲ, *quidem & verò*, à nostro interprete neglectas, quæ sibi necessariò respondere debẽt, vt sit vna & perpetua Pauli narratio: nec verba posteriora, *His auditis*, &c. sint Lucæ historici verba, id narrantis quod finito Pauli sermone sequutum est; sed Pauli adhuc verba suum sermonem prosequentis, & id narrantis quod Ioannes Baptista suis discipulis facere solebat. Hunc sensum quanta absurda sequantur, priùs paucis docebo, postea de illis particulis vanam Bezæ λεπτολογίαν demonstrabo. Primùm, stante hoc sensu Bezæ, necessariò sequitur, *Ioannem bapti-*

Bezæ singularis corruptela refellitur.

1.

zasse

ptizasse in nomine Domini Iesu. Atqui hoc loquēdi modo solet Lucas vnicum Christi baptismū designare. Deinde, repugnat hæc forma ipsi fini & instituto baptismi Ioannis à Paulo hîc expressi. Ait enim Paulus quòd Ioannes baptizauit *dicens vt in Christum venturum crederent*: ergo in ipso nomine Christi non baptizauit. Præterea, ex ijs quæ nuper diximus, perspicuum fit, *baptizare in nomine Christi*, nihil aliud significare, quàm in virtute, potestate, & ex instituto Christi. Atqui redemptione humani generis necdum peracta, & baptizandi potestate Apostolis necdum data, in ea virtute, potestate, & instituto baptizare Ioannes non potuit. Non potest igitur vllo modo de baptismo Ioannis intelligi *quod in nomine Domini Iesu baptizauerit.* His accedit, quòd iuxta Pauli verba discipuli illi Ephesij bis fuissent à Ioanne baptizati. Ait enim Paulus, *Ioannem baptizasse baptismo pœnitentiæ qui ad eum venerant*, simul docendo vt in Christum venturum crederent, & (iuxta Bezæ sensum) *discipulos eius, qui hoc audierunt, ab illo baptizatos fuisse in nomine Christi.* Sic Ioannes, quos iam baptizauit baptismo pœnitentiæ vt in Christum venturum crederent, eos rursum baptizauit in nomine Christi. Adhuc, si, quos Ioannes baptizauit, *in nomine Domini Iesu baptizati* sunt, interrogati isti Ephesij à Paulo in quo baptizati essent, prorsus respondere debe-

2°

3°

4°

5°

bant, *In nomine Domini Iesu*, & nō, In baptis-
6. mo Ioannis. Sed nec Paulo necesse fuisset de baptismo Ioānis ad eius extenuationem aliqua dixisse, docens, eum in Christi venturi fidem baptizasse, & baptismo pœnitentiæ, non remissionis peccatorum, sicut Petrus & alij Apostoli baptizarunt, multo minùs addidisse à Ioanne baptizatos in nomine Domini Iesu baptizatos fuisse, si prius illorum responsum de baptismo Ioannis, plenus ac perfectus Christi baptismus fuis-
7. set. Quis enim vel cæcus non videt, Paulum, audito quòd in Ioānis baptismate baptizati fuissent, eius baptismi insufficientiam docere voluisse? Lucam autem, quum eum Pauli sermonem breuiter more suo attigisset, quia de baptismo Ioannis longiorem Pauli sermonem inserere ad historiæ cursum non pertinebat, eo statim abrupto ostēdisse Ephesios istos, *his auditis*, quæ Paulus dixerat, confestim baptismo Christi, ad quem Ioannis baptismus homines præpa-
8. rabat, baptizatos fuisse? Porrò si iuxta Bezam adhuc pendet Pauli sermo, velut narrans quid Ioannes olim facere solebat, qui fit vt loquēdi modum ita Paulus immutet? quumque priùs dixisset, *Ioannes quidem baptizauit*, &c. nunc de eodem Ioannis facto loquens (vt Beza fingit) non dicit, Et sic auditores suos Ioānes baptizauit in nomine Domini Iesu; sed mutato sermone dicit, *Illi ve-*

rò, qui

τὸ, *qui Ioannem audierunt, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* Hæc enim loquendi formæ perspicuè insinuat, de alio nũc Paulum loqui baptismo quàm priùs loquutus fuerat, ponendo (vt dixi) Pauli esse illa verba, non Lucæ. Postremò, si adhuc pendet Pauli sermo, quæ hîc esse potest cum sequenti versu connexio, aut quid facit illa coniunctio, καὶ, præcedentem sententiam connectens? *Et quum imposuisset illis manus Paulus.* An non illa cõiunctio manifestè docet, hęc Lucæ historici verba cum proximè præcedẽtibus eiusdem verbis connecti? *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu: & quum imposuisset illis manus Paulus, venit in eos Spiritus S.* An non hîc multò rectiùs, quàm fecit Beza, exclamare licebit: *Particula, καὶ, quæ in omnibus codicibus tam Græcis quàm Latinis legitur, nullo modo, nullo (inquam) modo patitur, vt huius orationis seriem, quã illa copula connectit, discerpamus, quasi prior pars Paulo, posterior sit ipsi Lucæ scriptori tribuenda?* His ergo de causis planè absurda & inepta est Bezæ speculatio, & nihil aliud quàm hominis pertinacis contra apertam veritatẽ affectata contentio. 9.

Nunc de particulis illis μὲν & δὲ, quas ille tantopere premendas existimauit. Sanè aut crassam ignorantiam, aut cauteriatam suam conscientiam prodidit. Notissimũ est, priorem particulam solius elegantiæ causa frequenter interseri, & expletiuam esse, nõ ad-

uersatiuam; posteriorem quoq; nō esse semper aduersatiuam, sed frequenter transitionis notam. Vtriusq; exempla ex ipso Luca (ne lōgiùs abeam) paucula proferam. Prioris exempla hæc sunt. Et quidem Lucas in
Luc.1 1. exordio sui Euangelij ita loquitur: *Quoniam quidē multi conati sunt*: vbi nulla sequitur antapodosis, aut aduersatiua particula. Cum eadem particula eodem modo & Actorum
Act.1.1. historiam exorsus est: *Primùm quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile*, &c. Mox Pe-
Act.1.18. trum ita loquentē inducit: *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis*: vbi similiter nulla sequitur antapodosis. Rursum alio
Act.3.21. capite: *Quem oportet quidē cœlū capere*. Et paulò
Ver.22. pòst: *Moyses quidē dixit, quoniā Prophetam suscitabit vobis Deus*. Rursum alio in loco: *Et ipsi*
Act.13.4. *quidem missi à Spiritu S. abierunt*. Mox alio in
Act.17.12 capite: *Et multi quidem crediderunt ex eis*. Ad-
Act 17.30 huc iterum eodem cap. *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens*. Rursum cap. 26.4. *Et quidem vitam meam à iuuentute nouerunt omnes*. Et paulò pòst vers. 9. *Et ego quidem existimaueram me aduersum nomen Iesu debere multa agere*. In his omnibus Lucæ locis (vt reliqua aliarum Scripturarū loca prætermittamus) particula μεν, non nisi elegantiæ sermonis causa, & veluti particula expletiua ponitur, absq; altera illa aduersatiua δε, quæ illi respōdeat. Sanè sic hoc in loco Paulus, Ioānis baptisma describens, eadem particula vsus est, ad narrationis

rationis ornatum, velutiq́ue distinguere illum baptismum volens à baptismo Christi, cuius acceptionem dona illa Spiritus S. visibilia communiter tunc temporis consequi solebāt, altero statim impositionis manuum Sacramento adiuncto. Sed quia vel Lucas (vt iam dictum est) totum Pauli sermonē referre non duxit operæpreciū, vt in omnibus breuitati mirificè studet; vel quia Paulus ipse non insolito sibi anantapodoto vsus, ibi sermonem abrupit, absque aduersatiua vlla particula; ad id quod Pauli sermonem consequutum est, transit Lucas. Quam etiā ob causam noster interpres illam particulam sine culpa prætermisit, veluti quæ ad verborum Pauli sensum exprimendum non adeò multum faceret. Eadem ratio est alterius particulæ δε: quæ haud dubiè hoc loco non vt aduersatiua, sed vt transitiua, nouęq́; transitionis ad aliam narrationē nota (quod apud Lucam frequenter occurrit) ponitur. Actorum 2. capite, finita prædicatione Petri ad populum, ait Lucas, ακουσαντες δε κατενυγησαν: vbi iterum optimè vertit noster interpres, *His auditis compuncti sunt*: omissa rursum particula δε, quia non erat aduersatiua particula, sed solùm transitionis nota. Rursum cap. 4. finito alio sermone Petri, sic nouam narrationem orditur Lucas: λαλουντων δε Παυλων προς τον λαον: *Cùm autem loquerentur ad populū*; sine vlla præuia particula μεν. Et paulò pòst

lò pòst similiter: Εγενετο δε επι την αυριον: *Factum est autem in crastinum, vt congregaretur princip*es, &c. Innumera sunt huius locutionis exempla, quæ curiosiùs in medium proferre pene ridiculum fuerit. Sic hoc loco finito Pauli sermone ad istos 12. Ephesios, Lucas historiam prosequens ait: Ακουσαντες δ' εβαπτισθησαν: *His auditis*, quæ Paulus dixerat, *baptizati sunt*. Planè eodem loquēdi modo quo idem Lucas finito sermone Petri capite 2. scripserat: Ακουσαντες δε κατενύγησαν: *His auditis, compuncti sunt*. Quo vtroque in loco particula δε sine vlla textus iniuria prætermittitur. Vtroque in loco particula δε non aduersatiua aliqua particula, sed ad nouam narrationem trāsitio est. Vtroque in loco non prioris sermonis continuatio scribitur, (vt vult Beza) sed noui facti cōmemoratio subijcitur. Et quare Beza ad priorem locū Act. 2. cum nostro interprete vertit, *His autem auditis*; & hoc loco nostro interprete relicto, miro quodam modo inuertit, *Qui verò (illud) audiuerūt*, & ipsi textui verbum *(illud)* inserere audet; nisi quia illic simplicem interpretem agere, hīc verò sectarium agere, & in sectæ suæ fauorē nouam versionem cudere voluit? Sanè iuxta Bezæ versionē & sensum sic se habere Græcus textus debuit: Οι δ' ἀυτὸν ἠκουσαν: *Qui autem illum* (scil. Ioannem ita docētem) *audiuerunt, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*: vt sic cōstaret Paulum adhuc loqui, & de Ioannis baptismo

Bezæ maleficium manifestum.

ptiſmo diſſerere. Nunc autem etiam iuxta ipſius Bezæ adiectionem, non αὖλον, ſed τόλο, vel ταῦλα, legi debet; nec ἤκουσαν, ſed ἀκουσαντες, veluti de re præſenti dicitur: vt neceſſariò non de Ioanne Baptiſta olim docēte, ſed de Pauli verbis iam auditis, hæc ſententia intelligenda ſit. Sic ſuprà cap. 5. de Apoſtolis accepta Angelica reuelatione dicit Lucas, ἀκουσαντες δὲ εἰσῆλθον: quod noſter interpres vertit, *Qui cùm audiſſent, intrauerūt*. At illud corrigens Beza, ita vertit: *Illi verò quū hæc audiſſent, introierūt*. Vide hominis pruritum. Eandem prorſus phraſim Græcam, ἀκουσαντες δὲ, quū noſter interpres vertit, *Qui cùm audiſſent*; ille vertit, *Illi quū hæc audiſſent*: Rurſum quum noſter vertit, *His auditis*; ille vertit, *Qui cùm audiſſent*. Sed vtrobique agitur de eo audito quod in præſentia dicebatur. Et paulò pòſt eodem capite, οἱ δ' ἀκουσαντες διεπριοντο, vertit noſter interpres, *Hæc quū audiſſent*; vertit Beza, *At illi his auditis*. Sed vtrobique de ijs, quæ eo tum tempore dicebantur, fit ſermo. Quo igitur colore aut qua apparentia in hoc 19. cap. illud, ἀκουσαντες δὲ, ita inuertit Beza, vt nō de re præſenti, & de verbis Pauli in præſentia auditis, ſed de doctrina Ioannis olim tradita intelligi velit? Sed ad eius nouellæ inuerſionis abſurditatem demonſtrandam iſta poſſunt ſufficere.

Ver. 21.

Vers. 33.

*Ioannis Baptiſmū à Chriſti baptiſmo diuerſum fuiſſe concluditur.

* Tenendum igitur, & firmiter tenendum, 12. iſtos Epheſios olim à Ioanne baptizatos, quia

quia iuxta illum baptismum *non nisi in Christum venturum credebant*; nec vlla Spiritus S. dona accipiebant, quia solus Christus erat
Matth. 3. qui in Spiritu S. baptizaret, vt ipse Ioannes suos discipulos docuit; nec Spiritus prius
Ioan. 7. dari potuit *quàm Iesus esset glorificatus*, vt alter Ioannes scribit; fuisse propterea hac audita Pauli doctrina iussu Pauli *in nomine Domini Iesu* iterum baptizatos, id est, vero Christi baptismo donatos: eoq; facto Paulũ ipsum, vt Apostolum, *manus illis imposuisse*, vt Spiritus S. dona acciperent. Vnde ex hoc loco inuictè sequitur iuxta omnium veterũ Patrum concordem sententiã, Ioannis baptismum à Christi baptismo toto genere fuisse diuersum. Quia hic vnus locus inuictè hoc demonstrat, propterea in hoc vno loco varijs modis exagitando, in varios ac diuersos sensus pro vario cuiusque hæretici cerebro pertrahendo, velutiq; dilaniando, ingentem operam nostri temporis hæretici nauarũt; & post omnes alios suam voluit suffundere frigidam Beza, sodalium suorum effigia iam dudũ à Catholicis scriptoribus plenissimè refutata aduertens. Sed & huius nũc nouella euasio quàm verè frigida & insulsa sit, cuiuis æquo lectori clarum & perspicuum esse confido.

13. Ter-

13. *Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu.*

INdulget hic (de more) suo stomacho Caluinus; & arreptis istis Iudæis exorcistis, venenata sua spicula contra Christianorum exorcistas cõtorquet. *Sub regno* (inquit) *Christi ferit praua ambitio, vt Christiani cũ Iudæis certarent.* Techna ista Caluiniana, ars & fraus diabolica est; vt quacumq; in re veteris populi pietatẽ, ac diuina illic instituta, Ecclesia Christi Catholica piè ac religiosè imitatur, hoc Satan iste, ab illo principe Satana edoctus, *prauæ ambitionis* calumnioso vocabulo traducat. *Creati enim* (inquit) *sunt hominum arbitrio* (Ecclesiæ Apostolicæ iudicio dicere debuit) *exorcistæ. Deinde, vt semper in deterius prolabi solet superstitio, hoc clericis suis omnibus commune esse voluit Papa, qui ad maiorem gradum promouendi erant. Postquam enim facti sunt ostiarij, extemplo illis coniuratio dæmonum mandatur.* Si hic exorcistarum gradus inter minores clericales ordines ex Papæ voluntate ortus est, qui hoc suis clericis commune esse voluit; profectò Papæ fuerunt non Latinæ tantùm & Occidentalis Ecclesiæ Sacerdotes omnes (vt suis hodie hæretici persuadere volũt) sed & Orientalis, Græciæ totius, ipsiusq; Africæ Sacerdotes omnes. Exorcistas enim inter minores ordines recensent, in Græca quidẽ Ecclesia, "Antiocheni & Laodiceni Concilij

Christianorũ hostis Caluinus.

Exorcistarũ ordinẽ Græca & Africana Ecclesia agnoscũt, nõ Romana tantũ

" Ant. cã. 10. Laodic. can. 29.

cilij Patres ante annos plus mille ducentos
Carth. 4. can. 7. in Africa verò Carthag. 4. Concilij Patres, cui & B. Augustinus interfuit. Sed quod tota per orbem Catholica seruat Ecclesia, hoc vnius Papæ voluntati tribuere solet Caluinus, solent & alij horum temporum hæretici. Porrò de Exorcistis inter Christianos
Antidot. Euang. in Matth. c. 12. ver. 26. multò illustriùs quàm inter Iudæos, alibi contra Caluinum frequentia Antiquitatis testimonia produximus. Nunc quæ hicin Caluino sequuntur, videamus: *Ipsâ autem experientiâ planè se ridiculos faciunt. Fateri enim-guntur, inanem & sine effectu se titulum conferr Nam vbi facultas qua diabolos adiurent? Et ipsi exorcistæ manifesto ludibrio suscipiunt munus quod nunquam exercent. Sed hoc scilicet iure accidit, vt nullus sit errorum finis, vbi à verbo Dei discedit.*

Caluini futilis disputatio. Attende, Lector, quàm futiliter disputat, quàm impiè garrit. *Vbi* (inquit) *facultas qua diabolos adiurent? Suscipiunt munus quod nũquam exercent.* Sed vnde hoc Caluino cõstat? Caluinus nunquam vidit, aut factum audiuit: ergo nũquam factum est. Caluinus si audiuit factum, non credidit: ergo nunquam factum est. Ad corpora SS. Martyrum Gerualij & Protasij dæmones non sunt eiecti;
†Ambros. epist. 85. *Confess. lib. ‡In Apolog. c. 32. tametsi id †S. Ambrosius & *S. August. factum attestetur, quia Ariani id factum non crediderunt. Christianis dæmones esse subiectos (vt ‡Tertullianus & alij cõtra infideles Ethnicos fortissimè affeuerant) falsum est, quia

est, quia Pagani illud credere noluerunt. Similis omnino est incredula Caluini affirmatio. Nos verò, vt quod vidimus testemur, Romæ ante multos annos per exorcismos Sacerdotum eiecta dæmonia vidimus, & in illa sancta vrbe eiectionem dæmonum per exorcismos Sacerdotum rem esse frequentem, ac satis vulgarem nouimus. Sed & quosdam ex nostris Anglis cognoui, qui patrijs hæresibus imbuti Romam venientes, visis illic exorcismis dæmonũ, Catholici in patriã redierunt. Porrò tam in Gallia quàm in hoc Belgio quædam illustria huius rei exempla typis vulgata ad omnium notitiam peruenire potuerunt: maximè de Nicolaa illa demoniaca Lauduni per Episcopum loci liberata, aliquot hominum millibus rem spectantibus: quæ res viuo adhuc Caluino gelta ad eius aures facilè potuit peruenisse: sed quia Gentili perfidia & Iudaica incredulitate oppletæ erant, quod audiuit, credere noluit. Sed an eius incredulitas cuiusquam fidem labefactabit?

Dæmonũ exorcismus in Cath Ecclesia frequens.

An. 1566.

Deinde tametsi ista ampliùs non fierẽt, vel quia occasio faciendi non datur, vel etiam quia à quibusdã frustra tentatur; meminisse tamen Caluinus debuerat, quod in vniuersum de credentibus in eum Christus Dominus futurum prædixit: *Signa* (inquit) *eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent; &*

Mar. 16. 17.

si quid mortiferum biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Age ergo. Sicus contra exorcistas Sacerdotes, sic contra Christianos in vniuersum, veluti alter Iulianus, Porphyrius, Celsus, rictum suum canis Caluinus diducat, & dicat: *Ipsa experientiâ planè se ridiculos Christiani facium. Heri enim coguntur, inanem & sine effectu titulum Christum illis contulisse. Nam vbi facultas ista diabolos adiurent? Vbi sunt qui linguis loquantur nouis, qui serpentes tollant? &c.* Quòd si verò ipse in hunc locum Caluinus agnoscit) dona *ista ad singulos trahēda non sunt, sed ad testandam Christi gloriam satis fuit paucos ex credentibus fuisse hac facultate ornatos*; quare similiter non agnoscit adiurandi dæmones potestatem exorcistis in Ecclesia Christi specialiter concessam, nec absurdè nec frustra concedi, si metsi pauci eam potestatem cum fructu exerceant? Sed perspicuum est, sicuti huiusmodi dona credentibus promissa sunt, non omnibus promiscuè, sed quædam his, quædam illis, & quibusdam eorum nulla; ne semper concedenda, sed ad fidei Christianæ in primis suis exordijs commendationem data erant: sic dæmones exorcizandi potestas clericali ordini data, nec à singulis clericis exercetur, vel quia materia non semper fert, vel quia aut ipsorum aut aliorum media fides hūc fructum impedit, nec vt semper exerceatur necesse est, quia vel Christi gloriam

Caluini in clerū calumnia in omnes Christianos cadit.

In Harmonia ibidē.

Caluinus ex seipso refutatur.

gloriam his miraculis illustrari vbiq; locorum & quocumque tempore non est opus; vel arreptitij ipsi & dæmoniaci aliquo iusto Dei iudicio hoc remedio gaudere non permittuntur.

18. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.*

CONfessionis peccatorum Sacramentalis, qualis in Ecclesia Catholica perpetuis temporibus in vsu fuit, quod hîc narrat Lucas, exemplum esse potest; maximè publicæ illius cõfessionis quæ in primitiua Ecclesia, non quidẽ pro quibusuis promiscuè peccatis, sed pro grauibus & enormibus flagitijs, idq; ex iudicio & arbitrio Episcopi aut Sacerdotis, diu admodum obtinuit. Cuius rei locupletissimi testes sunt antiquissimus [a]Tertullianus, [b]Origenes, & S. [c]Augustinus. Talis publica, si non priuata & verè Sacramentalis, hæc confessio videtur fuisse. Primùm, quia credentes iam & baptizati erãt, qui *actus suos confitebantur*. Nulla autem iam fidelibus & baptizatis alia in Christi Ecclesia peccatorum confessio in vsu fuisse legitur, quàm vel publica vel priuata Sacerdotibus Dei facta. Talem igitur hanc fuisse, rectè & probabiliter concludimus. Quis enim negabit multò rectiùs & probabiliùs, ex totius Christi Ecclesiæ consuetudine & vsu, sensum Scripturæ & facta Christianorum

Confessio peccatorũ in prima Ecclesia.

a. In lib. de pœnitentia.
b. Homil. 2. in Psal. 37.
c Hom. 50. ex Hom. 50. cap. 15.

rum expendi & æstimari debere, quàm ex priuatis nouelli cuiusque magistri suspicionibus, quales hîc multas huius temporis hæretici depromunt, de quibus mox? Sanè nemo nisi qui vniuersam hactenus Ecclesiam in errore ac tenebris circa fidem caligasse, impiè admodum, & Mahometicè potiùs quàm Christianè, velit affirmare. Talis quippe assertio vt Lutheranis in hac causa contra nos, & Caluinistis in causa Cœnæ Dominicæ contra Lutheranos, sic etiam & Antitrinitarijs, nouisque in Polonia & Transsiluania Arianis, contra vtrasque illas sectas fauet ac patrocinatur; donec tandem ad Mahometismum perueniatur: de qua alibi diximus. Consuetudinis autem, quam dixi, & perpetuæ praxis in Ecclesia Dei illustres & antiquissimi testes sunt præter antedictos Tertullianum, Origenem, Augustinum, locis citatis, idem iterum Origenes lib. 2. in Leuiticum, idem iterum Augustinus hom. 49. & 41. ex hom. 50. Cyprianus serm. 5. de lapsis, & epist. 10. 11. 15. & 6. Dionysius Areopagita in epist. 8. ad Demophilum; Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastæ, & in Matthæi cap. 16. Basilius in regulis breuioribus ad interrogat. 288. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum, cap. de pœnitentia; Chrysostomus in Matt. hom. 10. & lib. 2. de Sacerdotio; Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 56. Leo Magnus epist. 80. & 91.

Cōfessionis Sacramentalis testes ex tota Antiquitate.

Omnes

Omnes isti Patres tum antiquissimi à 1200. annis, tũ per Oriẽtẽ & Occidẽtẽ toto Christiano orbe dispersi, luculẽti & perspicui testes sunt cõfessionis peccatorum Sacramẽtalis, quæ videl. à fidelibus Christianis non nisi Sacerdotibus Dei in Sacramento pœnitẽtiæ facta fuerit. Nos igitur, quum in Actis Apostolicis legimus *multos* fideles & *credentes venisse* (ad quem nisi ad Paulum, de quo hîc fit sermo?) ἐξομολογουμενους και αναγγελουτας τας πραξεις αυτῶν, *confitẽtes & annunciantes actus suos*, vtique malos, vtique peccata, quam aliam confessionem & annunciationem intelligere possumus quàm huiusmodi, qualem in Ecclesia Catholica ab annis 1200. imò ab ipsa Apostolica ætate vsurpatam legimus, & ad nostra vsque tempora deductam cernimus? Deinde, quum Lucas duo dicat, ἐξομολογησιν και αναγγελιαν, *confessionem & annunciationem*, quarũ prior adeò propria huic confessioni Sacramentali est, vt non solùm Græci Patres eo semper verbo in hac causa vsurpent, sed & Latini Patres Tertullianus ac Cyprianus locis citatis, & Irenæus lib. 15. cap. 9. & lib. 3. cap. 4. confessionem Sacramentalem *exhomologesis* vocabulo ferè semper nuncupent: dubitari non debet, Lucam illo vocabulo cõmunem & notam pijs omnibus *confessionem peccatorum* designare voluisse. Et quum duobus vocabulis hoc factũ exprimat, non est improbabile priori

Exhomologesis cõfessio Sacram. tam Latinis quàm Græcis Patribus.

vocabulo priuatã & magis vulgatam peccatorum confessionem, posteriori publicam & maiorem, nec nisi in magnis criminibus, & plerũque cum Ecclesiæ scãdalo coniunctis, vsurpari solitam denotasse. Quòd enim publicam cõfessionem priuata præcesserit, vt ex iudicio Sacerdotis, quod priuatim acceptum erat, vel ad Ecclesiæ satisfactionem vel ad pœnitentis ædificationem publicè annunciaretur, certum & manifestum esse ijs quæ scribit Origenes in Psalmum 37. & B. Augustinus homil. 50. ex quinquaginta. Lucas ergo verbo, ἐξομολογουμένους, *confitentes*, priuatam Paulo factam confessionem notat; quod & verbi proprietas, quæ *foris fateri* sonat, vt Suidas hoc verbum exponit, & Ecclesiastica eius vsurpatio demonstrant. Verbo autem ἀναγγελλοντες publicam enunciationem significat. Nam hoc verbum, vt Græci omnes norunt, publicè aliquid proclamare & edicere significat; vnde & ipse Beza vim huius verbi explicans, ait, *hos homines publicè errata sua professos esse*. Sed si veritatis studiosus ac non apertus hostis ac sycophanta Beza esset, de verbo ἐξομολογουμενοι (de quo negry quidem hoc loco) multa ex Ecclesiastica antiquitate tractare potuisset. Cæterùm non ille ad fidem Christianam illustrandã, sed ad Geneuẽsium placita (Caluini maximè) stabilienda, suas illas Annotationes elaborauit.

Homil. 2 cap. 11.

In verbo, ὁμολόγιαι

Bezæ sycophantia

Nunc

Hæreticorum variæ corruptelæ reijciuntur.

Nunc quibus artibus hunc locum eludere horum temporum hæretici conantur, videamus. Lutherus in sua noui Testamenti versione non actus suos, sed miracula sua, istos credentes annuntiasse vult. Cuius dementiam sequitur Brentius in huius loci commentario. Sed illam interpretationem vt penitus absurdam reijcit Bullingerus, vt in sua Cathena recitat Marloratus, satisque firmis rationibus refutat Rob. Bellarminus. Chemnitius primùm fugit ad cõfessionem peccatorum generalem qua Ecclesiæ Lutheranæ vtuntur. Sed quum Lucas dicat quòd *actus suos confessi fuerint*, particularis propriorum peccatorum enumeratio manifestè indicatur. Quare addit postea, *aliqua quidem peccata confessos illos fuisse per modum exempli, non tamen omnia*. Atqui propositio illa indefinita prorsus æquiualet generali, nisi fortè quum dixit Christus Magdalenæ, paralytico, hæmorrhoissæ, *Remittuntur tibi peccata tua*; aut quum nos quotidie oramus, *Dimitte nobis debita nostra*; aut quum Paulo dixit Ananias, *Surge, & baptizare, & ablue peccata tua*; aut denique quum de ipso Christo dicitur, *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; & iterum, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; non omnia peccata designentur, sed quædam tantùm.

Tom. 2. Controuers. 4. lib 3. cap. 4.

Luc 7.

Matth. 9. & 6.

Act. 26.

Matth. 1.

Ioann. 1.

Vnus Caluinus accuratiùs (more suo) hunc locum tractans, multis contendit, ne

pro confessione Sacramentali, qualis in Ecclesia Catholica conspicitur, quicquam valeat. Postquam de causa huius confessionis factæ, atque eiusdem vtilitate, aliquid disseruisset, quod ei totum libenter concedimus, suas corruptelas artificiosè aggreditur. *Non communem* (inquit) *omnibus legem præscribit hîc Lucas, sed exemplum proponit, quod sequatur qui simili opus habent medicina. Quorsum enim isti facta sua confessi sunt, nisi vt pœnitentiæ suæ testimonium ederent, & consilium leuationem ve peterent à Paulo? Diuersa fuit eorũ ratio qui ea peccata sua confessi sunt, cùm ad baptismum Ioannis accederent, Matth. 3. 6. Nam hoc modo profitebantur, se non fictè initiari in pœnitentiam. Hi autem ab vna specie docet Lucas, quomodo Dei reuerentia tacti fuerint fideles, vbi Deus seueritatis suæ exemplum illis proposuit.* Quod hîc Caluinus de confessione peccatorum in Ioannis baptismo dicit, verum & certum est, nihil eam cum hac præsenti habuisse commune. Ius tamen facti exemplum ad confessionem Sacramẽtalẽ ostendẽdam rectè accommodant doctissimi Patres Græci,[a] Chrysostomus & [b] Basilius. Sed in reliquis non nihil fallit Caluinus. Lucas quidem non præscribit communem legem, neque fortè præscribere potuit, sed quæ fuit Christianorum lex & consuetudo, hoc exemplo declarauit, vt suprà à nobis ostensum est. Deinde, quòd dicit * *multos*, intelligendũ quidem est non fuisse

Caluini corruptela artificiosa & operosa.

a. Hom. 10 in Matth. b. In reg. breuioribus ad q. 288.

* Vox, *multos*, generalis exẽpli rationẽ non tollit.

fuisse omnibus eandem causam & cõfitendi necessitatem, sed pariter intelligendum est hoc exemplo doceri, omnes illos, quibus eadem incumbit necessitas & causa, eodem modo sua peccata cõfiteri debere. Alioqui, quia in proxima sententia de ijs qui libros suos magicos in publicum productos combusserunt, non nisi *multos* hoc fecisse scribit Lucas, an negari propterea debet communem hîc legẽ statui de omnibus libris magicis meritò comburendis? Iam si hîc *exemplum à Luca proponitur quod sequantur omnes qui simili opus habent medicina*; quî fit quòd in Ecclesijs omnibus Caluinisticis nulla planè exercetur peccatorũ exhomologesis aut confessio particularis, neque publica neque priuata? An fortè nemo illic est qui simili opus habeat medicina? An omnes puri ac sancti sunt? Aut si valde impuri atque impij illic satis multi inueniuntur, tamen exulceratas conscientias, quales istos credentes habuisse Caluinus iudicat, nulli illic habent, ideoque hac medicina, hoc consilio aut leuatione Pastorum suorum non indigent? Sic opinor, quia propriæ salutis ex sola fide etiam in medijs sceleribus fortis & indubitata præsumptio, quam fiduciam & certitudinem gratiæ vocant, eorum pectora occupanit, possedit, tenuit. Quod tandem affirmat Caluinus, *non alia ex causa istos credentes sua facta confessos fuisse, nisi vt pœnitentiæ suæ testimonium*

Caluini effugium Caluinistas confundit.

Alia effugia non satisfaciũt

nũ ederẽt, & consiliũ leuationẽque à Paulo petere miſera ſunt & fallacia effugia. Quorſum c feſsi, quorſum ἐξομολογούμενοι dicuntur, n vox, *exhomologeſis* ſatis oſtendit. *Exhomolog*

In lib. de orat. cap. 6. (ait Tertullianus ſcriptor antiquiſsimus, Eccleſiaſticorũ rituũ ſcientiſsimus) *eſt pet veniæ; quia qui petit veniam, delictũ confitetur.*

Lib. 1. epiſt. 3. Cypria. *Primus ad indulgẽtiã gradus eſt, agnoſ delictum*: vt confeſsionis peccati ſcopus

Serm. 5. de lapſis. peccati venia ac indulgentia. Vnde alib *Confiteantur, quæſo, ſinguli delictum ſuum, dum huc, qui delinquit, in ſeculo eſt, dum admitti confeſsio poteſt*, (& quare? ſequitur) *dum ſatiſ ctio cuiuſque & remiſsio facta per Sacerdotem grata eſt.* Imò ipſa Scriptura apertè nos d cet quorſum peccata confiteri debeamus

Pſal. 31. *Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitiam mea & tu remiſisti iniquitatem peccati mei.* Denic Chriſtus ad remiſsionem & veniam pecc conſequendam Spiritum S. Apoſtolis d

Ioann. 20. dit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur* Reliqua à Caluino enumerata, confeſsio quoque peccatorum fructus veri ac præcl ri ſunt, vt ſtudioſè annotarunt veteſtiſsim Patres, Baſilius, Cyprianus, Origenes, Hi

Caluini aſtutia. ronymus, Auguſtinus locis citatis. Sed va Caluinus hos ſecundarios fructus enum rat, vt primarium ac præcipuum eluda

Sacerdotis in confeſsione excipiẽda præcipuũ munus. Sacerdos autem in cõfeſsione peccatorum audienda non ſolùm vt medicus corrig vt magiſter docet, vt paſtor conſolatur, ſed

potiſ-

potissimùm vt iudex & arbiter à Christo constitutus, soluendi videl. atque ligandi accepta potestate examinat, cognoscit, absoluit. Hanc iudicialem potestatem apertissimè docent vetustissimi Patres: Augustinus admodum præclarè in homil. 50. ex 50. cap. 11. & rursum de ciuitate Dei lib. 20. cap. 9. Hieronymus in Matth. cap. 16. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, & homil. 5. de verbis Esaiæ; Hilarius in Matth. can. 18. & 16. Cyprianus lib. 1. epist. 2. Basilius in regulis breuioribus ad interrogat. 288. Greg. Magnus homil. 26. in Euangelia.

Nunc, quæ in Caluino sequũtur, expendamus. *Quo maior* (inquit) *est Papistarum impudentia, qui hunc suæ tyrannidi fucum inducunt. Quid enim auricularis confessio huic exemplo affine habet?* Saluberrimam confitendi peccata necessitatem licentiosus hæreticus *tyrannidem* vocat. Sed hæc impiorum in Scripturis vox est: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Psal. 2. 3. Hoc verò exemplum auriculari confessioni adeò affine esse, vt eam luculenter probet, in præcedẽtibus demonstratum dedimus. Quare & D. Basilius absque vlla impudẽtia ex hoc facto confessionis necessitatem infert. Quum enim dixisset, *Necessariò ijs aperiri peccata debẽt, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*; subiungit; *Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus sequutos fuisse; quando & in* In regul. breuioribus ad interr. 288.

Euangelio

Matt. 3. b. Act. 19. d. *Euangelio scriptum est, quòd Ioanni confitebantur peccata sua, & in Actis Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.* Hæc ille. Non est verò in Actis Apostolicis alius præter hunc locus, in quo de peccatorum confessione mentio fiat.

Sed vult Caluinus docere, impudentes esse illos qui ad confessionem Sacramentalem in Christi Ecclesia vsitatam, hoc huius loci exemplum aliquo modo pertinere volunt. *Primùm* (inquit) *fideles, quàm miserè ante susceptam fidem decepti fuissent à Satana, prodebant in medium quibusdam exemplis confessi sunt: Per quæ autem lege, factorum dictorumque & cogitationum omnium enumeratio exigitur.* Ad hoc primùm respondeo, credentes istos iam baptizatos & Christianos nullo modo ea confessos fuisse, quæ ante susceptam fidem patrauerant (quorsum enim peccata iam per baptismum penitus abolita ac remissa credentes confiterentur? aut quorsum huiusmodi confessionem Christianæ religioni insolitam, & ipsi baptismo eiusque efficaciæ non obscurè repugnantem, Actis Apostolicis Lucas insereret?) sed iuxta Christianæ religionis ritum, consuetudinem, Sacramentum, illam exhomologesin & cõfessionem peccatorum feciſſe, quam credentibus & Christianis hominibus in vsu semper fuisse, tota Antiquitas Ecclesiastica summo cõsensu nobis demonstrat. An contra certam, claram,

Peccatorũ confessio non fit de olim remissis, sed remittendis.

claram, & generalem totius Ecclesiæ praxin vnius nouelli hæretici audax cõiectura præualebit? Quid hoc aliud est quàm vniuersam fidem ac religionem Christianam supe bis & callidis ingenijs penitus despuendam ac dilacerandam exponere? Negamus verò impio Caluino nudam ac simplicem quam adfert coniecturam, nulla ratione, nullo argumẽto, sed nuda assertione munitam. Neque verò lex Papæ, sed lex Christi, cui totius Catholicæ Ecclesiæ vnanimis consensus his 1500. annis ácquieuit, in confessione Sacramentali factorum dictorumque & cogitationum omnium, quæ mortalis peccati reatum habent, enumerationem exigit. An verò Christus, quorumcumque peccatorum solutionem & ligamen Apostolis suis eorumque successoribus committens, tam dicta quàm facta, ipsasque adeò cogitationes mortiferas non comprehendit? Vt omnium ergo remissio fiat, omnia cognoscantur oportet; nec absque confessione aliqua in hoc Ecclesiæ foro cognosci possunt. *Nos* (ait D. Augustin.) *à communione prohibere* (quod est peccatum ligare) *quenquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum.* Eadem est & soluendi ratio, solui non posse, nisi qui peccatum sponte confessus fuerit. Et ad ipsa cogitationum peccata quod attinet, sic antiquis-

Homil. 50 cap. 12.

tiquissimus & sanctissimus Cyprianus de sui temporis Christianis scripsit: *Quamvis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti sunt*; de illis loquitur qui tempore persecutionis aut idolis sacrificabant, aut datis libellis factum attestantibus sacrificasse sese simulabant; *quia tamen de hoc vel cogitauerant, hoc ipsum apud Sacerdotem Dei dolenter & simpliciter confitentes, exhomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam exquirunt.* Hæc non ex Papæ lege, sed ex Christiana religione facta memorantur.

Serm. 5. de lapsis.

Antitheses Caluinianæ ineptissimæ.

Pergamus ad alias Caluini antitheses, quibus hūc locū eludere adhuc conatur. *Hos semel legimus cōfessos esse; Papæ lex vt minimū quotannis repeti iubet.* Mentitur ac fallit. Tametsi hos semel legimus confessos esse, quis tamen dubitat, quin simili recurrente causa iterum atque iterum confessi fuerint? Neque Papæ lex iubet quotannis repeti quæ semel confessi fideles fuerant; sed iubet fideles qui toto reliquo anno negligentes fuerant, saltem semel in anno confiteri: nempe vbi se reos esse & clauium beneficio indigere deprehenderint. Sequitur alia antithesis: *Hi sponte prodierunt; Papa necessitate omnes obligat.* Iterum mentitur ac fallit. Nec Papa, nec vlla Ecclesiæ lex, sed peccatoris ipsius iniquitas, & lex Christi de soluendis per Ecclesiam peccatis, cōfitendi necessitate obligat. Isti quoque sic sponte prodierunt, vt ad remis-

2.

3. Confitendi necessitas ex peccatis oritur & Christi lege, non ex lege Papæ.

remissionem peccatorum suorum consequendam, ex Christi lege necessariò prodire debuerint. Sequitur alia antithesis non minùs insulsa ac puerilis: *Lucas multos venisse dicit, non omnes: in lege Papæ nulla exceptio.* Antithesis fatuitatem in simili ostendo. Lucas alio in loco dicit: *Multi eorum qui audierunt verbum, crediderunt.* Multos dicit credidisse, non omnes; in lege Caluini nulla exceptio. Omnes quippe qui verbum audiunt, credere oportere ait. Quicquid in hac antithesi ineptum est, idem in altera. Ineptum est, ex facto multorum, vnius loci ac temporis, vbi omnes credere noluerunt, generalem credendi necessitatem tollere. Similiter ineptum est, ex confessione multorum, vnius loci ac temporis, vbi non omnibus, sed illis multis confitendi necessitas incubuit, generalem confitēdi necessitatem refutare. Rursum ineptum est, legē Caluini vocare, quæ lex Christi est, vt omnes verbum eius audientes credant. Similiter ineptum est, legem Papæ vocare, quæ lex Christi est, mittentis eos, qui à peccatis suis solui volunt, ad Apostolos suos, eorumque successores. Lex quoque totius Ecclesiæ Catholicæ est, omnium hactenus ætatum & locorum, non vnius Papæ, vt suis miseris Caluinistis hoc modo loquendi Caluinus persuasit. Adhuc vna sequitur antithesis, in qua se acu rem tetigisse Caluinus existimauit, ideoque in

4.

Act. 4.

vltimum

vltimum locum veluti aculeos relicturam seruauit. *Isti* (inquit) *coram fidelium cœtu se humiliarunt; Papæ longè aliud mandatum, vt clanculariis susurris in aurem proprij Sacerdotis obmurmuret peccator.* Primùm, quod de fideliũ cœtu Caluinus narrat, penitus exploratum non est; quamuis, vt suprà explicatum dedimus, in verbo ἀναγγελίας publicam coram toto fidelium cœtu confessionem factam fuisse intelligi posse existimamus. Sed vt hoc Caluino damus, ita rursum in verbo ἐξομολογήσεως secretam confessionem soli Sacerdoti factam ponimus; atque ita Caluini antithesis penitus concidit. Vtrumque quippe isti pœnitentes præstitisse videtur. Deinde, vt Caluino demus non nisi publicè coram toto cœtu factam hanc cõfessionem fuisse, an ex ea tollitur confessio priuata? Adeò sanè nõ tollitur, vt maximè stabilitur? Nam vt nuper ex duobus grauissimis Antiquitatis testibus Origene & Augustino annotauimus, ipsam publicam confessionem præcessit in veteri Ecclesia priuata confessio; vt hac prius facta, ex iudicio proprij Sacerdotis publica illa postmodum sequeretur. *A Præposito sacrorũ* (ait S. Augustin.) *accipiat satisfactionis suæ modum; vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed & in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorũ vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recusent.* Hæc ille.

5.

Cõfessionem publicam priuata præcessit.

Homil. 50 cap. 11.

Et

Et sanè vt publicam hanc confessionem satis diu in veteri Ecclesia vsurpatam fuisse, ex Tertulliano, Origene, Sozomeno, & aliis constat, ita priuatam soli proprio Sacerdoti factam non minùs antiquam & vsitatam fuisse, ex Veterum testimonijs, quæ nuper protulimus, manifestè euincitur. Sed & huius antiquitatẽ illa vna Paganorum fœda sed celebris calũnia liquidò attestatur. Dicebant quippe, homines Christianos Sacerdotum suorum virilia adorare solere; eò videlicet quòd in templis ad Sacerdotum pedes illos geniculari vidissent. Vnde Tertullianus: *Exhomologesis* (inquit) *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem.* Rursum alio in loco hunc confitendi ritum describens, ait illud esse, *Presbyteris aduolui, caris Dei adgeniculari.* Sed & eo antiquior Dionysius Areopagita: *Tu* (inquit) *procidentem Sacerdotem Sacerdoti impium (vt ais) atque peccatorem nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans calce abiecisti ac repulisti? cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur se ad peccatorum remedia quærenda veniisse.* Nempe propter hanc priuatam Sacerdoti faciendam peccati confessionem, cui etiam publica illa frequenter adiuncta fuit, Sacerdotibus ad genua prouoluebantur fideles. Temporis tamen progressu Christiana fide ab omni hominum genere, peneq; toto orbe cognito, suscepta;

Confessionis priuatæ testimonia.

Minutius Felix in Octauio.

Lib. de pœnit.

Epist. 8. ad Demophilum.

publica illa confessio, veluti res ardua & odiosa, aut cessauit penitus, aut nisi rarissimè iniuncta fuit. Quare tandem quarto post Christum seculo ita scriptum reliquit atque decreuit Leo Magnus: *Reatus conscientiarum sufficit solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.* Sed horum omnium ignarus Caluinus, pulchram se antithesim posuisse arbitratus est, quòd ista in Actis memorata confessio publica fuerit, nostra hodie priuata fiat. Nihil quippe est vna ignorantia audacius. Et tamen quasi re præclarè gesta, hoste que penitus debellato, ita concludit ac triumphum canit Caluinus: *En quàm dextere Scripturam ad probandas suas fallacias accommodent.* Cui vno verbo respondemus: Habes, Lector, quàm dextere Caluinus antithesis suas ad calumnias pertexendas accommodet: habes quàm varia futilitate luculentum istud confessionis peccatorum exemplum eludere, inuertere, deprauare Caluinus contenderit.

Epist. 80.

23. *Facta est illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum.*

Caluinus canis rhetoricus.

CAluinus scurra egregius, &, vt ille olim Timon, canis rhetoricus, artis suæ specimen hîc dare voluit. *Tumultuatur* (inquit) *Demetrius cũ sua manu: quia si tollatur superstitio, ex qua*

ex qua quæstū facere soliti sunt, opificiū ipsorū concidet. Ergo nō secus ac pro vita sua depugnāt, ne Demetrius opima præda, alij quotidiano victu priuētur. Hæc omnia historiæ Apostolicæ conformia ac vera sunt. Nūc quàm dextere ad suas fallacias probandas hanc Scripturam accommodet Caluinus, & quàm egregiè scurram agat, attende. *Hodie* (inquit) *quis zelus Papam, cornutos Episcopos, monachos, & totam cleri Papalis colluuiem instigat? Imò quis eos exagitat furor, vt tam acriter Euangelio resistant? Iactant quidem se pro fide Catholica decertare. Nec verò Demetrius honesto prætextu carebat, cultum Dianæ obtendens. Verùm res ipsa clamat, non tam pro aris ipsis quàm pro focis pugnare, vt scilicet culinam habeant bene calentem. Fœdas in Deum blasphemias, modò nihil minuant ex eorum prouentu, placidè dissimulant. Tantùm in tuendis superstitionibus, quæ ad farinas valent, sunt plusquam animosi.* Et iterum paulò pòst eiusdē Demetrij hypocrisin tractās: *Nō absimilis* (inquit) *est hodie Papistarū ratio. Plenis quidē buccis se fidei Catholicæ & S. matris Ecclesiæ patronos esse iactāt; sed de suo zelo sic præfati, in ipsa causæ actione culinæ nidorē toto gutture spirāt.* Hęc canis iste. Sed quid ineptius aut magis ridiculum ab vno aduersario in alium dici potest, quàm quod totidē verbis in ipsum statim ab altero regeri queat? Putida hæc & puerilis, sed à fœtida maleuolentiæ cloaca, Caluini pectus totum occupante, profecta accusatio, in ipsius caput commodissimè re-

geritur; an etiam verisimè, ipse cum suis viderit. Hodie quis zelus Caluinum, Bezam, barbatos Ministros, & totã illam lacus Geneuensis colluuiem instigat? Imò quis eos exagitat furor, vt tam acriter Ecclesiã Christi Catholicam impugnent? Iactãt quidem se pro Euãgelio decertare. Nec verò Demetrius honesto prætextu carebat, cultũ Dianæ obtendens. Verùm res ipsa clamat, non tam pro aris ipsis quàm pro focis pugnare, vt scilicet culinam habeant bene calentem, vt ieiunio & abstinentia eliminatis, carnis perpetuum nidorẽ culina sapiat, vt tota eorum charitas in cacabis ferueat, tota fides in culinis caleat, tota spes in ferculis iaceat, quorum Deus venter, pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos coquus; qui vxorum amplexibus carere nõ possunt, qui diuortijs factis alias superinducunt, qui Dei legem vt impossibilem exhorrent, quorum doctrina carnalis, vẽtri & cupiditatibus subseruiens. Fœdas in Deum blasphemias quas alij sectarij passim euomũt, modò nihil minuant ex eorum prouentu, modò ipsorum sectam non lædant, modò opimos patronos & heroas (quos emungunt) ab ipsis nõ diuellant, placidè dissimulant. Et plenis quidem buccis se Euangelij causam agere, & Euangelij patronos esse iactãt; sed de suo zelo sic præfati, in ipsa causæ actione culinæ nidorem, ventris curã, carnis libertatem toto gutture spirant.

Caluini Calũnia in ipsos Caluinistas verissimè retorta.

spirāt. Hæc Caluinianæ hoc loco declamationi breuiter responsa sunto.

CAP. XX.

21. *Testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*

Hæreticorum commentarij quanto cum periculo leguntur.

HVius loci tractatio Caluiniana luculento erit documento, quanto in errore versantur, qui hæreticorum commentarios propter multa illis vtilia permixta, resectis quæ nocere poterunt, legi cum fructu posse existimāt. Hunc sanè locum ita tractat Caluinus, maximè circa pœnitentiā ac fidem à Paulo hîc prędicatā, vt, qui eā legat Catholicus, nō nisi orthodoxā inprimis ac salutarē doctrinam ab illo tradi, saltem nihil ab eo noxium afferri, prorsus sibi persuadeat. Quum enim multa hîc dixerit in speciem optima, vel sensum habent latenter venenatum, vel, si purus eorum sensus est, aliquod semper toxicum proximè subijcitur, quo præcedentium verborum puritas penitus inficitur. Ad huius rei luculentum (vt dixi) documentum, huius loci explicationem seu corruptelam potiùs mirè fraudulētam & artificiosam prætermittere nolui. Primùm de verbo *testificandi*, quo Paulus hîc vtitur, aliquid ob-

seruat Caluinus, quod vel noxium vel alienum sensum nō adfert quidem, satis tamen appositè & aptè dixisse quum videatur, à tota vi verbi eius toraque veritate longissimè abest. Illam particulam paucis expediam. *Testificandi verbo* (ait Caluinus) *maiorem vehementiam exprimit Paulus; ac si dixisset, se attestando commendasse, ne residua esset ignorantiæ excusatio. Alludit enim ad morem forensem, vbi testificatio ad tollendam omnem dubitationem interponitur, sicuti non tantùm docendi, sed etiam vrgendi sunt homines vt salutem in Christo amplectantur, & se Deo addicant in vitæ nouitatem.* Hæc ille. Obseruat quidem rectissimè *testificandi* verbo *maiorem vehementiam à Paulo exprimi*; & huiusmodi testificationem ab eo designari, *quæ ad tollendam omnem dubitationem interponitur*: sed totam illius vocabuli vim, vt in Scriptura Euangelica vsurpatur, satis frigidè ac ieiunè expressit. Interim quod dat accipimus. Sed ex diuinis Scripturis præterea adijcimus, hoc vno verbo irrefragabilem Apostolicę & Ecclesiasticæ doctrinæ authoritatem designari. Quod alijs in locis enucleatiùs traditum, breui hîc compendio repetam. Totius in Deum fidei fundamētum & vltima resolutio est, quòd Deus est verax, & mentiri non potest. Creditur Deo veluti nobis loquenti, & veritatem, quam credimus, intus in corde testificanti. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Deo per ora ho-

Testificādi verbū Ecclesiæ attributū.

1. Ioan. 5.

ora hominum loquenti similiter creditur, quia homines illi, quod ex Deo acceperunt, id ipsum à Deo se accepisse nobis testificantur. Sic primùm Christus ipse, qui ex Deo loquebatur, disertè profitetur se in mũdum venisse, *vt testimonium perhiberet veritati*, videlicet quam ex Deo acceperat. Ioan. 18. Vnde quisquis *accepit Christi testimoniũ, signauit quia Deus verax est.* Ioan. 3. Duplici quippe testimonio credidit; Deo veraci intus testificanti, Christũq; ad testificandum mittenti, ac simul ipsius Christi testimonio. Deinde, Christus ad Patrem rediturus, nouos testes delegit, quorum testimonio nõ secus credi voluit quàm suo. Ait illis: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Act. 1. 8. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; qui spernit me, spernit & eum qui misit me.* Luc. 10. Hîc triplex est testimonium; Apostolorum, Christi, & Dei. Sed quia subordinata hæc sunt, & nexu indissolubili coniuncta, vnum sine altero contemni non potest; nec secus vnum quàm alterum credendum est. Hoc ergo sensu Apostolus hîc *testificatus est Iudæis ac Gentibus in Deum pœnitentiam, ac fidem in Christum*; non quidem alludens ad forensem modum (qui tamen, quia omnem dubitationem testificationis robore tollit, ad summam Apostolorum authoritatem sufficit) sed certè alludens ad singularem testificandi authoritatem absolutè in solo Deo resi-

dentem, à Deo autem primùm Christo, ac postea à Christo Apostolis totique Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ Apostolis successit, communicatam. Nam ipse Paulus quum à Christo de cœlo vocaretur, hanc ab illo vocem audiuit: *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi*, id est, eorum quæ te postea per visiones & inspirationes specialiter docebo. Hæc testificandi authoritas, quæ *non aliquam vehementem commendationem aut vrgendi rationem* (vt Caluinus glossat) sed obtemperandi & credendi obligationẽ exprimit, iuxta illud Christi, *Qui vos spernit, me spernit*; si in Ecclesiæ Præpositis, Pastoribus, ac Magistris non residet, sed cum Apostolis ẽ mundo recedentibus extincta est; profectò nec prædicandi, nec baptizandi, nec vlla Sacramenta administrandi potestas in Ecclesia iam residet. Quibus enim verbis hæc testificandi potestas Apostolis data est, eisdem & varia illa alia potestas commissa est; nec minor est huius testificationis in Ecclesia Dei necessitas, quàm simplicis prædicationis ac doctrinæ, aut quorumlibet Sacramentorum administrationis: sanè *ne circumferamur omni vento doctrinæ*, & nulla remaneat Christianæ religionis certitudo, nulla firmitas, nulla πληροφορία.

Act. 26.

Testificandi potestas in Ecclesia perpetuò residet.

Ephes. 4.

Nunc quæ de pœnitentia ac fide scribit hoc loco Caluinus, expendamus. *Pœnitentia* (inquit)

(inquit) *est conuersio ad Deum, quum nos totamq́, vitam nostram in eius obsequium componimus: Fides autem gratiæ in nobis exhibitæ receptio est.* Distinguit sanè Caluinus quæ distinguenda sunt, sed in vtriusque descriptione lectorem fallit. Pœnitentia non est sola in Deũ conuersio, vt de reliquo vitam nostram in Dei obsequium componamus; sed est præterea à peccatis commissis auersio, est eorum odium, detestatio, & offensi diuini Numinis dolor, in quo propriè pœnitentiæ consistit ratio; quum subsequens vitæ in melius reformatio effectus potiùs eius ac fructus sit, quàm vera nominis ratio, vt alijs in locis contra Caluinum ac Bezam disputauimus. Pœnitentiæ præcipua ratio, dolor de Deo offenso.

Rursum, fides non est exhibitæ gratiæ receptio (talem nulla Scriptura docet) sed est omni Dei verbo credere, eius omnipotentiam, eius promissiones, eius comminationes, denique quicquid Deus dicit, reuelat, mandat, promittit, cõminatur. *Potestis credere quia hoc possum facere vobis? Accedẽtes ad Deum* (quales pœnitentes sunt) *oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est. Si credis toto corde in Christum Iesum, potes baptizari.* Et huiusmodi in Scripturis multa. Recipere exhibitam gratiam, est commentitia Caluini fides, quam nulla Scriptura docet. Recipiendæ quidem & à Deo impetrandæ gratiæ medium vnum fides est, sed exhibitæ iã gratiæ adeò receptio aliqua fides non est, vt

Fides non est exhibitæ gratiæ receptio.

Matth. 9. Heb. 10. Act. 8.

est, vt vbi plenissima recipietur gratia, ibi fides nulla futura sit. Denique si Apostolo magis quàm Caluino credimus, *fides rerum sperandarum* (ac per hoc necdum exhibitarum) *substantia*, basis ac fundamentum est. Vides vt aliquid de pœnitẽtia orthodoxum docens, more tamen hæreticorum suum toxicum asperserit. Quo magis cauenda (vt dixi) hæreticorũ lectio, etiam quando communem nobiscum fidem asserere ac docere videntur. Hoc igitur loco accipimus quod de pœnitẽtia profitetur, esse *eam conuersionem ad Deum, quum nos totamque vitam nostram in eius obsequium componimus.* Quod adhuc alijs verbis ita prosequitur: *Nã huc spectat tota religio, vt sanctitatem ac iustitiam colẽtes, purè seruiamus Domino.* Optimè & istud, & sicut Christianum decet. Sed vide occultũ quod huic sanæ doctrinæ instillat venenum. *Deinde, ne vllam salutis nostræ partem aliũde quàm ab ipso petamus, neue alibi quæramus quàm in solo Christo.* Dicet quispiam: Hoccine venenum nuncupas, quo nihil potuit salubrius proponi? An alibi salus quærenda quàm in Christo est? Non est sanè, si rectè & orthodoxè hoc intelligas. Omnia quippe alia, in quibus quærere salutem iubemur, nec nisi cum fide in Christũ ad salutem valẽt, nec nisi per Christi gratiam adiuuantem præstari possunt, nec nisi per Christi meritum & propitiationem priùs factam, à quoquam salubriter as-

Hebr. 11.

Caluini verbis bonis venena porrigũtur pessima.

ter assumũtur. Sed notus est Caluini sensus, *in solo Christo salutem quærendam esse*, quia sola eius iustitia, obedientia, sanctificatio nobis credentibus, id est, vt modò dixit, *exhibitam gratiam fide recipientibus*, ad salutem imputetur. Quare studiosè hoc adiecit, ne quis existimet, quod *de seruiendo Deo in sanctitate & iustitia* dixerat, veluti aliquam salutis causam, aut aliquid ad salutem necessarium, dixisse videretur. Quasi verò pœnitentiam Paulus non perinde docuerit ac fidem; quasi pœnitentia in Deum Apostolicæ prædicationis pars æquè non fuerit ac fides; quasi vtraque perinde ad salutem non conferret. Si vtraque ad salutem non confert, si vtraque salutis nostræ pars nõ ponitur; quorsum vtramque tãta diligentia tam Paulus quàm alij Apostoli (nominatim Petrus in prima sua ad Iudæos prædicatione) ad peccatorum remissionem consequendam, prædicauerũt, docuerunt, postularunt, vt in alijs huius libri locis iterum atque iterum disputatum à nobis est? Denique, si nullam salutis nostræ partem aliunde quàm à Christo eiusque imputata iustitia petere debemus, ergo neque à fide ipsa: sic nec fides erit ad salutem necessaria, aut vllum salutis acquirendæ medium. Si sic ad Deum per pœnitentiam conuerti, sic in sanctitate & iustitia Deo seruire oportet, vt hæc non putentur esse ad salutem comparandam necessaria; omnino

Caluini techna.

Pœnitentia nõ locus salutis nostræ pars quàm fides. Act. 2.

& sic

& sic in Christum credere oportet, vt hæc fides ad salutem comparandam non existimetur necessaria. Sed vtramque virtutem, veluti illis qui ad Deum cõuertuntur, ad salutem & remissionem peccatorum necessariam, tota prædicatio Apostolica & Scriptura Euangelica demonstrat, quod alijs in locis contra Caluinum demonstrauimus. Hoc itaq; eius aspersо veneno (quãtum satis est) absterso, reliquã eius explicationem audiamus. *Ergo* (inquit) *pœnitentiæ doctrina piè viuendi regulam cõtinet, nostri abnegationem, carnis nostræ mortificationem, vitæq; cœlestis meditationem exigit.* Quid rursum verius, sanctius, magisq; orthodoxum dici potuit? Sed vide quàm primùm aliud admixtum toxicum, tectum tamen & speciosum satis, quod imposturis Caluinianis minùs imbuti vix vnquam aduertent; quo quicquid purum erat, fœdè vitiatur atque inficitur. *Sed* (inquit) *quia natura corrupti sumus omnes, alieni à iustitia & ab ipso Deo auersi, deinde, quia Deum, quem scimus nobis infensum esse, fugimus; modum tam reconciliationis gratuitæ quàm obtinendæ nouæ vitæ nobis proponi necesse est. Ergo nisi fides accedat, frustra de pœnitentia verba fient.* Memoria semper tenẽdum est, Caluinum non de alia fide loqui, quàm de sola fiducia seu persuasione potiùs firmissima diuinæ erga nos beneuolentiæ. Deinde & illud tenendum est, Caluinum de pœnitentia loqui quàm omnes fideles per totam

Caluini verbis bonis venena porriguntur pessima.

vitam

vitam agunt, quia per totam vitam, quantum ad se ipsos, & quantum ad opera quæ faciunt, non solùm imperfecti, & varijs defectibus obnoxij, sed impuri & impij sunt, vt eius in epistolam ad Romanos variæ disputationes clarum facient. Hæc igitur est vera ac tota Caluini sententia. Pœnitentiæ quidem doctrina, *piè viuendi regulam* & cætera antedicta exigit: sed quia *per totam vitam natura corrupti sumus, alieni à iustitia, à Deo auersi*, &c. (quasi nihil planè noua regeneratio in homine mutasset, sed eadem esset Paganorum & Christianorum ratio) *nisi fides accedat, quæ nobis proponat tam reconciliationis gratuitæ modum* (eam videlicet sola fide apprehendendo, non ad eam per legitimas dispositiones doloris de præteritis peccatis, firmi propositi Dei deinceps omnia mandata seruandi, dilectionis Dei & proximi, &c. perueniendo) *quàm obtinendæ nouæ vitæ modum* (non per Spiritum gratiæ, quæ corda innouet, & ad iustificationem legis implendam vires subministret, sed apprehendendo iterum per fidem sanctificationem omnem quæ in Christo erat, nobisque imputatur) *frustra de pœnitentia verba fiunt*, doctrina pœnitentiæ frustra proponitur. Hunc esse Caluini hoc loco sensum & occultum venenum sub sermone blando, tum reliqua eius impia dogmata à nobis alibi patefacta, tum totius huius loci subsequẽs disputatio, & ipsa

Pœnitentiæ doctrinam quã impio sensu docet Caluinus.

& ipsa inprimis cõclusio manifestũ faciens. Sic enim prosequitur: *Imò pœnitentiæ doctores, qui neglecta fide tantùm in vita formanda, & bonorum operum præceptis insistunt, nihil aut quàm minimùm distant à prophanis Philosophis. Tradunt quomodo viuendum sit; sed cùm homines relinquant in sua natura, nulla inde sperari potest restitutio in melius, donec in spem salutis perditos inuitent, mortuos viuificent, promissa peccatorum venia ostendãt Deum gratuita adoptione pro filijs amplecti, qui priùs Satanæ erant mancipia, Spiritum regenerationis à Patre cœlesti petendũ esse doceant, pietatem, iustitiam, & rectitudinẽ ab ipso bonorum fonte hauriendam esse; atque hinc sequitur inuocatio, quæ in legitimo Dei cultu primas tenet. Videmus nunc vt individuo nexu inter se cohæreant pœnitentia & fides. Fides enim est quæ Deum nobis conciliat, non tantùm vt nobis propitius sit, à mortis reatu nos absoluens, peccata non imputando; sed etiam vt Spiritu suo carnis nostræ sordes repurgans, in imaginẽ suam nos reformet.* Hæc hactenus Caluinus. Primùm taxat pœnitentiæ doctores, qui parum distant à prophanis Philosophis. Ergo non de ipsis prophanis Philosophis agit, ad quos hæc tota oratio rectè quadrare posit (quia illi demum hominẽ in sua natura relinquunt, de fide in Christum, aut noua regeneratione Spiritus, nihil dicunt) sed agit de Christianis adeoq; Catholicis Doctoribus, quos ideo mentitur *neglecta fide in vita tantùm formanda & bonorum operum præceptis insistere,*

Doctrinæ Catholicæ accusatio mẽdax.

Doctrinæ hæreticæ instillatio fallax.

fistere, quia neglecta, imò reiecta & anathematizata Caluiniana nouella fide, id est, impia diuinæ erga nos beneuolentiæ, quibuscumque flagitijs coopertos, persuasione, seu potiùs præsumptione, docēt Catholici Doctores cum vera fide Catholica, quæ in omni religionis doctrina, maximè in pœnitentiæ, veluti fundamenti loco prę supponitur, vitę pristinæ deplorandæ, vitæ melioris instituendæ præceptis insistere. Duplici nomine Catholica in hac parte doctrina nostri temporis hæreticos malè habet. Primùm, quòd neglecta ipsorū nouella fide, antiquit⁹ sem-per receptā, & in Scripturis reuelatā fidem (qua omni Dei verbo creditur) in pœnitentiæ negotio tenent. Secundò, quòd de peccatorum præteritorū dolore, de vita in melius formanda, de bonorum operum præceptis tā multa tam diligenter inculcāt. Vtrāq; hanc animi ægritudinē his verbis Caluinus expressit. Iam quod de eisdē Catholicis Doctoribus adhuc subiūgit, *eos relinquere homines in sua natura*, non luculentum modò ac splendidum mendacium est, quū propter naturæ nostræ luculentā in melius mutationem, & nouam planè in Christo creaturam, veram & inhærentem pijs iustitiam Catholici doceant, sed suam propriam scabiem alijs affricuit. Caluinus enim & Caluinistæ illi sunt, qui, tota inhærente iustitia negata, perpetuaq; in quibuslibet iustis immunditie

Pœnitentię doctrina Catholica dupliciter hæreticis displicet.

Homines in sua natura Caluinistæ relinquunt.

munditie cõstituta, ac seruãdi mandata impossibilitate tradita, homines planè in sua natura relinquunt. Quod nõ obscurè etiam hoc ipso in loco Caluinus facit. Vide enim, lector, quam ille naturæ humanæ restaurationem cõtra eos, qui homines in sua natura relinquunt, hoc ipso loco posuerit. *Nulla* (inquit) *inde sperari potest restitutio in melius, donec in spem salutis perditos inuitent, mortuos viuificent, promissa peccatorum venia ostendant Deum gratuita adoptione pro filijs amplecti, qui prius Satanæ erãt mãcipia.* An in tota hac oratione aliqua docetur naturę peccatricis in melius restitutio, aliqua reformatio, aliqua innouatio? Docetur quidem remissionis peccatorum spes omni pœnitenti inprimis necessaria; sed nulla adhuc naturæ in melius restitutio: docetur gratuita adoptio, quę feliciorem quidem hominem facit, sed nondum meliorem; & personæ quidẽ in melius restitutionẽ, sed nõ naturę; nisi cũ hac præteritorũ peccatorũ remissione, & noua in Dei filiũ adoptione, aliqua interioris hominis interna renouatio, mẽtisq; & spiritus noua regeneratio, (qua iam iustus, pius, ac bonus fiat, qui antea iniustus, impius, ac improbus fuit) pariter cum ista peccatorũ remissione nouaq; adoptione constituatur. Dices Caluinum in proximè sequentibus verbis hanc internam renouationem ponere. Expendamus nunc igitur illa. *Spiritum* (inquit) *regenerationis*

rationis à Patre cæleſti petendum eſſe doceant, pietatem, iuſtitiam, & rectitudinem ab ipſo bonorum fonte hauriendam eſſe. An non hîc Caluinus internam quoque naturæ humanę renouationem & in melius reſtitutionem clarè docet? Vult enim pœnitẽtiæ doctores docere, Spiritum regenerationis à Deo Patre petendum eſſe, omnemque rectitudinem, pietatem, iuſtitiam ab ipſo bonorum omnium fonte hauriendam eſſe. Veram igitur & realem hominis regenerationem, veram pietatem, iuſtitiam, ac rectitudinem filijs adoptionis inhærentem, vtpote ex ipſo fonte hauſtam atque depromptam, docet. Cæterùm omnia hæc ad populum phaleras, nec niſi fucum lectori faciunt. Aduerte quid poſtea in totius huius rei confirmationem ſubiungat. *Fides enim* (inquit) *eſt quæ Deum nobis conciliat.* Fidem intellige diuinæ beneuolentiæ perſuaſionem firmam & indubitatam. Hæc eſt enim Caluini fides, non alia. Hæc fides Deum nobis conciliat, id eſt, facit vt ſimus adoptionis filij, idque omni prorſus modo; non ſolùm quoad peccatorum remiſsionem, ſed etiam quoad nouam regenerationem. Sic enim diſertè ſubiungit: *Non tantùm vt nobis propitius ſit, à mortis reatu nos abſoluens, peccata non imputando* (hæc eſt peccatorum remiſsio) *ſed etiam vt Spiritu ſuo carnis noſtræ ſordes repurgans, in imaginem ſuam nos reformet.* Hæc eſt interna renouatio, ſi qua

Caluini verbis bonis venena porriguntur peſsima.

Renouationem internam soli fidei apprehendenti & imaginãti tribuit Caluinus De Spir. & lit.

tandem est. Sed quomodo fides hoc totum facit? Quomodo (inquam) efficit ac facit fides vt Deus Spiritu suo nos reformet? an quia impetrat gratiam quâ intus ad imaginem Dei reformemur? Iste sanè sensus orthodoxus esset, & qualem Augustinus non rarò tradit, scribens: *Quod lex iubendo imperat, fides orando impetrat.* Sed non est hic Caluini sensus. Totam hanc internam diuini Spiritus reformationem non secus fidei tribuit (verbis iam citatis) quàm ipsam peccatorum remissionem. Sed quare hoc? Quia sicut beneficium redemptionis per Christum factæ, propter quam nobis imputatam remittuntur nobis peccata nostra, per fidem apprehendimus; sic totam sanctificationem, iustitiam, pietatem quæ in Christo erat, nobisque imputatur, per fidem similiter apprehendimus; vt ideo sancti ac iusti simus, ideo legem impleamus, quia Christus sanctus ac iustus fuit, totamque legem exactissimè impleuit. Hic est Caluini sensus, quem alijs in locis aperuit. *Quare* (inquit) *fide iustificamur? Quia fide apprehendimus Christi iustitiam, qua vna Deo reconciliamur. Hanc verò fide apprehendere non possis, quin & sanctificationem simul apprehendas. Nullum ergo Christus iustificat, quem non simul sanctificat. Vis ergo iustitiam in Christo adipisci? Christum totum possideas oportet. Quum ergo hæc beneficia, non nisi seipsum nobis erogando, fruenda nobis concedat; vtrumque simul largitur, alterum*

Instit. lib. 3. cap. 16. num. 1.

nunquam

unquã sine altero. Vides his verbis quomodo fides vtroque modo Deum nobis conciliat; quomodo & iustificat & sanctificat; quomodo & peccatorum remissionem & Spiritus regenerationẽ confert. Sanè quia vtraque per fidem apprehenditur, vtraq; imputatur, neutra inhæret. Sic alio in loco quod hic dixit, *beneficio fidei fieri, vt Spiritu suo Deus carnis nostræ sordes repurgans in imaginẽ suam nos reformet; & petendum esse à Patre cœlesti regenerationis Spiritum, pietatem quoque, iustitiã, ac rectitudinem ab illo bonorum fonte hauriendam*, nõ alio sensu ab eo dictum esse, quàm vt tota diuini Spiritus plenitudo in solo Christo residens, à nobis per fidem apprehensa, nobis imputetur, nostraque cẽseatur, his verbis expressit: *Non negamus* (inquit) *quin reformet nos Deus Spiritu suo in vitæ sanctitatem & iustitiam. Sed primò videndum est, faciátne hoc per se & immediatè, an verò per manum filij sui, penes quem omnem plenitudinem Spiritus S. deposuit, vt sua abũdantia membrorum inopiæ subueniret*. Hæc est imputatiua subuentio, quam verbis suprà citatis expressit; nec vera ac realis donorum communicatio, sed sanctitatis & iustitiæ soli Christo propriæ per fidem apprehensio. Inst. lib. 3. cap. 11. num. 12.

Qua de re in Promptuarij nostri Catholici parte Quadragesimali latiùs disputauimus: sed & infrà in epistolam ad Rom. iterum disputãdi locus dabitur. Vides ergo, Lector, vbi aliquid orthodoxum ac pium Caluinus In fer. 6. hebd. 3. tex. 1. Ad cap. 8. ver. 12.

scripsisse videtur, non nisi latentes suas hæreses & occulta venena eum sparsisse. Aliquin si verè ac realiter à Patre cœlesti, & illo bonorum omnium fonte, Spiritum regenerationis, pietatem, iustitiã, ac rectitudinem haurimus, si verè & realiter Spiritu suo Deus nos repurgans in imaginem suam nos reformat, si veré & realiter homines in sua natura non relinquuntur, sed fit restitutio in melius, illis videlicet quos iam dixit modis, tunc profectò tota hæc Caluini disputatio inhærentem nobis iustitiam, ac pietatem, ac veram bonorum operum in renatis sanctitatem luculenter probat: eadem quoque imputatiuam iustitiam, operum iustorum confictam immunditiem, seruandi mandata impossibilitatem luculenter euertunt. Sed vt ille vno *fidei* verbo, cui hoc totum tribuit, totum hunc sensum orthodoxum à suis verbis remouit, ita non aliter à suis intelligi voluit: Catholicis tamẽ lectoribus hanc dulcem escam obiecit, qua vel ad latentium hæresum hamum pleno ore deglutiendum, vel ad alias nefarias hæreses huic lõgo commentario respersas incautiùs deuorandas, nefarius impostor alliceret.

Caluini verba in sensu apparenti Inhærentem iustitiam docent, imputatiuã tollunt.

Caluini artes.

Addit quippe statim aliam non iam latentem sed manifestam corruptelam. *Pœnitentiam* (inquit) *nõ ideo priore loco nominat Paulus, quòd tota præcedat fidem, cùm pars eius ex fide emanet, eiusq; sit effectus, sed quia pœnitentia initium*

tium præparatio sit ad fidem. Initium voco nostri displicentiam, quæ metu iræ Dei seriò tactos ad quærendum remedium nos impellit. Hæc ille. Disputando de fide in Christum, de qua hoc loco Paulus loquitur, dicens se *testificatum esse pœnitentiam in Deum, & fidem in Christum*, de qua etiam Caluinus hîc loquitur, adeoque non nisi specialem fidem in Christi promissiones intelligens, tota pœnitentia talem fidē præcedit. Ad talem quippe fidem in Mediatorem Christū vt homines increduli tam Iudæi quàm Gentiles inducerentur; tū Ioannes Baptista, tum Christus ipse, tum Petrus in suis concionibus, tum Paulus (vt hoc loco testatur) pœnitentiæ doctrinam præmiserunt, & ad totam ac plenam pœnitentiam, *digna videlicet pœnitentiæ opera, & fructus eius dignos*, diligenter hortati sunt: *Agite pœnitentiam: appropinquat enim regnum cœlorum: Facite fructus dignos pœnitentiæ: Pœnitemini, & credite Euangelio: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm: Iudæis & Gentibus annũciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterẽtur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Sic ante fidem in Christo capessendam ante eius professionem, aut vllum ex ea fructum percipiendum, tota pœnitentia est necessaria. Verum nihilominus est, quòd non omnem fidem præcedit pœnitentia, sed pars pœnitentiæ ex fide emanet, eiusq; sit effectus. Aliqua quippe in Deum fide opus est, vt de offenso per

Pœnitentia quãdo præcedit fidem.

Matt. 3. Marc. 1.

Act. 2. Act 26. 20

peccatum Deo pœnitentia agatur. Metu iræ Dei (in quo pœnitentiæ initium, & præparationem ad fidem ponit Caluinus) serio tangi non potest, qui Deum esse non credit: sed ipsa in Christum fide ad pœnitentiam primam agendam, & primam ad Deũ conuersionem faciendam, opus non esse, Scripturæ loca iam citata probant, & Paulus hoc loco satis ostendit, ponens primo loco pœnitentiam ad Deum, & posteriori loco eidem (non quamlibet, sed) *in Dominum nostrum Iesum Christum*. Cæterùm propterea ordini à Paulo posito contradicit, &, quòd fidem in Christum tota pœnitentia præcedat, negat Caluinus; quia, vt alijs in locis docet, *pœnitentiam ex ipsa fide in Christum nasci, nec quenquam pœnitere posse, nisi qui iam ex fide filium se Dei esse certò persuadeat*; denique totam Christiani hominis vitam semper impuri, semper immundi, semper Dei legem transgredientis; non nisi pœnitentiam ab se confictam esse, improbus & nefarius impostor vult. Quod totum alio in loco tum ex ipsius verbis ostendimus, tum prolixè refutauimus, vt ea hîc repetere opus non sit. Vide [a] Promptuarij nostri Catholici partem Quadragesimalem, & [b] Antidota Euangelica.

Inst. lib. 1. cap. 3. n. 1.

a. Sabbato heb. 2.
b. Ad Marc. cap 1. ver. 15.

26. Qua-

26. *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.*

AD hunc locum Caluinus egregias sibi virgas colligauit, quibus vsque ad sanguinem semetipsum cecîdit. Dum enim de veri Pastoris officio sanctè cõcionari, & speciosi hypocritæ partes agere voluit, vt tandẽ in Catholicos excurrat; quantus ipsemet lupus fuerit, quãq; in eũ propriè vitia illa cadant omnia, quæ à veris Pastoribus rectissimè remouet, nobis hoc loco aperiendi pulchram occasionem dedit. *Cõtinet* (inquit) *hic locus breuem summam ritè probeq; docendi; & doctores ipsos vehementi seueraque sanctione hortatur, vt in suum munus gnauiter incumbant.* Quænam igitur tenẽda est Pastoribus docendi ratio? Audiamus nunc Pontificem Caluinũ quomodo suos Pastores instruat. *Primùm* (inquit) *non suo arbitrio æstiment, quid proferre in medium, & quid omittere vtile sit, sed vni Deo arbitrium eius rei deferant. Ita humanis commentis non patebit in Ecclesiam Dei ingressus.* Hoc primum si Caluinus obseruasset, suum proprium iudicium in Scripturis exponendis contra omnium veterum Patrum consensum toties & tam arroganter non extulisset. Huiusmodi in eo voces non legeremus: *Scio aliis aliter interpretari, sed ego hunc esse germanum sensum iudico.* Rursum: *Neque satis solida est aliorum argutia, &c. Nam meo iudicio, &c.*

Caluinus suas proprias nequitias designat.

1. quòd ex suo arbitrio doctrinam æstimet.

In Ioan. cap. 3. v. 5. In Matth. c. 24. v. 28.

In Marc. cap 1.v.4. *cior*, &c. Et iterũ: *Neminem perturbet quòd Ioannis baptiſmum à Chriſti diſcernere veteres Patres contendunt: quorum non tanti nobis debet eſſe calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciat.* Moxque luculentum diuinæ Scripturæ mendacium affingit. Vide noſtra Antidota Euangelica locis in margine deſignatis. Sed & ad-

In Ioan. c. 11.v.33. huc alibi: *Abſurdum* (inquit) *quibuſdam videtur ſi Chriſtum dicamus*, &c. *& in hanc ſententiam Auguſtinus ab Euangeliſta dictum putat*, &c. *Atqui meo iudicio magis conſentanea erit*, &c. Rurſum apertiſsimas contra Arianos Scripturas ex hoc ſuo iudicio impiè admodum

In Ioan. cap. 5. & 6 & 14. labefactat. *Abuſi* (inquit) *ſunt hoc loco Veteres, vt probarent Chriſtum eſſe Patri conſubſtantialem.* Et de alio loco: *Quàm dura ſit & coacta Veterum expoſitio, nemo non videt.* Iterum de alio loco: *Perperam hunc locum Veteres ad diuinam Chriſti eſſentiam referunt.* Rurſum de alio ad eandem rem loco: *Nec recta nec conſentanea fuit Patrum ſolutio.* Vide hæc quatuor loca in Antidotis Euangelicis ſimul contra Caluinum tractata ad Ioann. cap. 10. ver. 30. Multa huiuſmodi arrogantiæ Caluinianæ exẽpla in Antidotis noſtris cõſpiciẽtur. Sed hæc pauca inſtar multorũ eſſe poſſunt. Sic ille *ex proprio iudicio æſtimare voluit quid in mediũ proferret, quid omitteret. Vni Deo* qui per Eccleſiã ſuã, id eſt, Eccleſiæ Præpoſitos, Patres, Doctores, Paſtores loquitur, *arbitriũ deferre* Caluin. renuit. Ita inumeris hodie hæreſibus, verè humanis

manis cõmentis, vel Satanicis potiùs (cùm *Satanæ Ministri hæretici* sint) patuit in Eccle- 1. Cor. 11.
siam Dei latissimus & miserabilis ingressus.

Alias nunc boni Pastoris notas ex Caluino audiamus: *Deinde non sumet sibi mortalis homo lacerãdæ vel mutilandæ Scripturæ audaciam, vt hoc vel illud, quoad visum fuerit, delibet, quædam obscuret, multa supprimat: sed quicquid in Scripturis patefactum est, licet prudenter & tempestiuè pro ædificatione populi, simpliciter tamen & sine fuco tradat, vt decet fidum & ingenuum Dei interpretem.* Hæc rursum ille. Atqui lacerandæ & mutilandæ Scripturæ artificem vel audacem magis vel callidiorem vno Caluino mortalem quenquã difficulter reperiri posse, hæc nostra tam multa contra fœdissimas eius diuinæ Scripturæ corruptelas Antidota cuilibet lectori, nisi qui Caluinistam se magis quàm Christianum profitetur, ad oculum patefacere ac demonstrare potuerunt: demonstrabunt adhuc magis quæ in vnam ad Rom. epistolã iam collecta pariter cum hisce prodibunt. Sanè huius rei exempla proferre, nihil penè esset aliud quàm omnia iam dicta repetere, & easdem veluti lineas relegere. Quod autem in particulari notat, *ne hoc vel illud, quoad visum fuerit, delibet; quædam obscuret, multa supprimat* diuini verbi tractator, in eo particulari quàm nequiter se Caluinus gesserit, paucis exemplis lectorem commonebo. Christi verba Ioann. 15.

2. quòd Scripturã lacerat ac mutilat.

3. quod ei visum est, delibat; quod ei aduersatur, supprimit.

Inſt.lib.2. cap.3 n.9. *Ego ſum vitis, vos palmites*, ad longum recitans pertractãs, atque peruertens, vt id commodiùs faciat, verba in medio poſita, & quæ eius deprauationi apertè refragabantur (*Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*) homo improbus penitus reſecat, diſſimulat, tacet; quantum ipſi viſum fuerit delibans, reliqua ſuppreſsit. Hunc eius dolum malum in Antidotis noſtris Euangelicis patefecimus. Simili arte tractans in Harmonia ſua Cœnæ Dominicæ totam hiſtoriam à tribus Euangeliſtis deſcriptam, illa Chriſti verba admodum illuſtria, *Hoc facite in meã commemorationem*, nefarius impoſtor penitus intacta prætermiſit: quod in Antidotis noſtris obſeruatum habes. Eodem dolo malo vſus, ambulationem Petri ſuper aquas tractans, vt eum ſtultæ temeritatis arguat, illa hiſtoriæ verba, *Videns enim ventum validum, timuit*, quæ poſterioris timiditatis cauſam exprimunt, alto ſilentio aſtutè inuoluit. In epiſtolam ad Romanos hac ſua arte ſatis frequenter vtitur. Ad Rom. 6. vt illa Apoſtoli verba, *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, peſtilentiùs corrumpat, verba proximè præcedentia (quorum iſta cauſam reddũt, ideoque ſenſum commonſtrant) impoſtor egregius penitus reſecat, diſſimulat, tacet. Ad Rom. 7. in illa ſententia, *Peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit*, homo nefarius ſuis corruptelis gnauiter inſiſtens,

Ad Ioan. c.15.v.5.

In Matth. cap.26. pag.361.

In Matth. c.14.v.28. pag.130.

In comm. ad Rom. 6. ver.14.

In com. ad Rom. 7.ver.11.

insistens, nec *occasionem per mandatum acceptam*, qualis fuerit, vno verbo enarrat; nec quomodo peccatum, *occasione accepta per mandatum*, hominem legi rebellem *occidit*, vno verbo attingit; sed vtriusq; explicatione alto silētio inuoluta, in solo verbo, *Seduxit me*, aliquantulum ludens, seductorem agit strenuum. In eodem capite ad illa Apostoli verba, *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: non enim quod volo bonum, hoc facio*, hoc postremum membrum, quod præcedentium rationem reddit, & Caluini sensum manifestè refutabat, egregius impostor penitus intacta & indiscussa reliquit. Moxque in proximo Apostoli versiculo, *Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū*; quia hæc sententia ad totam illic Caluini corruptelam subuertēdam perspicuè & efficaciter faciebat, tum eam totā leuissimè attigit, tum postremum eius membrum, in quo vis sententiæ posita erat, penitus intactum prætermisit. Eadem arte in hoc commentario vsus, vt Ephesios Christi baptismo baptizatos non nisi vnicum Ioannis baptismum accepisse suaderet, verba illa Lucæ, *In nomine Domini Iesu*, quæ Christi baptismum proprium designabant, penitus dissimulauit, & intacta reliquit. Hæc pauca pro multis exempla sunt artis Caluinianæ, qua veluti verus impostor, nō Pastor, diuinæ Scripturæ lacerandæ ac mutilandæ

Ibidē ver. 18. & 19.

Ver. 20.

Supra cap. 19. ver. 5.

tilandæ audaciam sibi sumens, *quod illi visum fuerit, delibauit; quædam obscurans, multa supprimens.*

Audiamus adhuc in Caluino reliqua ad hanc rem quæ pertinēt. *Prudentiam* (inquit) *adhibendam esse dixi, quia spectanda est semper vtilitas, modò absit vafricies: in qua multi sibi nimis placent, dum ad suas methodos inflectunt verbum Dei, & philosophiam nescio quam ex Euangelio & suis figmentis mixtam nobis fabricant: quia scilicet magis plausibilis est hæc mixtura.* Hic iterum Caluinus suas ipsius artes, in quibus sibi nimis placuit, in memoriam reducit: vafriciem suam, qua maximè delectatus videtur, vt hîc recordemur facit; qua ad suam sententiam Dei verbum artificiosè deflexit: quia spectanda videl. semper erat vtilitas; quæ ipsius hæresibus commodo & adiumento esse poterant, prætermittenda non erant. Notemus huius vafriciei exempla aliquot, qua ad suam sentētiam Dei verbum ita inflexit, vt Scripturæ verbis callidè immutatis, suaque molliter ingerens, profanam certè philosophiam ex Euangelio & suis figmentis mixtam nobis fabricauit: quia scil. suæ sectæ hominibus, ea quæ carnis sunt egregiè sapientibus, plausibilis erat hæc mixtura. Vbi Christus in Euangelio identidem vrget, & multis verbis prædicat, *Voluntatem Patris sui facere*, vafer Caluinus, *vt ad suā methodum Dei verbum inflectat*, id nihil aliud esse

4. vafricie sua verbum Dei ad sua placita deflexit.

Scripturæ verbis molliter immutatis, ad suā sententiā Dei verba inflexit Caluinus

esse vult quàm *credere in Christum*, & vnius fidei commendationem. Qui hoc de Caluino non credit, nostra in Matthæum Antidota videat. Rursum, vbi Christus iterum atque iterum discipulis suis mandat, *vt seruent præcepta eius*, & faciant quæ ille præcepit eis, transfert hoc totum Caluinus, sua vafricie vsus, *ad studium seruandi*, etiamsi ea non seruet: quod vide latiùs explicatum in Antidotis nostris Euangelicis super D. Ioannem. Quod Apostolus dicit; *Deum fuisse in Christo, vt mundum sibi reconciliaret, non reputans illis peccata ipsorum*; hoc artificiosè Caluinus ita recitat: *Deus fuit in Christo, vt homines iustificaret, modum simul exprimens, non imputãdo illis peccata.* Atqui quanta hæc vafricies fuerit, & quàm latiùs pateat iustificatio quàm reconciliatio, vide explicatum in Antidotis nostris in epist. ad Rom. Eodem artificio *dilectionem Dei diffusam in cordibus nostris*, transfert *in notitiam ac reuelationem dilectionis Dei erga nos.* Rursum *ambulare secundùm spiritum*, transfert *in pœnitentiam fidei adiunctam.* Iterum *facta carnis mortificanda*, transfert *ad ipsius carnis interitum, eumque exactum.* Quæ eius vaferrimæ defle-xiones quantum veritati Euangelicæ præiudicium afferãt, quàm prophanam mixturam faciant, vide in Antidotis nostris in epist. ad Rom. latè explicatum. In hac vafricie mirè sibi Caluinus placuit, vt egregius ac celebris haberetur impostor.

In Matth. cap. 7. ver. 21. & in cap. 12. ver. 50.

In Ioann. cap. 15. v. 10. & 14.

In Matth. cap. 6. ver. 24. 2. Cor. 5.

In cap. 3. ver. 21.

In cap. 5. ver. 5.

In c. 8. v. 3. & v. 13.

Vide

Vide tamen, Lector, quale præcedentibus corollarium induxit. *Inde* (inquit) *nobis liberum arbitrium, inde operum merita, inde prouidentiæ & gratuitæ electionis Dei abnegatio.* Hæc ille: pro eo quod dicere debuit, si vera dicere voluit; *Inde nobis iustitia imputatiua, inde fides specialis, inde certitudo gratiæ, inde vnica electorum fides, inde sola iustificans fides, inde bonorum operum abnegatio, mãdatorum Dei impossibilitas, alegis vinculo libertas; inde Sacramentorum corrupta doctrina, canales, metonymiæ, tropi sine fine, baptismi euacuatio, pœnitentiæ extinctio; inde ordinis in Ecclesia confusio, Consistorialis disciplina, ipsa Ecclesiæ Catholicæ nefaria desertio, accusatio infanda, & extrema proculcatio.* Ex diuini verbi vafris corruptelis hæc nouarum opinionum portenta, somnia, figmenta, nata sunt. Doctrina liberi arbitrij, & de meritis operum, tam antiqua est quàm Christiani nominis professio, & in Scripturis passim commendata. Diuinæ prouidentiæ & gratuitæ electionis nulla apud Catholicos abnegatio, sed vtriusque per Caluinũ execrãda corruptio, qui ex illis capitibus, *Deum esse peccati authorem, hominesque ad interitum creasse*, soloque beneplacito suo ab æterno ad interitum destinasse, execrabiliter docet: de quo in epist. ad Cap. 9. Romanos dicendum nobis erit. Hæc vt hoc loco diceremus, fœda Caluini hypocrisis Psal. 9. & 7 nos compulit. *Comprehensus est peccator in consilijs quibus cogitat: Incidit in foueam quam fecit.*

28. At-

28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

PRæpositorum Ecclesiæ tum officium, tum acceptam à Deo potestatem, luculenter hic locus demonstrat. Ad officium quod attinet, duplex Apostolus ponit: primùm, vt sibi ac vitæ suæ puritati, *ne vituperetur ministerium ipsorum*; deinde, vt gregi sibi commisso non ex parte sed vniuerso attendant; curam & operam diligenter impendant. Ad acceptam à Deo potestatem quod attinet, in memoriam illis reuocat, *ab ipso Spiritu S. positos illos esse, vt regant Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: vbi ex tribus circumstantijs potestatis magnitudinem demonstrat; ab authore, ab onere iuncto, ab oneris ipsius dignitate & excellentia. Author Spiritus S. est, quia non humana sed diuina institutio est, vt aliqui in Ecclesia alijs præficiantur; nec humanam sed diuinam potestatem exercent, qui ad hoc opus assumuntur; nec denique humanis sed diuinis præsidijs nituntur, spirituali gratia imbuuntur, certo Sacramento initiantur, qui ad hanc præfecturam vocantur. Onus iniunctum est, *regere Ecclesiam Dei*. Verbum ποιμαίνειν, quo Paulus vtitur, tam regere quàm pascere significat, quo verbo Beza vti maluit;

Præpositorũ Ecclesiæ officiũ & potestas 2. Cor. 6. 3

Potestatis magnitudo ex triplici capite.

maluit; quum regendi verbum Caluinus hic retineat. Sanè pascere non potest vtiliter, qui cum aliqua authoritate nō pascit. Eam verò tantam esse Christus voluit, vt futuris Pastoribus dixerit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Oneris iniuncti dignitas in eo efficaciter exprimitur, quòd pascēdi ac regendi cōmittuntur non quilibet homines, sed Deo chari ac dilecti; atque ita dilecti, vt pro eis acquirendis sanguinē suum Dei Filius homo factus fuerit: quasi dicat, Non serui aut mancipia Domini, sed ipsi filijfamilias, & quidem quos sibi Paterfamilias maximo sudore comparauit, vestræ curæ & gubernationi committuntur. Et quidem horum pleraque agnoscit hoc loco Caluinus, sed ita, vt aliquo suo toxico aspergendo abstinere non potuerit. *Hoc* (inquit) *peculiariter Spiritui Paulus tribuit, per quem Deus Ecclesiam suam gubernat, & qui diuinæ vocationis arcanus vnicuique testis est in sua conscientia.* In his postremis verbis pestiferum latet venenum, illos in Ecclesia Christi à Spiritu S. ad eam pascendam ac regendam constitui, illos Pastores ac Episcopos habendos esse, qui tametsi ab hominibus non mittantur, *suæ tamen diuinæ vocationis*, id est, quòd à solo Deo vocati fuerint, *arcanum habent in sua conscientia diuini Spiritus testimonium.* Hoc suum figmentū pestilēs paulò apertiùs suprà* aperuit Calu. vbi & illud certa ratione iugulauimus.

Luc. 10.

Vocationis ad Ecclesiæ gubernationem arcanum testimoniū, Caluini mysteriū.

* Sup. ad caput 13. ver. 2. *Segregate mihi Paulum*, &c.

ulmus. Mystica enim hæc est ipsius Caluini, Vireti, Farelli, & imaginaria vocatio, quæ fulti Geneuæ se Apostolos conscripserunt. Eius refutationem videre lector, si volet, potest hoc loco hîc notato.

Sed simplici hoc vulnere non contentus, ex alio adhuc latere latrat ac mordet hic canis. *De voce* (inquit) *Episcopi breuiter hoc notandum est, omnes Ephesinos Presbyteros indifferenter à Paulo sic vocari: vnde colligimus, secundùm Scripturæ vsum nihil à Presbyteris differre Episcopos; sed vitio & corruptela factum esse, vt qui primas tenebant in singulis ciuitatibus, Episcopi vocari cœperint.* Collectio hæc futilis, & crimen obiectum vanum atque insulsum est. Ex hoc Pauli sermone colligi quidem potest, Episcopi & Presbyteri vocabulum, quum hæc Paulus loqueretur, adhuc promiscuè vsurpatum fuisse, quod & Theodoretus in priorem ad Timotheum, & Ambrosius in epistolam ad Ephesios, & maximè Hieronymus in Epist. ad Euagrium annotarunt: ipso tamen Apostolorum tempore Episcopos à Presbyteris nihil differre, nullum potestatis discrimen fuisse, ex hoc loco colligi non potest. Et ipsos quidem *maiores natu seu Presbyteros Ephesinos positos fuisse Episcopos* seu speculatores in grege dominico, affirmat hîc Paulus, quia speculandi & superintendendi officium tam Pastori parocho, quàm multarum ciuitatum Episcopo incumbit, sed propriè

In Com. ad Tim. 3. & ad Ephes. 4.

dictos Episcopos illos fuisse, quorũ quisq; in aliqua ciuitate primas teneret (vt Presbyterum Episcopum Caluinus hîc describit, nec Paulus aut Lucas affirmat, nec verò affine est, quum vnius ciuitatis Ephesi Presbyteri hi essent: quibus vnus propriè Episcopus etsi eo fortè tempore nõ præfuit, Paulo ipso Asiaticas Ecclesias adhuc peragrante; poterat tamen & D. Ioannem, & B. Timotheum, illi ciuitati toti veluti Episcopos præfuisse, quibus Presbyteri vt capiti suo subessent, (vnde ad Timotheum Paulus: *Aduersus Presbyterum, nisi sub duobus aut tribus testibus, accusationem non recipias*) omnes Historiæ Ecclesiasticæ luculenter attestantur. Crimen obiectum insulsum ac putidum est; non enim vitio aliquo aut corruptela, sed *ex necessaria schismatis vitandi*, pacis & ordinis conseruandi *causa, toto orbe decretũ est* (ait [a]B. Hieronymus) *vt inter Presbyteros vnus eligeretur, qui cæteris præesset*; qui vel summus Sacerdos, vel *ex Ecclesiæ vsu* (ait [b]B. Augustinus) Episcopus diceretur, quem *supra omnes principatum habere* scribit [c]Ignatius, qualem *in singulis maioribus ciuitatibus Apostoli ipsi constituerunt*, ait [d]S. Irenæus, quem προεστῶτα vocat [e]Iustinus Martyr, Antistitem cæteris prælatum, *præpositum Ecclesiarum* vocat [f]Cyprianus, & frequenter D. Augustinus, Pontificem seu ἱεραρχον vocat [h]Dionysius Areopagita. Sed hos omnes Patres, atque omnia totius Christiani orbis Conci-

Episcopi à Presbytero distinctio.

1. Tim. 5. 19.

a In Ep. ad Euagriũ.

b Epist. 19

c Epist. ad Trall.

d Lib. 4. c. 43. & 63.

e Apologia 2.

f Lib. 4. epist. 9.

g De ciuitat. Dei lib 20. c. 9

h Eccles. Hierarch.

Concilia, in quibus soli Episcopi, non simplices Presbyteri, considebant, suffragia ferebant, iudicabãt, *vitio & corruptela laborasse*, vnus Aristarchus, censor, & dictator perpetuus, Caluinus affirmat. At quid ita, bone Caluine? *Vitium* (inquit) *dico, non quòd vnum aliquem in singulis collegijs eminere malum sit, sed quia hæc audacia minimè tolerabilis est, dum homines Scripturæ nomina ad suum morem flectẽdo Spiritus S. linguam mutare non dubitant.* Habemus grauissimi Censoris dictatoriam sententiam. Minimè tolerabilis est audacia, Spiritus S. linguam mutare. At quis eam mutat? *Illi* (inquit Caluinus) *qui Episcopos illos vocant, qui in singulis ciuitatibus primas tenent.* Hoc enim vitium & corruptelam vocat. Quomodo ergo vocari debent authore Caluino? *Presbyteri ac Seniores.* Atqui eosdem *Episcopos* vocat Scriptura, vt hoc loco Paulus, & iterum ad Philip. 1. vbi salutat Paulus *omnes Episcopos & Diaconos qui erant Philippis.* Tales igitur si Episcopi hodie vocantur, Spiritus S. lingua non mutatur, sed seruatur. Ita hæc terribilis dictatoris nostri sententia in fumos euanuit.

Caluinã ridicula accusatio.

Sed illud fortè Caluinum malè habuit, non quòd qui primas tenent in ciuitatibus, Episcopi vocantur, sed quòd ipse Caluinus in nulla adhuc ciuitate primas teneret, aut certè primas tenens Episcopalem tamen dignitatẽ & eius dignitatis possessiones amplas

Episcopi vocabãtur Caluinus non ferens, possessiones ambiuit.

plas assequutus non erat. De hoc enim apud suũ Farellum & Viretum grauiter conqueritur Caluinus. *Dominus* (inquit) *iam videt dat, quantum præcipiti iudicio vehementiáque inconsulta abijciendi ita Pontificis nocuerimus.* Alioqui à primatu Episcopali non abhorret Caluinus, sed *in singulis collegijs*, vt loquitur, (qui id iam Geneuæ obtinuerat) non in singulis ciuitatibus, quod obtinere se posse desperabat. Collegia quippe quæ Caluinus hic intelligit, non sunt collegia Presbyterorum, qualia antiquitas meminit, quę ex solis Presbyteris seu Sacerdotibus constabant, è quibus ipse Episcopus non erat, sed toti collegio præerat; qui Episcopo à cõsilijs erant, quoties eorum consilio & consessu vti voluit aut oportuit; sed sunt nouo vocabulo *Consistoria Seniorum*, ex cerebro Caluini Geneuæ nata circa annum Domini 1541. tam ex laicis (idque maiori numero, quum ser Ministri, duodecim ciues Consistorium Geneuẽse constituãt) quàm ex Ministris coagmentata; monstrum absurdum, infame, ingens, seditionum Gallicarum flabellum ac fomentum, non solùm ab Ecclesia Catholica, vt prophana nouitas, reiectum, damnatum, anathematizatũ, sed ab alijs Nouatoribus & sectarijs egregiè exagitatũ; à Zanchio contra Caluinum, ab Erasto cõtra Bezam, à Petro Ramo contra vtrumque, qui illud *Talmud Sabaudicum* nuncupans, acerrimè con-

Inter ep. Calu. ep. 6 & 66.

Collegia Seniorum Caluiniana.

Consistorium Geneuense.

mè contrà inuehitur; ab Ecclesijs omnibus Germanicis & Helueticis, & hodie Anglicana, procacissimè repudiatum: lacerantibus illud, scriptisque publicis condemnantibus, in locis cõmunibus Musculo; in commẽtarijs ad Paulum* Gualtero; in defensione contra Puritanos, huius Consistorij Caluiniani Zelatores, Ioãne VVithgift, Cãtuarensi nunc pseudoarchiepiscopo. Sanè nec Germani Lutherani, nec Heluetici Zuingliani, nec Anglocaluinistæ Spiritus S. linguã se mutasse existimãt, qui omnes (Consistorio Caluiniano & Collegio reiecto) vel Superintendentibus Episcoporum loca tenentibus, vel Magistratui loci Euangelico, vel ipso retento Ecclesiæ vocabulo, Episcopis & Archiepiscopis (in sola Anglia schismatica) in vnaquaque ciuitate maiore primas partes tribuunt. Cæterùm Caluinus ipse, qui Geneuæ, aut in Gallicanis suis Ecclesijs (vt sese nuncupant) reformatis, aut Scotia, qui ad normã Geneuensem in 50. Cõsistoria suas nouellas Ecclesias distribuerũt, nullum Episcopum agnoscì patitur, sed Pastori primum locum tribuit, nónne Spiritus S. linguam vel maximè mutare deprehenditur? Paulus quippe Episcopi officium prolixè tractat: quod vt cuilibet Pastori conueniat, Episcopo tamen maximè conuenire dubitari non potest. Cur quem Paulus Episcopum describit, non nisi Pastorem

In cap. de Magistratibus.
*In com. 1. Cor. 5.
Ad Timoth. & ad Titum.

agnoſcit Caluinus? Sed homo audax omnia ſibi fabricandi & inuertendi poteſtatem permittit: Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos habuit (vt nuper annotauimus) vocabulorum, quæ aliquãdo promiſcua fuerunt, certam & fixam conſtitutionem non permittit.

CAP. XXII.

14. *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius.*

DVplicẽ hoc loco cauillandi anſam Caluinus arripuit. Primam hoc modo inſtituit. *Paulus* (inquit) *ab Anania his verbis admonetur, ſe à Deo reſpectum, quo tempore vagus & à ſua ſalute prorſus auerſus erat. Atque ita Dei prædeſtinatio omnes præparationes abolet, quas Sophiſtæ imaginantur, quaſi libero ſuo arbitrio homo anteuerteret Dei gratiam.* Cauillator putidus Catholicorum ſententiam (quos more ſuo Sophiſtas appellitat) aut craſsè ac turpiter ignorauit, aut cauteriata cõſcientia calumniatur. Præparationes ad primam gratiam ſeu remiſsionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, quas Catholici Doctores in adultis impijs ad Deum conuerti volentibus iuxta Scripturas ſtatuunt, adeò Dei gratiam non anteuertunt, vt nõ niſi ex præueniente Dei gratia, eaque ſpeciali, naſcantur:

Præparationes ad primã gratiam omnem Dei gratiam non anteuertunt.

tur: quando alia quæcumque aut pœnitentiæ aut dilectionis opera purè moralia præparationum vim habere penitus negentur. Sed non distinguit vel cæcus vel maleuolus hæreticus inter adiutorium gratiæ quemlibet peccatorem præueniens vt pœniteat, vt Deum inuocet, veniamque peccatorum & reconciliationem cum Deo suppliciter quærat, (quod fecit ille Publicanus dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori*) & inter gratiam iustificantem, qua mediante pœnitentia & inuocatione impius de facto iustificatur, Deo reconciliatur, ex filio iræ filius Dei constituitur, sicut de eodem Publicano dictum est: *Abijt iustificatus in domum suam.* Dei autem prædestinatio etsi totũ hoc præueniat, (nam & hunc Publicanum Deus Patrum nostrorum præordinauerat vt iustificaretur) tamen sicuti ipsam iustificãtem gratiam in tempore conferendam non abolet *(quos enim prædestinauit, hos & iustificauit)* sic neque præparationes abolet ad primã iustificationem consequendam necessarias, dicente Scriptura: *Conuertimini vnusquisque à via sua pessima. Conuertimini ad Dominum in ieiunio, fletu, & planctu. Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet.* Quid aliud omnes istæ Scripturæ, aliæque multæ in Prophetis consimiles, quàm præparationes

Luc. 18.

Prædestinatio præparationes nostras non abolet.

Rom. 8.

Ierem. 35. Ioel. 2. Zachar. 1. Ezech. 18

nes necessarias sonant, ad reconciliationem cum Deo primamque iustificationem consequendam? In quibus si nullæ essent liberi arbitrij partes, non sic homines Scripturæ conuenirent, vt sapienter colligit S. August. Lib. de grat. & libero arbit. Sed ab altera parte, si nullæ essent gratiæ partes, liberator & mediator noster non dixisset, *Sine me nihil potestis facere*. Ioan. 15. Denique idcirco hæc omnia prædestinatio non abolet, quia prædestinationis effectus non solùm ipsam gratiam iustificãtem & gloriam finalem, verùm etiam omnia ad vtramque adipiscendam media suo ambitu complectitur. Sed hæc tantus Aristarchus & Censor aut crassè ignorauit, aut improbè dissimulans cauillationi locum dare voluit.

Alteram cauillationem non minùs indignam his verbis adornat: *Deum Patrum nostrorum vocando cõfirmat Paulus se non esse transfugam à Deo Abrahæ, & qui iam olim apud Iudæos cultus fuerat, sed manere in veteri & patrio cultu quem ex lege didicerat. Quare, vbi de religione agitur, discamus Pauli exemplo non imaginari nouum quempiam Deum (vt fecerũt Papistæ & Mahometistæ, atque vt hæretici omnes solent) sed retineamus Deum illum qui se Patribus olim tum lege tum variis oraculis patefecit. Hæc est vetustas in qua nobis manendum est, non qua frustra superbiunt Papistæ, qui nouitium sibi Deum fabricarunt, cùm à legitimis Patribus desciuerint.* Quid hac eius cauillatione stolidius aut impudentius? Quid stolidius

dius dici potuit, quàm vetustatem, in qua nobis manendum est, à veteris Testamenti Patribus, quibus Deus tum lege tum varijs oraculis se patefecit, ducendam esse? Itáne verò post 1500. annos quo Christi Euāgelium toto orbe propagatū & ad nostra vsq; tempora deductum est, nulla alia vetustas dari potest, in qua manendum nobis sit, *vt Deum Patrum nostrorum colamus?* An Deum Patrum nostrorum colimus, si *in veteri illo & patrio cultu, quem ex lege Paulus didicerat*, Pauli exemplo manemus? An alium cultum ex Euangelio Christi Ecclesia non didicit, accepit, tenuit, quàm quē ex veteri lege Paulus accepit? Aut si alium cultum Christi Ecclesia accepit, alios Pastores, Doctores, noui Testamenti Ministros, alios Ecclesiarum toto orbe Præpositos, Episcopos, Patres, alia Sacramenta, alios ritus, aliam politiam, quàm aut cæcus aut sceleratus Caluinus est, qui non in hac, de qua nos non frustra superbimus (vt garrit Caluinus) sed rectissimè gloriamur, vt filij Ecclesiæ Christianæ, & membra corporis Christi, quod est Ecclesia; sed in illa Iudaica vetustate manendum nobis affirmat, *vt Deum Patrum nostrorū colamus!* Sed homo nefarius ab Ecclesia Christi, totoque cultu qui olim apud Christianos fuerat, verus transfuga, hac phrasi Paulina perstrictum se sentiens, cauteriata conscientia, vt suum vlcus vel celaret vel leuaret, contra

Christianæ religionis vetustas à veteris testamenti Patribus non est petenda.

ipsam Ecclesiæ Christianæ vetustatem præscribendum censuit, & illa legali vetustate se suosque erigendos putauit. Hæc huius tam stolidæ cauillationis causa in Caluino fuisse mihi videtur. Quia antiquitas Ecclesiastica tota Caluino aduersatur, Iudaicam ambit. Alioqui cur tãtę impudẽtię & stolidtati cõcesserit, difficile arbitror cõijci posse.

Caluini mendaciũ meretricia fronte effusum.

Porrò quid impudentius vel fingi potuit, quàm sicut Mahometistas, & quoslibet hæreticos, sic etiam Papistas nouũ quempiam imaginari Deum? De Mahometistis clarum est, eorũ nouum Prophetam ac Deum esse Mahometẽ. De quolibet hæretico non secus verum est, iuxta noua quæ tenet dogmata, nouum sibi Deum fabricare. Catholici verò vt nulla noua tenent dogmata, sed adeò ex antiquitate sua omnia accipiunt, tenent, possident, vt hanc ob causam ad antiquitatem Iudaicã eos reuocare conetur Caluinus, vt hoc solo nomine eos maximè insectetur, totaque vetustate neglecta, solis Scripturis, prout ipse dictabit intellectis, omne fidei dogma niti velit; ita aliquem nouum Deum comminisci, non nisi summa cum impudẽtia, planeque meretricia & effronti, qua insigniter pollet Caluinus, dici aut cogitari potest. Sed huiusmodi mendaciorum portentis aut delectatus fuit Caluinus, aut sectatores suos apprimè delectari sibi persuasit. Qui hæc nostra legegerint,

gerint, tam insanum obtrectatorem toto (ni fallor) pectore execrabuntur.

16. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.*

LOngam hîc de baptismi effectu disputationem instituit Caluinus, nouellis suis & hæreticis principijs diligenter insistens. Nos Catholicæ & antiquæ veritati pari diligentia insistentes, eam, quanto breuiùs fieri potest, examinabimus. Sic orditur: *Cùm addit Ananias verbo baptismi, Ablue peccata tua, hac locutione vim fructumque baptismi exprimit, ac si dixisset, Ablue peccata tua baptismo.* Rectè hoc totum & orthodoxè. *Sed quoniam* (inquit) *externo & corruptibili elemento plus tribui videtur quàm par est, quæritur an baptismus purgationis nostræ sit causa.* Bona & opportuna quæstio hæc est. Videamus quid respondeat. *Certè* (inquit) *quum sanguis Christi vnica sit à peccatis expiatio; & sicut semel in hunc finem effusus est, ita eius aspersione Spiritus S. per fidem nos assiduè mundet: non potest hic honor ad symbolum aquæ transferri sine Christi & Spiritus S. iniuria: atque experientia demonstrat quàm propensi sint ad hanc superstitionem homines.* Atqui vt omnis hîc caueatur superstitio, Christique sanguini ac Spiritui S. nulla fiat iniuria, solùm oportuit causarum varietatem aduertere, & inter eas distinguere: Christi videlicet sanguinem vnicam esse à peccatis expiationem in ge-

Baptismi efficacia defenditur.

Baptismi efficacia Christi sanguini non derogat.

in genere causæ meritoriæ, & medicamenti cuiusdam generalis; quũ adhuc ea superior causa & simpliciter principalis existat ipsa Dei misericordia & bonitas, qui Christum nobis dedit, vt per eius sanguinẽ peccata nostra expiarentur: Spiritũ S. verò assiduè mittantẽ corda nostra, non per fidẽ solã (de qua hîc sola Caluinus loquitur) sed maximè per præcipuum ac primarium donũ charitatem, quam *per Spiritum S. diffundi in cordibus nostris* Paulus affirmat, aliarũq; virtutũ dona, nostræ quotidianæ emundationis causam esse formalẽ, quia ex illis formaliter iusti sumus, credẽtes in Christum, diligentes Deũ, cæteraſque donorum Dei virtutes exequentes: baptismum denique (vt & cætera Sacramenta) causam esse instrumentalem & externam, mediante qua proprium cuiusque Sacramenti effectum Spiritus S. operatur. Hæc explicatio & superstitioni facilè medetur, & Christi beneficium & Spiritus S. operationem ab omni iniuria tuetur: maximè si addatur illa subalternorum regula, qua vt aliàs ita in hac ipsa causa Caluinus se iuuat: *Regula* (inquit) *vulgaris est, quæ subalterna sunt, nõ pugnare: ideoque nihil obstat quominùs gratuita sit hominum iustificatio, ex mera Dei misericordia; & simul interueniat Christi meritum, quod Dei misericordiæ subijcitur.* Et in hac ipsa causa hãc ille regulã luculenter explicat. *Ad eorũ* (inquit) *alterũ obiectũ, Dei gloriam ad creaturas de-*

Rom. 5.

Instit. lib. 2. cap. 17. num. 1.

Instit. lib. 4. cap. 14. num. 12.

ras deriuari, quibus tantum virtutis attribuitur, ſicque eatenus diminui (loquitur de proprio figmento, confirmationes fidei noſtræ eſſe Sacramenta) *reſpondere promptum eſt, nullam in creaturis virtutem à nobis reponi. Hoc dumtaxat dicimus, Deum mediis ac inſtrumentis quæ expedire ipſe proſpicit, vti: vt eius gloriæ omnia obſequantur, quando omnium ipſe Dominus eſt & arbiter. Ergo vt per panem cæteráque alimenta corpora noſtra paſcit, vt per ſolem mũdum illuminat, vt per ignem calefacit, nec tamen aut panis aut ſol aut ignis aliquid ſunt, niſi quatenus ſub ijs inſtrumentis ſuis benedictiones ſuas nobis diſpenſat; ita ſpiritualiter per Sacramenta fidem alit, quorum vnicum officium eſt, eius promiſſiones oculis noſtris ſpectandas ſubijcere, imò nobis earum eſſe pignora. Et vt noſtrum eſt in cæteris creaturis quæ Dei liberalitate & beneficentia vſibus noſtris deſtinatæ ſunt, quarumq; miniſterio bonitatis ſuæ munera nobis largitur, nihil fiduciæ defigere, nec quaſi boni noſtri cauſas admirari & prædicare, ita neque in Sacramentis hærere fiducia noſtra debet, nec Dei gloriam in ipſa transferri; ſed, omiſſis omnibus, ad ipſum & Sacramentorum & rerum omnium authorem ſurgere & fides & confeſſio debẽt.* Hæc Caluinus pro ſuo baptiſmi effectu imaginario, quem nulla Scriptura loquitur. Quæ omnia pro vero baptiſmi effectu, quem hoc loco alijſque in locis Scriptura loquitur, multo veriùs ac fortiùs valere debent; videlicet pro peccatorum ablutione. Dicit enim Ananias Paulo, *Baptizare, & ablue*

& ablue peccata tua. Non dicit illi, Baptizare, & cõfirma fidem tuam. Hac igitur (vt dixi) explicatione posita, quam à Catholicis Doctoribus acceptam ipse agnoscit Caluinus, verus baptismi effectus retinebitur, & Christi sanguini ac Spiritus S. operationi nulla iniuria irrogabitur. Pergamus nunc cũ Caluino. *Ideo* (inquit) *multi pij homines, ne fidem subijciant externo signo, vim baptismi nimis extenuant.* Hoc Zvvinglianos propriè tangit, & quosdam initiò Lutheranos, qui nihil aliud quàm *notam Christianismi* baptismum esse voluerunt; quos cum tam fœdo & execrabili errore pro pijs tamẽ hominibus bonus Caluinus habet. Nunc quomodo hunc errorem corrigat Caluinus, videamus. *Sed modus* (inquit) *tenendus est, vt Sacramenta cogantur in ordinem, ne obscurent Christi gloriam, & tamen non careant sua efficacia & vsu.* Hunc modum quomodo Caluinus teneat, videbimus. *Quare* (inquit) *hoc primo loco tenendum est, solum esse Deum qui nos à peccatis abluit: Filij sui sanguinem: vt autem efficax in nobis sit hæc ablutio, ipsum agere arcana virtute Spiritus. Ergo quum de remissione peccatorum agitur, non alius quærendus est eius author, quàm cælestis Pater; nõ alia materialis causa fingenda est, quàm Christi sanguis. Vbi verò ad formalem causam venitur, primas quidem tenet Spiritus S. sed accedit inferius organum, Euangelij prædicatio & baptismus ipse.* Vt prætermittam hoc loco totam Caluini de causarum generibus

ribus impropriam & stolidam locutionem, (alterius quippe loci illa disputatio est) vt quod de prædicatione quoque Euangelij infarsit, hoc similiter loco dimittam (quia & illa quoque tum alterius loci est, tum aliàs à nobis contra Caluinum pertractata est:) accipimus quod hoc loco concedit ac ponit, *pariter cum Christi sanguine & Spiritus Sancti operatione inferius organũ, secundarium instrumentum, baptismũ ipsum esse.* De quo etiam adhuc subiungit: *Etsi solus Deus agit intrinseca Spiritus sui virtute, id tamen nõ obstat quo minùs adhibeat suo arbitrio quæ congruere nouit instrumenta & media.* Aduerte nunc, lector, de peccatorum ablutione disputare Caluinum, cuius superiores quidé causas rectissimè ponit, Deũ ipsum, Christi sanguinẽ, Spiritus S. operationẽ, inferius autem organum, instrumentũ, & medium ipsum baptismum. Agnoscit ergo ablutionis peccatorum organum, instrumentum, ac medium, tametsi inferius, ipsum esse baptismum: & hic est *ille modus quem tenendum docere voluit, ne quicquam Dei gloriæ detrahatur.* Ab eo tamen modo, qui verus & orthodoxus est, quomodo paulatim ac sensim se subducat, vt propriũ suum figmentum callidè subintroducat, vide nunc & aduerte. Huncin modum pergit: *Non quòd quicquam vel ex Spiritu suo vel sanguine Christi detractum in elemento includat* (quo nihil est verius) *sed quia signum ipsum vult infirmitatis nostræ adminiculum esse.*

In Ioan. c. 20. v. 23.

Caluinus ex suis verbis refutatur.

Caluini artificium quo se à causa præsenti subducit.

esse. At nec tale adminiculum vlla Scriptura loquitur, nec de tali hactenus disputatũ est. De *ablutione & expiatione peccatorum*; cuius vnum medium, instrumentum, organũ, etsi inferius, ipsemet, Caluine, agnouisti, tum hîc Ananias Paulo loquebatur, tum tu hactenus disputasti. Quomodo nunc ad *infirmitatis nostræ adminiculum* subitò dilaberis? Cur id fecerit, statim aperit. *Quatenus ergo* (inquit) *fidem nostram adiuuat baptismus, vt remissionem peccatorum fides percipiat ex solo Christi sanguine, lauacrum animæ vocetur*. Vides quàm celeriter suum *Ergo* concluserit? Vides quòd baptismum *instrumentũ & organum* facit, non iam *ad peccatorum ablutionem*, (de qua hîc Lucæ verba loquuntur) sed *ad infirmæ fidei adminiculum*, (de quo nulla Scriptura loquitur) & ad fidem adiuuandam; vt illa hoc signo roborata & confirmata, remissionem peccatorum percipiat, non mediante baptismo, sed ex solo Christi sanguine? Cæterùm hoc, vt Caluini proprium figmentum, reijcimus. *Ablutionis peccatorum*, de qua Paulo Ananias loquebatur, organum, instrumentum, ac medium esse baptismum credimus.

Quid iam verò? An hæc Ananiæ verba eludere potest Caluinus? Omnino se id posse confidit. Sic enim subiungit: *Ita ablutio, cuius meminit Lucas, non causam designat, sed ad sensum Pauli refertur, qui symbolo accepto peccata sua expiasse melius cognouit*. Callidè & vafre.

Scripturæ diuinæ corruptelã vafra.

Sed

Sed nihil eum iuuabit vafricies. Ablutio *peccatorum* (quod posterius verbum Caluini in faucibus hæsit, ne illud efferret) non quidem causam baptismi, sed effectum eius designat. Hac enim locutione (aiebat nuper ipse Caluinus) *vim fructumque baptismi expressit, ac si dixisset, Ablue peccata tua baptismo.* Baptizãdi tamen, siue quòd baptizari Paulum Ananias hortatur, vera causa finalis erat, *vt peccata sua ablueret.* Dicẽs quippe, *Baptizare, & ablue peccata tua*, nihil aliud dixit quàm, *Baptizare, vt abluas peccata tua.* Sanè sicut D. Petrus Act. 2 compunctis Iudæis dixit: *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ita ablutio ac remissio peccatorum verè est causa finalis baptizandi, sicut ipsius ablutionis ac remissionis causa instrumentalis est ipse baptismus. Quòd illa verba, *Ablue peccata tua, ad sensum Pauli referri* Caluinus vult, ac si dixisset, Baptizare, vt cognoscas & sentias ex hoc symbolo ablata tibi esse peccata; non solùm puerile commentum, & à Scripturæ loquendi modo alienissimum est, sed & ipsimet Caluino repugnat, qui illa eadem verba superiùs dixit perinde valere ac si dixisset, *Ablue peccata tua baptismo*: vbi non ad aliquem Pauli sensum, notitiam, aut cognitionem, sed ad ipsum baptismum, veluti effectus ad causam suam, ablutio peccatorum refertur. *Abluere* enim *baptismo*, est per baptismum abluere, quod ipsa sexti casus cõ-

Caluiani corrupte la reiciũt.

ſtructio grãmatica euincit. Sic quippe contra Caluini impudẽtiſsimas ſtrophas preſsè agere cõpellimur. Nihil ergo eum hæcſtulta calliditas iuuat. Non ad Pauli ſenſum aut notitiam, ſed ad Pauli ſalutẽ ſpiritualem, ad Pauli peccata verè abluenda, baptiſmus Paulo ab Anania iniungitur.

Iam verò ex hac poſtrema tergiuerſatione baptiſmus nihil aliud quàm ſignum quoddã eſſe apparet, ad infirmitatis noſtræ adminiculum, videlicet vt viſo ſigno cognoſcat quiſque, firmiterque credat, remiſſa ſibi eſſe peccata. Caluinus, ne tam tenuiter de baptiſmo ſentire videatur, huic ſuſpicioni occurrendum ſibi exiſtimans, ita proſequitur: *Quamquam hoc ſimul notãdum eſt, non proponi in baptiſmo nudam figuram, ſed rei quoque exhibitionem ſimul eſſe annexam: quia nihil fallaciter Deus promittit, ſed verè complet, quod ſub figura ſignificat.* Caluinus inſtar leporis agitati, vt ab hoc textu feliciter ſe expediat, vbi viſus fructus baptiſmi (quem eius alia doctrina nõ ſuſtinet) tam clarè ac perſpicuè docetur, in varias ſe vias ac ſemitas flectit ac reflectit, varia diuerticula captat, & effugia quærit, nec tamẽ exitum, quem cupit, inuenit. Caſsibus eum noſtris facilè irretitum tenebimus. Et nunc quidem in aliam ſe orbitam flectens, non vult baptiſmum eſſe nudam figuram aut nudum ſignum ablutionis peccatorum. Sed cur ita? *Quia* (inquit) *rei exhibi-*

Caluinus inſtar leporis agitati varia diuerticula caſſo labore quærit.

Baptiſmũ eſſe nudã figuram verbo negat Caluinus, re fatetur.

tio simul est annexa. Atqui non de re baptismo simul annexa, sed de re per baptismum collata, de peccatorum (inquam) ablutione per baptismum veluti *per organum & instrumentum inferius* data & exhibita, ipsemet Caluinus disputauit, vt modum poneret quo nec Deo nec baptismo aliquid detraheretur. Hunc igitur modum semel à seipso positum dimittere non debet. Ad hunc modum, quem ipsemet cõstituit, in aliud nunc se latus vertentem ac fugitantem, iniecta manu reuocamus, nec ita elabi sinimus. Aut sibi constare debet, aut se in ipsis suis verbis captum esse profiteri eum oportet. Deinde, si nuda figura ideo baptismus non est, quia rei exhibitio est simul annexa, & ipsa peccatorum remissio, quã Deus baptizatis promittit, in baptismo exhibetur; ergo alia illa celeberrima Caluini doctrina iam funditus euertitur, quam pertinacissimè sustinet, paruulis Christianorum parentum baptizatis nullam in baptismo remissionem peccatorum dari, sed in vtero matrum sanctificatos esse, propter illud Dei verbum, *Ero Deus tibi & semini tuo (in quo,* inquit, *verbo continetur eorum salus)* ideoque, si contemptus & negligentia abfit, posse eos sine baptismo saluari. In istis eorum Christianorum paruulis quum nulla peccatorum ablutio datur (antea quippe illo Dei verbo abluti erant) profectò in illis nuda figura baptismus est, cui nulla rei exhibitio

Instituit. lib. 4 cap. 16. n. 5.

hibitio simul annexa est. Adulti quoque, si fidem ante baptismum habent, iuxta Caluinum nudam figuram accipiunt, sola fide priùs iustificati, & peccatorum remissionem consecuti. Ita hoc effugium fugienti Caluino obstructum est.

Nunc ad aliud se vertit: *Rursus tamen aduertendum, ne alligetur Dei gratia Sacramentis. Neque enim quicquam prodest externa baptismi administratio, nisi vbi ita Deo visum est.* Atquiper istud, effugium quod proximè dictum erat, refellitur; quod paulò priùs veluti absurdè reiectum est, stabilitur. Si enim non prodest externa baptismi administratio *nisi vbi ita Deo visum est*, profectò rei exhibitio baptismo simul annexa nō est *nisi vbi ita Deo visum est*; & fallaciter Deus promittet, *vbi ipse ita visum erit*: quod sub figuris significat, non verè complebit, *vbi ita ipsi visum erit*. Sic quod proximè dictum erat refellitur. Iam si non prodest baptismi administratio *nisi vbi ita Deo visum est*, profectò in omnibus illis nuda figura erit baptismus, *in quibus ita Deo visum est*. Et quia quādo hoc ita Deo videatur, quando non, omnibus mortalibus incertum est; pariter quando baptismus nudum signum est, quādo non, omnibus similiter mortalibus erit incertum. Iam si omnibus mortalibus hoc incertum est, vbi illud est fidei adminiculum & confirmatio, quem omnium Sacramentorum proprium &

Baptismū non solū signum nudum sed & fallax facit Caluinus.

Fidei adminiculū in baptismo alia Caluini doctrina tollit.

& vnicum esse fructũ Caluinus vult? Quomodo ex eo signo aut symbolo conspecto confirmabitur cuiusquam fides, qui penitus ignorat an rei exhibitio sit simul adiuncta, quia penitus ignorat *an ita Deo visum fuerit?* & nisi ita Deo videatur, nihil signum prodest? An non & hoc alterum Caluini effugium satis obstructum est, ipseque iterum in verbis suis captus est? Dei verò gratia Sacramentis non alligatur, non quia Sacramenta legitimè susceptа certò & infallibiliter non prosunt, aut quia ab arcana aliqua Dei prædestinatione eorum legitimè susceptorum fructus incertus pendet, sed quia *absque visibilibus Sacramentis, quæ non religionis contemptus sed necessitatis articulus excluſit, inuisibilem gratiam confert Deus.* Sequitur adhuc in Caluino: *Hinc etiam soluitur alia quæstio quæ moueri possit. Nam quum testimonium haberet Paulus gratiæ Dei, iam illi remissa erant peccata. Non igitur baptismo demum ablutus est, sed nouam gratiæ, quam adeptus erat, confirmationem accepit.* Quæstionem quæ moueri possit, fingit Caluinus, cur Paulus baptizari iubetur, & abluere peccata sua, quum ex testimonio gratiæ Dei priùs accepto iam illi essent remissa peccata. Hanc ita soluit: Non baptizatur vt abluatur, sed vt gratiæ, quam adeptus est, nouam confirmationem acciperet. Ita rursum homo impius & audax Scripturæ literam & apertum cõtextum negat, repudiat,

Dei gratia Sacramentis non alligatur.

Auguſt. contra Donat. l. 4. cap. 24

S. Scripturæ literã apertam conculcat Caluinus.

reijcit, conculcat, vt sui cerebri commentum eius loco statuat, erigat, stabiliat. Dixit Ananias Paulo, *Baptizare, & ablue peccata tua*: Baptizare, vt abluãtur peccata tua. Non est ita, ait Caluinus: baptismo non est ablutus, nec ad abluenda peccata baptizari iubetur: sed sic Ananias dicere debuit: Iam abluta sunt tua peccata: Iam testimonium gratiæ Dei accepisti: Baptizare, & nouam gratiæ, quam iam adeptus es, confirmationem accipe. Nónne totum sacræ literæ contextum audacissimus nebulo nefariè inuertit, extrudit, expungit? Quid huic impietati addi queat, non video. Deinde, vbi tandem, aut in quo Scripturæ verbo, *testimonium gratiæ Dei Paulo priùs datum*, vnde illi remitterentur peccata sua, apparet? Cur assiduè sua nobis somnia, sua commenta obtrudit Caluinus; & à verbo Dei (quod vnicè docere velle videtur) longissimè lectorem abducit? Sed hæ eius artes nefariæ, hæ impostura sunt. In varias se compitas, in varia diuerticula flexit ac reflexit, sed veritatis calsibus irretitus iacet.

Somnia sua cõtra apertam Scripturã obtrudit Caluinus.

Tandem, quia adiecit Ananias, *Inuocato nomine eius*, ex illis verbis in præiudicium baptismi magnum aliquid se aduertisse ratus Caluinus, hunc in modum obstrepit. *Hoc* (inquit) *membrum veluti correctio est superioris dicti: quia Ananias Paulum ab externi elementi fiducia diserte ad Christum ablegat, & precationem designat*,

designat qua testantur fideles, penes vnum Christum esse externi signi effectum. Neque enim Sacramenta vel in seipsis aliquam vim salutis inclusam habent, vel quicquam valent ex se ipsis. Est hæc rursum alia diuinæ Scripturæ putida corruptela, & nouum fugitantis huius leporis diuerticulum, vt baptismi præclarissimum effectum hoc loco expressum, sed à se ac suis pertinacissimè negatum, Caluinus eludat. Sed nec hâc euadere poterit. Inuocatio quam adiungit Ananias, non magis baptismi vim extenuat, quàm vel sanguinis Christi, vel ipsius fidei, cuius confirmationem baptismi esse effectum Caluinus vult. Siue enim per hanc inuocationem ipsam huius Sacramẽti formam intelligas, vt, *inuocato nomine eius*, significet Dei inuocationem in nomine Patris & Filij & Spiritus S. (nam & de eo præordinante priùs locutus fuerat, non de persona Christi,) siue precationem aliquam Christo faciendam, vt Caluinus vult; neutrum baptismi virtuti aliquid derogat. Non sanè prius, quia pars baptismi est, & eius Sacramenti forma: non posterius; quia sicut Christi sanguis abluit peccata nostra mediante inuocatione nostra (*Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*) & tamen Christi sanguini per illud non derogatur, quia *Christus per passionem consummatus, factus est causa salutis* (non absolutè aut simpliciter, sed) *obtemperantibus sibi*, cuius obedientiæ

Scripturæ corruptela alia.

Inuocatio nominis Christi à baptizando adulto baptismi efficaciæ non derogat.

Rom. 10.

Hebr. 5.

dientiæ pars ipsa inprimis *inuocatio* vna est; ita baptismus abluit peccata nostra mediãte inuocatione & precatione nostra; & tamen baptismi efficaciæ nihil derogatur, quia baptismi Sacramentum non absolute ac simpliciter quomodocũque susceptũ, sed legitimo modo, legitima dispositione in adultis (qualis Paulus erat) prẽuia, causa salutis est. Rursum, sicut fictitius Caluini effectus, *fidei confirmatio*, non propterea corrigeretur aut extenuaretur, si baptizandi adulti precationem & inuocationẽ præmittere iubeantur (inuocari quippe Deus vult, vt sua beneficia conferat;) sic nec verus ac germanus baptismi effectus, *peccatorum ablutio*, vt hîc Ananias Paulum docet, propterea corrigitur aut extenuatur, quia Christi quoque nomen inuocare Paulus iubetur. Denique, quomodo iuxta omnes hodie Protestantes sola fides iustificat, & tamen inuocatio est necessaria; sic baptismus abluit peccata, & tamen inuocatio necessariò ab adultis requiritur. Sed distinguere ignarus magister non potuit inter dispositiones ad Sacramentorum susceptionem requisitas, & inter ipsum Sacramentum, gratiæ & ablutionis peccatorum causam, non disponentem, sed (vt nuper Caluinus confessus est) instrumentalem, organicã, mediam, & subalternam. Et vt in Caluini exemplis nuper allatis maneamus, sicut Deus per panem

Exemplis à seipso prolatis Caluinus conuincitur.

alii,

alit,& tamen corpus pane alendum ad hoc per bonam constitutionem disposítum esse debet, panis tamen est qui propriè alit vt causa proxima;& sicut Deus per solem illuminat, non quilibet tamen oculus illa luce perfruitur, sed organum illud bene disponi oportet, sol tamen causa luminis vera est, sed secundaria; & sicut Deus per ignem calefacit,vt quis tamẽ calefiat, ad ignem accedere oportet,& nimis distantia corpora ignis non attingit,causa tamen caloris proxima ignis est: sic Deus per baptismum abluit peccata, & per Sacramẽta gratiam confert, rectè tamen disponi debet per fidem, per pœnitentiam, per diuini nominis inuocationem,cuius peccatum baptismus abluat; & ipse nihilominus baptismus, veluti Sacramẽtum à Deo institutũ, ablutionis illius verum organum, instrumẽtum,ac medium, vera causa instrumentalis est. Hæc(vt dixi) Caluini exemplis inhærendo,contra Caluinum optimè concludunt. Atqui nos Catholici talem vim Sacramẽtis non tribuimus, vt eo modo sint causę gratiæ,sicut panis alimenti, sol lucis, ignis caloris causæ sunt. Causæ enim istæ naturales sunt, & per se agentes,vi,inquam,propria naturaliter illis infixa,tametsi à Deo accepta; nos baptismũ & alia Sacramenta huiusmodi gratiæ causas non facimus, sed instrumentalem tantùm vim illis tribuimus,absque vlla etiam aptitudine,

Exempla Caluini plus tribuunt Sacramẽtis quàm par est.

tudine, quæ in artificialibus instrumẽtis cõspicitur, quæ in motu vid. & vsu tantùm eorum subsistat, non autem permanenter inhæreat. Vtrique tamen causarum generi commune hoc est, vt debita dispositio ex parte subiecti recipientis necessariò exigatur. Qua dispositione deficiente, Sacramentum quidem nullum effectum habet, non vitio aut imperfectione aliqua sua, sed vitio & culpa indignè recipientis. Quod ipse Caluinus alibi his verbis agnoscit: *Non sic* (inquit) *intelligendum est quod dixi, ex indignitate sumentis separari à sua veritate Sacramentum, quasi ab eius, qui recipit, conditione aut arbitrio vis & veritas Sacramenti pendeat. Manet enim firmum quod Deus instituit, naturamque suam retinet, vtcumque varient homines: sed quum aliud sit offerre, aliud recipere, nihil obstat quo minùs consecratum verbo Domini symbolum sit reuera quod dicitur, vimque suam cõseruet, nulla tamen indevilitas ad hominem sceleſtum ac impium perueniat.* Hæc ille. Ergo sicuti recipientis indignitas Sacramenti veritati nihil derogat, sic ipsa eius dignitas seu potiùs dispositio requisita (cuius vna pars inuocatio Dei est) Sacramenti quoque veritati ac virtuti propriæ nihil detrahit. Ex quo consequitur, Sacramenta, id quod operantur, ex opere operato (vt loquuntur Scholastici) operari, & ex se ipsis, veluti instrumentis à Deo cõstitutis, non ex opere operantis, non ex aliqua eius dispo-

Instit. lib. 4. cap. 17. num. 16.

dispositione, cui effectus sacramentalis tribuatur. Quo magis absurdum, impium, suisque proprijs placitis repugnans est quod Caluinus subiunxit, *Sacramenta ex seipsis nihil valere.* Sanè adeò ex seipsis valent, vt neque propter indignitatem suscipientis eorum vis ac veritas imminuatur, (vt Caluinus ipse diserte professus est) neque vbi ea recipiés bene dispositus accesserit, ex ea tamen dispositione sed ex diuino Sacramento vis ac fructus eius consequatur. Quare alio longè iudicio S. Augustinus de circũcisione, quæ nisi figura baptismi erat, dixit, *ipsam per se ipsam plurimum valere*, & de Sacramentis nostris in genere, *quòd eorum vis inenarrabiliter valet plurimum.* Frustra ergo hactenus contra stimulum calcitrauit Caluinus: frustra & incassum hæc perspicua Ananiæ verba, *Baptizare, & ablue peccata tua*, tot modis & artibus inuertere, peruertere, eludere, & inania reddere molitus est.

Sacramẽta ex seipsis valent.

De bap. cont. Donat lib. 4. cap. 24.

Tandem, vt stomacho suo pleniùs indulgeat, cõtra Catholicos hoc virus eructat: *Ab hac regula quantum differant Papistæ, notum est, qui suis exorcismis affingũt gratiæ causam: tantumq; abest miseram plebem studeant ad Christum dirigere, vt baptismo potiùs Christum obruant, suisque exorcismis contaminent sacrum Christi nomen.* Breuiter respondeo: A tota orthodoxa veritate circa baptismi effectum quantum differat Caluinus, quàm longè aberrauerit, hæc

hæc explicatio notum fecit, qui ſuis impijs & pugnãtibus dogmatibus omnem baptiſmi vim & propriam efficaciam inuertit: tantumq́ abeſt vt miſeros ſuos ſectatores ad Chriſtum direxerit, ipſe potiùs vt baptiſmo Chriſtum eijciat, ſuiſq́ue commentitijs & profanis figmentis primarium hoc Sacramentum & ſacrum diuini verbi textum cõtaminauerit. De exorciſmis quæ hîc Caluinus garrit, ſiue ipſam formæ baptiſmalis pronunciationem intelligat, quam alio in loco magico exorciſmo comparat; ſiue exorciſmi ceremoniam baptiſmi Sacramento adiunctam intelligi velit, de vtroque contra Caluinum, quæ ſatis eſſe poſſunt, alibi diſputauimus, vt nihil hîc repetere opus ſit. Doctrina baptiſmi eſt inprimis neceſſaria: & quæ alibi latè Caluinus diſputauit, hîc veluti in compendium contraxit, vt quaſlibet ferè alias materias, in ſua Inſtitutione latiùs agitatas, in ſuis ad Scripturæ libros cõmentarijs compendio tradere ac repetere ſolet. Quæ cauſa eſt quòd totam eius diſputationem paulò prolixiùs refutandam duximus.

Vide Anteid. Euã. g. in Marc. cap. 1. v. 4. In Matth. c. 12. v. 26.

CAP.

CAP. XXIII.

4. *Qui astabant dixerunt, Summum sacerdotem Dei maledicis?*

INcredibilis Caluinum incessit libido Catholicam Ecclesiã, quauis minima data occasione, imò nulla data, sed studiosè quæsita, taxãdi, mordendi, & quouis tandem modo traducendi. Horum hominum importunum zelum & intemperiem, qui hominem impium barbarè agentem ad manus ac verbera prorumpentem, defendere tamen nituntur, Catholicis impingere vult Caluinus. At quo tãdem modo? *Ita* (inquit) *hodie in Papatu quantò plus licentiæ indulget ac securiùs lasciuit impurus ille clerus, totumque mundum suis scelcribus contaminat, eò rigidiùs compescit ac vinctas tenet populi linguas. Itaque si quis mutire ausus fuerit, modica libertas, non secus ac nefandum sacrilegium, immanes illorum clamores excitat.* Tota hæc Satyrica debacchatio homine quidem hæretico & Caluino digna est: homini rebelli, seditioso, ac nefario, qui cõtrà legitimos Magistratus inuehere velit, apprimè conuenit: nebulonis furentis ac dementis idonea oratio est. In vniuersum quippe Catholici cleri corpus, per tot amplissima regna diffusum, hoc modo debacchari & furere, quis, nisi rabidus & insanus nebulo, sua persona dignum existimabit? Cæterùm

Scurrilis Caluini debacchatio retunditur.

Cæterùm vnus Caluinus impurus ille & barbarus tyrannus Geneuæ fuit, qui 200. Senatorum sententia cum suo Farello ac Vireto eiectus fuit, hoc addito eiectionis elogio, *Tyranni esse voluerunt in libera ciuitate*, qui etiam post primam eiectionem in integrũ denuo restitutus, & authoritatẽ, quantam voluit, nactus, talem ibi tyrannidem exercuit, vt nec quisquam eorum, qui primæ eiectionis causã fuerãt, Geneuæ posteà habitare potuerit, nec contra Caluini placita mutire aliquis ausus fuerit; sed modica libertas, non secus ac nefandum sacrilegium, non immanes tantùm illius beluæ clamores, sed implacabile eius odium excitauerit, cuius terminus erat aut loco cedere, ac nouas sedes quærere, aut miseram semper seruitutem Geneuæ seruire. Ad quam rem expeditiùs conficiendam quinquaginta Gallos vno die ciues Geneuenses conscribi fecit. Hodie quoque Caluinistarum in Anglia tanta ac tam barbara tyrannis est, vt quo securiùs lasciuiũt (aliã Caluini fœda lædoria non adiungam) eo rigidiùs compescãt ac vinctas teneant Catholicorum linguas. Comperta enim res est, & publicis legibus (Caluinistarum consilio) firmata, si quis Catholicus pro suæ religionis defensione vel mutire ausus fuerit, modica libertas, non secus ac nefandum sacrilegium, imò non secus ac læsæ Maiest. crimen non immanes tantùm

Capito ad Farellum inter epist Cal. epist. 6.

Examen prætens. disciplin. pag. 37.

tantùm pseudocleri Caluinistici clamores excitat, sed vincula quoque & carceres mulctata subit. Tristis hæc quidem & ciuibus meis indigna, sed nimis vera & necessaria oratio est, vt Caluinismi genius, qualis sit, propiùs intelligatur.

6. *Sciens Paulus quia vna pars erat Sadducæorum, altera Pharisæorum, exclamauit in Concilio.*

MVlta sibi hoc loco adnotanda iudicauit Caluinus, quibus Catholicam Ecclesiam variè traduceret. Sed in eius caput omnia recident. Primùm obseruat, impios, quamuis hostiliter inter se dissideant, vbi gerendum est bellum cum Euangelio, sua certamina obliuisci. Satan enim discordiarum pater vnum hunc consensum inter eos procurat, vt ad extinguendam pietatem eadem sit illis mens & idem animus. Hoc totum in varias ac multiplices hodie hæreticorum sectas, Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas optimè quadrare, quotidiana eorum contra Catholicos certamina, & vnius Catholicæ religionis impugnatio cõformis ad oculum testatur. Qua de re in Promptuario nostro Morali plura diximus. Et in vna Anglia tot illic sectæ ac dissidia Protestãtes, ad arbitrium Principis religionis suæ placita conformantes (quos, quia in dogmatibus Caluinum, in tota politia & cultu

Dom. 22. post Pent. t. 1. Anglo-Caluinistæ curiosa dicti.

cultu externo Anglicana comitia sequuntur, Anglo-Caluinistas nuncupamus) Puritani Barrovvistæ, familia amoris, contra solos illic Catholicos cruentis legibus exagitandos & extinguendos vnanimiter conspirant. Huius in se ac suis Satanicæ conspirationis conscius Caluinus, scabiem suam fœdissimam alijs asfricare contendit; & quod in illum aptissimè dici posse videbat, ne diceretur, néue de ipso alijsque sectarijs hoc lector cogitaret, crimen in alios deuoluit, arte ac more vni Caluino valde familiari. *Sic hodie* (inquit) *videmus factiones, quæ in Papatu feruent, tantisper quiescere, dum communibus studijs Euangelium opprimant.* At quæ tandem in Papatu factiones feruent, quæ illic sectæ, quæ dissidia, circa religionis doctrinam audiuntur? Vnanimes prorsus in causa fidei esse Catholicos, & in vna Ecclesia sub vno capite Rom. Pontifice vnitatem arctissimam conseruare, adeò res nota, comperta, clara, & indubitata est, vt hanc ipsam vnitatem & cõspirationem irrideat alibi ipse Caluinus, subsannent alij hodie Protestantes, & vnitatem quidem sed Antichristianam obijciant, quia vni capiti Rom. Pont. omnes parent, quos isti Satanæ ministri Antichristum appellirant. Ita palàm mẽtiri nihil erubescit Caluinus. Atqui non hoc ille frustra mendacium adinuenit. Video enim quale mox corollarium inde inferat. *Quò* (inquit) *plus animi Christi discipulis esse conuenit ad fouendam veritatem! vt simul coniuncti*

Caluini ars, crimẽ in alios deuoluere, cuius ipse sibi conscius.

Tract. de scandalis.

iuncti melius resistant. Iacto insignis mendacij fundamento, classicum canit, omnesque horum temporum sectas fax orbis animat & armat, vt iunctis animis ac copijs vnam Catholicam Ecclesiam fortiter impugnent. Sed stat inuicta Catholica Christi Ecclesia, contra quam portæ inferi non præualebunt.

Hoc defunctus mendacio ad aliud pergit Caluinus, idemque atrocius. *Sectarum* (inquit) *origo inter Iudæos fuit legis corruptela: quemadmodum simili pœna Dominus in Papatu vltus est verbi sui profanationem, quum varijs hominum figmentis corruptum foret.* Calumniatori respondeo: Nec vllam verbi diuini profanationem in Ecclesia Catholica probare Caluinus potest (proprium hoc est Caluini scelus, vt hæc nostra Antidota tam multis exemplis docuerunt ac docebunt) nec hominum figmenta, sed doctrina Apostolica, per Episcoporum & Pastorum perpetuas successiones ad nos vsque deducta, in illa vigent; nec denique sectarum & schismatum pœna in Ecclesiam Catholicam recidit, sed in illos nefarios impostores, *qui non erant ex nobis, sed exierant de nobis.* 1. Ioan. 2.

Memor tandē Caluinus tot hodie sectarum, quas, qui Euangelium profitentur, excitarunt, & excitatas fouent, in hanc querimoniam prorumpit: *Quò magis timendum est, ne horrenda nobis, qui Euangelium obtendimus, insset dissipatio, & luctuosior quā quæ fuit in Papatu, eius indicia quædam apparent. Nec mirum est,* Euangelicorū dissipationem ominatus Caluinus.

quũ tot modis iram Domini ingratitudo nostra prouocet. Habemus confitẽtem reum; nisi quòd crimen in genere agnoscit, suum non profitetur. Vnus quippe Caluinus dissipationem, de qua conqueritur, plurimum auxit. Ille enim post Lutherum & Zvvinglium, neutri cedere volens, sua propria & nefaria placita, circa Sacramentorum maximè doctrinam, & externam Ecclesiæ politiam, è suo cerebro depromens, callideque & artificiosè insinuans, vtrique illi sectæ partim illusit & impossuit, partim apertũ bellum indixit. Zvvinglianos sua cõcordia de Sacramentis naso suspendit adunco; suo erecto Consistorio ineptæ & crassæ politiæ redarguit. Contra VVestphalum Lutheranũ & alios aperto marte pugnauit. Post aliquam nihilominus sectarum Euãgelicarum consolationem, fore *vt totam orbe Ecclesiam Deus nõ deserat, sicut apud Iudæos in effreni illa sectarum licẽtia suam Ecclesiam Deus seruauit,* Papatus exemplo rẽ confirmare molitur. *Idem* (inquit) *accidit in Papatu: nam cùm illic euerso Dei cultu, oppressa salutis doctrina, deiecto Christi regno, palàm regnauerit impietas* (schemata hæc sunt Caluinianæ eloquentiæ mẽdacissimæ) *Deus tamen occultas reliquias seruauit: & semper aliquid tritici latuit sub palea. Hæc exempla simul conferre, valde est vtile.* Impostori respõdeo: Primùm, quas fingit reliquias, in alio quodam opere prolixè refutauimus, & cerebri Caluiniani inanis-

In Princip. fidei lib. 3. c. 10

inaniſsimum eſſe ſpectrũ demonſtrauimus. Exemplorum, quæ finxit, collatio, quam ita vtilem prædicat, quò tandem (opinamur) ſpectat? Hucnimirum, vt in tota illa ſectarum colluuie & horrenda diſsipatione eorum qui Euangeliũ obtendunt, Geneuenſis Conſiſtorij reliquias (à quo cęteræ reformatę ſcilicet Eccleſię per Germaniam, Heluetiam, Angliam, penitus abhorrẽt) à Deo ſeruandas, veluti aliquid tritici inter paleas confidat lector. Aliam huius collationis vtilitatem non video. Quam vt cæteræ reformatæ (ſcilicet) Eccleſiæ laturæ ſint, ipſæ viderint. Nunc plenis velis iterum in Catholicos incurrit. *Hodie* (inquit) *quum inuehimur in Papatum, reclamant conductitij eius patroni, nihil eſſe abſurdius, quàm fingi Dei Eccleſiam pluribus ſeculis fuiſſe prorſus extinctã.* Non conductitij patroni, ſed docti & voluntarij tractatores Catholici (quorum pleriq; ne obolo quidem ditiores propterea facti ſunt) veriſsimè & cordatiſsimè hoc aduerſus omnes impios ſectarios reclamant. Quid pro illis reſpondet Caluinus? *Quaſi verò* (inquit) *fingamus, nullũ fuiſſe ſuperſtitem Deo populum, vbi ad defectionem prolapſi ſunt, qui debebant purum Dei cultum aſſerere. Nos verò corruptam ab illis tyrannis Eccleſiam Dei fuiſſe conquerimur, profanatum fuiſſe templum Dei, vt parum à porcorum hara differret, diſsipatum fuiſſe gregem Chriſti, dirutumque eius ouile: deniq; Eccleſiam abſconditam*

Geneuẽſes reliquiæ toto orbe ſeruandæ.

Eccleſiæ vniuerſalẽ interitum docẽs Cal. docere ſe negat.

fuisse ab oculis hominum, vt tamen electos suos Dominus (licet dispersos) agnosceret, & absconditos sub alis suis foueret. Atqui quantò magis Ecclesiæ ruinam & dissipationem exaggerat Caluinus, tantò magis inuictè demonstrat *nullum fuisse superstitem Deo populum*, quod veluti absurdissimum à se suisque fingi negat. Nullus Dei populus est extra Ecclesiã Christi: Nulla Ecclesia Christi est absq; Pastoribus, Doctoribus, & Prępositis, qui illam pascant, regant, doceant: Nulli tales Pastores, nulli Doctores extiterũt: Ergo & nullus Dei populus superstes fuit. Nullos extitisse Pastores, Doctores, &c. ipse Caluinus agnoscit, dum *absconditam fuisse ab hominum oculis Ecclesiam* disertè affirmat. Quæcumque quippe Ecclesia Pastores & Doctores habet, illa abscondita ab hominum oculis esse nõ potest. Illis quippe dixit Christus: *Vos estis lux mundi. Ciuitas supra montem posita abscondi non potest. Illos posuit Spiritus S. regere Ecclesiã suam.* Regere homines non possunt, qui ab hominum oculis absconditi sunt. De illis dixit Christus, *Dic Ecclesiæ.* Dicere aut denunciare quempiam hominibus penitus ignotis & absconditis nemo potest. Hæc & alia grauiora absurda portẽtosum hoc Caluini paradoxum consequũtur, quæ alibi latiùs tractauimus. Caluini figmentum de latentibus electis soli Deo cognitis, simili absurditate laborat. Electi extra Ecclesiam nõ sunt: Ecclesia

Ecclesiæ totius interitum à Caluino doceri inuictè probatur.

Matth. 5.

Act. 20.

Matth. 18.

clesia necessariò propter causas antedictas visibilis & omniũ oculis conspicua est: Fingi igitur tales electi nõ possunt. Sed & illud putidissimum commentum suo etiam loco seorsim refutauimus. Prosequitur Caluinus: *Quàm stultè verò honorũ titulis* (Episcoporum, Pastorum, Doctorum titulos intelligit) *superbiant Papistæ, hinc patet, quòd olim Iudaicam Ecclesiam non vulgus hominum, vel aliqui priuati, sed ipsi Sacerdotes exitialibus dissidijs scinderũt.* O quàm putida collectio! Apud Iudæos Sacerdotes Ecclesiam scindebant: ergo in tota Christi Catholica & aspectabili per orbem Ecclesia omnes Episcopi, Sacerdotes, Pastores, Doctores, huiusmodi titulos frustra tenuerunt. Addamus nunc aliam collectionem. Apud Iudæos Sacerdotes Ecclesiam scindebant: ergo apud omnes qui hodie Euangelium obtendunt, omnes Pastores, Ministri verbi, Seniores, Superintẽdentes, & quicquid aliud in Euãgelicorum hodie titulis est, frustra ab illis obtenduntur, frustra de illis honorum titulis superbiunt, frustra huiusmodi titulos sibi venditãt. Pergamus adhuc vlteriùs: ergo & quæcumque tandem Ecclesia, siue nunc siue futuris temporibus, Præpositorum aut Pastorum titulos gerit, frustra & inaniter tales obtẽdunt. Sacerdotes Iudaici exitialibus dissidijs Ecclesiam sciderunt: ergo & Christiani Sacerdotes omnium temporum atq; ætatum exi-

Stolidiss. sima Caluini collectio.

tialibus quoq; diſsidijs eam ſcindunt. Hæc eſt inſani hominis, qui ſua libidine & audacia omnia confundit, furioſa collectio. Sed eius dementiam ac turpitudinem iam alio in loco contra Caluinum patefecimus. Hic enim homo ſuauis in huiuſmodi dementijs plurimum ſe oblectat, eaſque frequenter & identidem repetit. Vide nunc ex tam putida & furioſa collectione quale claſsicum canit Caluinus: *Quare non eſt cur fortiter reſiſtere dubitemus Papæ & ſuorũ omnium arrogãtiæ, quibuſcum idẽ habemus certamẽ quod Prophetæ & Apoſtolicũ ætatis ſuæ Sacerdotibus. Sicuti autem ſanctis viris nõ obſtitit Eccleſiæ reuerentia, quò minùs impiã malorũ Sacerdotũ tyrannidem vexarent: ita nos inanibus laruis terreri non decet, quibus ſe fallaciter venditant Papiſtæ, quum tamen pietatis doctrinam abiecerint.* Huic quoque furioſę comparationi, tã quoad veteres *Prophetas, quàm quoad †Apoſtolos, in alijs Antidotis noſtris, vbi eandem rurſum Caluinus inſtituit (in hoc diſputandi genere ſibi plurimum placens) quantũ ſatis erat, ſatisfecimus, latiſsimumque diſcrimen inter Prophetarum veterum reprehenſiones, atque hæreticorum hodie rebelliones, oſtendimus: Apoſtolos verò nulli Eccleſiæ reſtitiſſe, perſpicuè docuimus: in vtroque ſummam Caluini ſtoliditatem manifeſtam fecimus.

In Antidot. Euãg. ad Ioann. c. 7. v. 48. & c. 8. v. 39. Item ad Matth. c. 21. v. 42.

*Ad Ioã. c. 7. ver. 48 in fine.

†Ad Ioã. c. 16. v. 2.

CAP.

CAP. XXIIII.

14. *Confiteor hoc tibi, quòd secundùm sectã quam dicũt hæresim, sic deseruio patrio Deo, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.*

VArias hoc loco Annotationes Caluinus facit; sed prò vna orthodoxa cæteras omnes pestilentes ac venenatas. Vna orthodoxa obseruatio est in vocabulo hæresis: *Quum inter Christianos sermo est, detestabiles iubet haberi hæreticos Spiritus Dei: & ab hæresibus cauendum esse docet, quia pestiferam Ecclesiæ dissipationem afferant. Ergo in populo Dei, cuius salus in fidei vnitate consistit, res minimè ferẽda est.* Hęc ille, quibus nihil vnquã verius scripsit. Meritò iam Caluinũ & Caluinistas detestabiles habemus, quos ob tam multa pestifera dogmata Spiritus Dei per os Ecclesiæ suæ, in Concilio Oecumenico, in conuentu Episcoporum & Pastorum numeroso, veluti hæreticos anathemate percussit. Meritò mihi studium & laborem illum literarium potissimùm delegi, quo homines tam detestabiles, eorumque hæreses, quæ tãtam Ecclesiæ dissipationem afferunt, pro meo modulo refutarem; & vt ab illis omnes caueant atq; abhorreant, quantum in me est, efficerem.

Hæresis crimẽ detestabile.

Sed post hoc lac & mel propinatum, vide quæ sequuntur toxica. Primùm, quòd Paulus dixerat se patrium Deum colere, arripit inde obtrectandi ansam. *Ridiculi (inquit) sunt Papistæ, qui Pauli suffragio quamlibet vetustatem probari fingunt. Nos (inquiunt) patrium Deum cum Paulo colimus, vt nobis consuetudo est per manus tradita.* Equidem eiusmodi collectionē apud aliquem Catholicum tractatorem non legi, ac nec de ea inter Catholicos vnquam audiui. Deinde, siue Pauli exemplo, siue ex rei ipsius veritate, maiorum suorum consuetudinem se sequi profitentur Catholici, non tamē ex eo quamlibet vetūstatem (vt cauillatur & mentitur Caluinus) probari posse confingunt. Sed illa crassa calumnia & hac eius fictione prætermissis, aduersus rem ipsam quid disputet videamus. *Quasi verò (inquit) vel ipsis iudicibus eundem clypeum Turcis & Iudæis contra fidem Christi opponere sufficiat.* Atqui quia de hac eadē Caluini obtrectatione nuper latè contra illum disputauimus, hic breuiter respōdeo: Sicuti nisi vnus est Deus, & vna fides, & vnum baptisma; sic nisi vna Ecclesia Christi, & quæ suos habet Pastores, Doctores, Præpositos, quibuscum se Christus fore *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, promisit.* Vnde sicut nō valet argumentum pro Mahomete quod valet pro Christo; & potuit Christus *se dicere Filiū Dei, facere se æqualem Deo, testimonium perhibere de se metipso,*

Supr. ad c. 14. v. 15. Epheſ. 4.

Matth. 28

Ioan. 5. 7. 8.

metipſo, quod nõ poteſt aut Mahometes aut alius quiſpiam pſeudopropheta: ſic valet argumentum pro Eccleſia Chriſti, quod non valet pro Turcis ac Iudæis; & poteſt Eccleſia Chriſti ſuos Paſtores, ſuos Doctores, eorumque ſucceſsionem, ſuæ fidei, ſui baptiſmatis vetuſtatem, antiquitatẽ, lõgam continuationem venditare; quod nõ poteſt aut Iudæorũ nunc Synagoga, aut Turcarũ Mahometiſmus, aut quæuis alia Gentiũ ſuperſtitio. Itáne verò, quia Turcarũ, Iudæorum, Paganorũ, nec Sacerdotes, nec ſacrificia, nec cultus, nec ceremonię, nec doctrina, nec traditio vel hilum valet; Chriſtianorũ propterea toto orbe propagata, tot ſeculis cõtinuata, tanta Paſtorum ſucceſsione firmata Eccleſia, Scripturæ, Sacramenta, hilum quoq; non valebũt? *Nos verò* (vt cum B. Auguſtino loquamur) *neque in confuſione Paganorũ, neq; in purgamẽtis hæreticorum, neque in lãguore ſchiſmaticorũ, neque in cæcitate Iudæorũ, religionem quærimus, ſed apud eos ſolos qui Chriſtiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur.* Valet ſucceſsionis longæ præſcriptio in legitimo poſſeſſore: non valet eadem in quolibet inuaſore. Quare hæc longæ ſucceſsionis & antiquitatis Eccleſiaſticæ allegatio non niſi contra hæreticos iuris Eccleſiaſtici inuaſores & Eccleſiæ diſſipatores adhiberi ſolet: quod quia Caluinum & omnes hæreticos malè habet, tam ſuo quàm aliorum nomine contra eam frequenter

Eccleſiæ veræ argumenta propria.

De vera relig. c. 5.

quenter calcitrare Caluinus solet. Sed plura hac de re loco citato diximus.

Ex alia nũc parte mordet Caluinus. Quia Paulus dixerat se *credere omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt*: *Hinc* (inquit) *apparet, Paulum sedulò cauere ne se aduentitijs, quæ inter Iudæos regnabant, superstitionibus implicet; quemadmodum si Papistis hodie quispiã nostrũm respondet se Deum colere quem profitentur, qualiter ex Lege & Euangelio sumus edocti.* Atqui hæc vestra respõsio nihil habet cum Pauli responsione simile. Paulus respondens se credere omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, ea tantùm affirmat, alia nõ negat: vos sic ex Lege & Euangelio edocti esse vultis, vt nihil præterea credere velitis, nisi quod in illis aut diserte scriptũ est, aut iuxta sensa vestra ex illis deduci potest. Sic Ecclesiasticam omnem & traditionem & interpretationem respuitis. Et Paulus quidem quum adhuc Iudaico ritu Deum coleret, si rectè Deum colebat, sicuti à fermẽtis Pharisęorũ & aduentitijs illis superstitionibus sibi cauebat, sicipsos tamen Scribas & Pharisæos super Cathedram Moysis sedẽtes audiebat; & quę illi dicerent, seruabat & faciebat. Vos igitur Euangelici, si aduentitias aliquas superstitiones veluti fermenta irrepsisse in Ecclesiam Christianorum aduertistis, ab illis quidem cauere, Pastores tamẽ & Doctores super Cathedram Christi sedentes, si boni

Scripturis non credunt Protestantes sicut Paulus credebat.

Christia-

Christiani esse velletis, omnino audire debebatis; quæq; illi dicerent ac docerent, seruare & facere oportebat. Quare si in istis verbis aduentitias superstitiones Iudaicas Paulus fortasse excluserit (mera enim hæc & simplex Caluini coniectura est) non tamen obedientiã Synagogæ Magistris (ante suam ad Christum vocationem) debitã, eorumq; traditiones legitimas, & Scripturę interpretationes respuisse aut exclusisse vllo modo censendus est. Denique si hæc Pauli verba non nisi Legem & Prophetas præcisè illum credidisse demonstrant, vt vult Caluinus; profectò egregia ista verborum Pauli limitatio omnem quoq; Euãgelicam & Apostolicam doctrinam Legi & Propheris copiosè superadditam, ex eadem coniectura à fide Pauli remouebit. Tam pulchras nobis diuini verbi speculationes Caluinus adfert.

Mox ex verbo credendi, quo Paulus vtitur, aliam speculationem subiũgit. *Hinc* (inquit) *discamus non coli rite Deum, vt grata ei sint nostra obsequia, nisi ex fide, quæ vnicum est pietatis fundamentum. Neque enim vt se Dei seruum probet, nudas ceremonias obtrudit, sed disertè ponit, Se credere.* Hoc est videl. ex musca elephantem, vt dici solet. Paulus dicit se credere: ergo fides est vnicũ pietatis fundamentũ. Iam alio in loco Paulus se dicit Christũ diligere: *Quis nos separabit à charitate quæ est in Christo Iesu?* Ergo charitas est vnicũ pietatis fundamentum; Stolida disputatio Caluini. Rom. 8.

tum; & non colitur rite Deus, nisi ex charitate. Rursum alio in loco dicit se in Deum
2.Cor.15. sperare: *Si tantùm in Christo sperantes sumus*, &c. ergo spes est vnicum pietatis fundamẽtum. Tandem alijs multis in locis, *tribulationes*, *probationes*, *patientiam* suam variam describit: ergo & illa vnica sunt pietatis fundamenta, abiecta fide, neglecta charitate, abolita spe. An Caluino sic disputãte quicquam insulsius aut stolidius? Sed sic ille diuinam Scripturam lacerat, deprauat, ludibrio exponit.

Audi adhuc aliam corruptelam. *Continet* (inquit) *præterea hic locus vtilem doctrinam; hoc vnicum esse rectæ & orthodoxæ fidei fundamẽtum, Scripturæ se subijcere, & reuerenter amplecti eius doctrinam.* Ita apud Caluinum, quicquid fidem, quicquid Scripturam commendat, illa vnica commendat; alia omnia, præter fidem & Scripturam, veluti quisquilias habenda pronunciat. Tales, tam putidi & pueriles passim sunt Caluini paralogismi. Sed vnum Pauli ipsius verbum insulsam hanc Caluini
2.Thess. speculationem iugulat. *Tenete* (inquit) *traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam.* Ita ad Scripturam Legis & Prophetarum, traditiones Apostolicę, siue viua voce, siue in scriptis epistolis acceptæ, credendæ accedũt. Et quid? Docebit hic locus vnicum fidei nostræ fundamentum esse Legem & Prophetas? De illis enim solis Scripturis hic lo-

hic locus loquitur. Tota igitur Euangelica historia, & quicquid præterea nouo Instrumẽto continetur, ad fidei nostræ fundamentum nihil pertinebit? Vides iterum, lector, quàm putidas, pueriles, absurdas collectiones, disputationes, speculationes hic tãtus Caluinistarum Magister proferat. Sed si inter multas Catholicæ doctrinæ suggillationes eius, sacræque Scripturæ deprauationes, has hoc loco criminationes prętermisissem, aliquid eas inuicti ponderis habuisse, doctrinæ Caluinianæ deuoti sectatores existimassent.

CAP. XXVI.

6. *Et nunc in spe quæ ad Patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus.*
7. *In quam duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes sperant deuenire.*

ACutus sibi in suis aduersus Catholicam Ecclesiã criminationibus Caluinus videtur: eum quoq; in eo genere sui plurimum admirantur: sed nihil eo insulsius. Hoc in loco cùm obseruasset, Paulũ in priori quidẽ versiculo doctrinæ suæ confirmationem ex verbo Dei sumpsisse, quia fœdus Patribus factum allegat in Dei verbo memoratum; in posteriori verò versiculo Ecclesiæ consensum adiunxisse,

xisse, quia duodecim tribuũ siue totius populi Iudaici fidem allegat (in qua obseruatione cum eo nõ pugnabimus, quia veritatem orthodoxam non lædit, sed iuuat magis) moxque adiecisset; *Hæc legitima est in asserẽdis fidei dogmatibus ratio, vt præeat Dei authoritas, deinde accedat Ecclesiæ suffragatio*: cõfestim ad Ecclesię Catholicę criminationem se accingit: præmisso tamen & præiacto aliquo eius fundamento, penitus putido ac nullius roboris. *Quanquam* (inquit) *simul prudenter habendus est veræ Ecclesiæ delectus, sicuti nos suo exemplo hîc Paulus docet.* Esse quidem veræ Ecclesiæ habendum delectum, indubitatè verum: sed istud nos suo exemplo hîc Paulum docere quomodo probet Caluinus, videamus. *Quamuis enim sciret Ecclesiæ laruam contra se à Sacerdotibus obtendi, intrepidè tamen sinceros Dei cultores à sua parte stare affirmat, & illorum patrocinio contentus est.* Vtrumque istud sine sensu & ingenio, ex propria libidine & audacia, affirmat Caluinus. Nec vlla hîc Ecclesiæ larua à Sacerdotibus contra Paulum obtendebatur, qui non nisi propter fidem & resurrectionem Christi à Paulo prędicatam tanta illum crudelitate insequebantur, & veluti Synagogę contemptorem, veluti noui Euangelij annunciatorem, insectabantur; nec sinceros aliquos Dei cultores, quos veluti Synagogæ hostes à sua parte stare affirmat hîc Paulus, quorum patrocinio contentus

tentus sit; sicuti hodie hæretici, contempta Ecclesia Catholica, quæ tot seculis per omnes gẽtes propagata est, sinceros sibi fingunt Dei cultores, suæ propriæ sectæ addictos, quorũ patrocinio cõtenti sunt. Huc enim collimauit Caluinus, ista quum fingeret. Atqui posterius hoc commẽtum suum, quo apprimè delectabatur, probare contendit. *Nam* (inquit) *cùm duodecim tribus nominat, non permiscet omnes qui secundùm carnem ex Iacob erãt progeniti, sed eos tantùm intelligit qui verum pietatis studium retinebant. Neque enim consentaneum fuisset, promiscuè laudare gentem ipsam à timore Dei, qui non nisi in exiguo numero vigebant.* In hoc suo commento toto cœlo errat Caluinus, & à Pauli verbis longissimè recedit. Paulus quum dicit, *Nunc in spe quæ ad Patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus*, hoc vnum ad literam dicit, se propter spem Mediatoris & Messiæ in Scripturis sanctis repromissi, quem ille iam aduenisse & à mortuis resurrexisse docebat, hîc iudicio subiectum stare: propter huiusmodi doctrinam resurrectionis Messiæ à mortuis, qui tamen Messias Patribus repromissus erat, se à Iudæis accusari & vexari narrat. Quando addit, *in quam* (scil. *repromissionem de Messia factam*) sicuti ipse Beza exponit, *duodecim tribus nostræ nocte & die*, idque perpetuò, vt Græcus textus addit, ἐν ἐκτενείᾳ *deseruientes* (Deo) λατρεύον, *sperant deuenire*, siue, vt Beza ver-

Pauli verba Caluinus non intellexit.

za vertit, *deuĕturos*; hoc vnũ apertissimè dicit, omniũ duodecim tribuũ fidem fuisse & esse, venturũ aliquando Messiã illis repromissũ, seq; hoc Messia potituros. Quẽ Messiã quia iam Paulus illis adueniſſe prædicabat, eumque esse quem illi impio furore crucifixissent, iam à mortuis suscitatum, (quod illi credere maximè abhorrebant) implacabili odio Paulum insectabantur. Hunc sensum non solùm litera ipsa (maximè vt à Beza conuertitur) euidẽter tradit, sed & alij Protestantes sequuntur: inprimis Benedictus Aretius Bernensis Theologus inter suos doctissimus. Perspicuè loquitur Paulus de cõmuni Iudæorum fide de Messia, hoc nomine non tam Iudæos laudans, quàm eorum peruersitatem perstringens, qui expectantes perpetuò Messiam, & *in hac spe Deo seruientes*, eum iam ipsis exhibitum repudiant; simulq; docens, se non aliud factum docere, quàm quod omnes Iudæi expectant & sperant fore. Ita futile & à Pauli verbis longissimè (vt dixi) remotum est Caluini commentum, quasi de Christianis Iudæis sub 12. tribuum nomine Paulus locutus fuisset, quorum ille patrocinium Synagogæ authoritati opponeret. Nihil huiusmodi hoc loco Paul⁹, nec ad præsentis causæ corã Rege Agrippa defensionem illa allegatio facere potuit; quum Iudæos quidem eorumque religionem veneraretur Agrippa, Christianos Iudęos nullo in

In com. in hũc locum.

lo in

lo in pretio haberet. Hoc igitur putido penitusque luxato fundamento posito, quid superextruat Caluinus, videamus. *In vtroque*, inquit, *præposteri sunt Papistæ*. Intelligit in confirmatione ex Scripturis, & in consensu Ecclesiæ. Magna igitur accusatio. Sed vide vt eam probet: *Quia & hominum suffragijs obruunt verbum Dei, & mixtam ex indoctis vel impuris hominibus colluuiem, Catholicæ Ecclesiæ titulo sine colore vel pudore insigniunt*. Si bacchari & furere legitimam probationem faceret, suum Caluinus intentum pulchre probasset. Nunc quia nihil quàm rixatur & mentitur, quantum in probatione defecit, cuilibet lectori perspicuum est. Ait *hominum suffragijs obrui verbum Dei*: sed à quibus hominibus, & quomodo ab illis Dei verbum obruatur, verbo non attingit. Quid est facilius quàm tantundem de Caluino, de Luthero, de quibuslibet sectarijs dicere? *Hominum suffragijs verbum Dei apud illos obruitur*. An aliquid propterea cõtra Caluinum, Lutherum, & alios probatum est? Nemo (opinor) hoc dabit, seu Caluinista, seu Lutheranus. Deinde, omnes toto orbe tot seculis Episcopos, Pastores, Doctores, totum populum Christianum, ex quibus Catholica conficitur Ecclesia, cuinos Dei beneficio Catholici adhæremus, sine colore & sine pudore *ex indoctis & impuris hominibus colluuiem* vocat. Sed hæc sunt consueta Caluino schemata: hæc noti

Caluinus nihil probat, rixatur tãtùm

Caluini maledicentia in omnes.

Cytherea pudoris. Totum Senatum Geneuensem, ex 200. ciuibus conflatum, verecundus iste Geneuensis Pastor, *promiscuam colluuiem* similiter vocauit. Quum enim post lõgissimas altercationes Consistorij sui restaurationem obtinuisset, ea de re ad Bullingerum scribens, *In illa* (inquit) *promiscua colluuie suffragijs suimus superiores.* Eundem Senatum, quum ab eo eiectus Geneua esset, vt seditiosus ac tyrannus, *tumultuosam perditorum hominum factionem nũcupauit.* Ita quicumque Caluino aduersantur, vel impura & promiscua colluuies, vel perditorum hominum factio censenda est: vt minùs mirari quis debeat, si de Catholica Christi Ecclesia, cuius ille iuratus hostis esse voluit, tam virulentè & maledicè loquatur.

Epist. 207. inter Epistol. Cal.

Epist. 40. ibidem.

Pergit Caluinus. *Atqui*, inquit, *vt cum vera Ecclesia nos sentire probemus, à Prophetis & Apostolis incipere conuenit: deinde illis aggregandi sunt, quorum nota & testata est pietas.* Digna sanè Caluino inuenta ratio est, qua probare quis possit se cum vera Ecclesia sentire. Primùm, Scripturas ipse Propheticas & Apostolicas suo sensu, suo iudicio, suo ingenio, nulla consulta Ecclesia, nullis auditis Pastoribus, Doctoribus, Magistris, legat, exponat, intelligat: hoc est enim *à Prophetis & Apostolis incipere*; & quid illi dicant, primùm & ante omnia videre. Tum *aggreget ipse sibi, quorum nota est pietas*, id est, quos pariter cum ipso insanire in-

Ecclesiasticæ vnitatis probandæ ratio Caluiniana euertitur.

re intellexerit. Neque enim huiusmodi Scripturarum indagator ac interpres alios pro pijs agnoscet, quàm quos cum ipso sentire aduerterit. Ita tot erunt de fide sententiæ, quot ingenia superba, quot priuata & pertinacia iudicia. Hic est modus Caluino dignus, cuilibet hæretico idoneus, non quo cum vna, Sancta, Catholica Ecclesia (qualem in Symbolo profitemur omnes) sentire se quispiã probet; sed quo singulariter quisque sapiat, & vel sectam sibi propriam quisque colligat, qui astutia & ingenio valet, vel sectæ cui volet quisque adhæreat, si ad nouam fabricandam idoneus non est. Nunc quid preclaro huic suo inuento attexit Caluinus, aduerte: *Si à nobis* (inquit) *dissidet Papa cum suo clero, non est quòd magnopere simus anxij.* Sanè posita illa, quam statuit, probandi ratione, nõ est quòd quisquam anxius sit, si totus ab eo mundus dissentiat. Habet quippe iuxta illam rationem vnusquisque penes se, sentiendi quid velit, aggregandi ad se quos velit, vel sese alijs aggregandi quibus velit, liberrimam potestatem. Tenemus nunc veram iuxta Caluinum rationem, cur totius Ecclesiæ Catholicæ Patrum & Doctorum omniũ, qui vnquam in Ecclesia Christi claruerunt, sensum atque consensum tanto supercilio, tamque fastuosè, omnes hodie hæretici ex alto despiciũt. Sed an hoc est cum vera Ecclesia sentire? An non hoc potiùs est,

Schismatum hodie propria causa

Ecclesiasticæ vnitatis tenendę vera ratio.

quemque sibi suam Ecclesiam fabricare? Qui cum vera Ecclesia sentire vult, ipsius veræ Ecclesiæ iudicium priùs audire ac postea credere eum oportet. Ecclesiam in terris constituit Christus. Dedit sicut primùm Apostolos, sic in omnem ætatem, *donec omnes occurramus in agnitionem Filij Dei, Pastores, Doctores, Præpositos, qui peruigilant pro animabus nostris.* Illos misit *prædicare Euangelium omni creaturæ.* Illos *tanquam seipsum audiri* iussit. Hæc missio vt non solùm perpetua sed & certa ac conspicua fieret, certo symbolo, *per impositionem manuum* (non quorumlibet, sed) *presbyterij*, id est, vt ipse Caluinus agnoscit, *non nisi Pastorum*, sanè non nisi Episcoporum, qui Apostolis hac in parte successerũt, vt praxis Apostolica, totiusq; deinceps Ecclesiæ, ad oculum demonstrat. Qui horum Pastorum & Episcoporum legitimè missorum, & ab vnitate, in qua missi sunt, non recedentium, sensum & consensum sequitur, ille luculenter probauit, docuit, demonstrauit, se cum vera Ecclesia sentire. Istud Caluini hîc toxicon Antidotum apponere operæ precium duxi.

Ephes. 4. Hebr. 13. Matthæi 28. Luc. 10.

1. Tim. 4.

Instit. lib. 4. cap. 3. num. 16.

CAP.

CAP. XXVII.

24. *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.*

QVAERIT hîc Caluinus quatenus impijs prosit Sanctorum integritas. Et quum alias causas inquirat, eorum vel intercessionem vel merita impijs prodesse nullo modo patitur. Sed nec ad aliquas Pauli preces horum hominum vitam Paulo Deum dedisse libenter agnoscit. *Potest*, inquit, *fieri vt Dominus sponte eius preces anteuerterit.* Tum addit, *benedictionem ad indignos extendi, qui aliquo societatis nexu fidelibus sunt coniuncti: sicuti Sodomæ pepercisset Deus, si decem iusti illic reperti fuissent.* Tandem ob certas causas, *Deum in gratiam fidelium malis & reprobis benefacere, vt aliqua gratia ipsis fidelibus præstetur ab impijs, quo respectu domum Putipharis propter Ioseph Deus benedixit: vel ad suæ gloriæ commendationem, vt hîc propter Paulum multos seruauit, vt inde eluceret Euangelij maiestas.* Atq; hæ sanè causæ improbandæ non sunt. Sed verò aut meritis aut intercessioni Sanctorum aliquid à Deo tribui non ferens Caluinus, sic in Catholicos incurrit: *Tollenda est hîc Papistarum superstitio, qui dum audiunt in gratiam piorum malis benefieri, illos somniant mediatores, qui meritis suis mundo salutem impetrent.* Hoc

Catholicorum iudicium superstitioni esse affine quomodo probat Caluinus? *In eo*, inquit, *bis stulti sunt & præposteri, quòd hæc viuorum elogia trahunt ad mortuos, nec aliter quàm eorum intuitu Deum sibi fore sperãt propitium.* Quid ergo? De Sanctis saltem viuentibus hoc cõcedit Caluinus? De illis vafer hæreticus nec negat nec affirmat, quum de Paulo viuente hæc quæstio mota sit, sed ad mortuos disputationem vertit, quod facilius reprehendi posse putabat. Nos verò tam viuentibus hic Sanctis, quàm cum Christo in cœlo regnantibus, imò magis istis quàm illis, hanc à Deo gratiam fieri orthodoxè asserimus, *non quidem vt meritis suis salutem mundo impetrent*, quasi salutis hominum authores aut mediatores qualis Christus erat, (qui Caluini sensus esse videtur) sed vt meritis ac precibus suis varia mundo beneficia impetrẽt, veluti intercessores, & hoc quidem nomine mediatores. Sanctis autem in cœlo regnãtibus hoc magis & potius tribuimus, propter maiorem illorum in cœlo erga nos charitatem, & maiorem apud Deum fauorẽ ac gratiam. Nec hæc nostra hodie speculatio aut adinuentio est, sed à maioribus nostris, à doctissimis Ecclesiæ Patribus hanc doctrinam accepimus. *Si Paulus quum hic esset* (ait S. Chrysostomus) *vsque adeò dilexit homines, vt cùm dissolui & esse cum Christo cupiuerit, tamen hic esse elegerit; multa magis illic feruentiorem amorem ostendet.* Idem de S.

Caluini astutia.

Sanctorũ pro nobis intercessio defenditur.

Hom. vlt. in Epist. ad Rom.

de S. Stephani charitate colligit S. Hieronymus in libro aduersus Vigilantiũ. S. quoque Cyprianus in lib. de mortalitate, *Sanctorum in cœlo turbam de sua iam incolumitate securam, de nostra salute sollicitam esse* scribit. Quam sententiam, vt pietati consonam, citat Beatus August. de prædest. Sanct. cap. 14. Quod autẽ addit Caluinus, *nõ aliter quàm Sanctorum intuitu Deum nobis fore propitium*, nos sperare, putidum est sed Caluino solemne mendacium. Illud quidem medium accipimus, sed non illud solùm; imò nec veluti primarium, sed veluti secundarium.

Cal. putidũ mendacium.

Sed hoc suum tam putidum mendacium probare vult. Audiamus. *Ideoque* (inquit) *patronos sibi asciscunt*. Vide stupidum insulsi hominis cauillum: Catholici Sanctos in cœlo regnantes patronos sibi asciscunt: ergo non aliter quàm eorum intuitu Deum sibi fore sperant propitium. Quis consequentiæ stupiditatem non videt? Similia tamen cauilla eius turpitudinem magis illustrabunt. Paulus Corinthiorum preces flagitat, vt multitudo precãtium faciliorem ei gratiam ac fauorem impetret. *In quem speramus, quia & adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis*: vbi eos sibi apud Deum adiutores, intercessores, & patronos asciscit. Ergo Paulus non aliter quàm Corinthiorum intuitu Deum se è tribulationibus erepturum sperabat.

Cal. putida collectio.

2. Cor. 1. 11.

rabat. Atqui ſtatim præmiſerat: *Non ſumus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit.* Rurſum, habeo in cauſa forenſi, in negotio apud Principem, in ſtudijs meis literarijs, patronos, interceſſores, mæcenates. An ideo concludes, me non aliter quàm horũ intuitu ſperare vel cauſam obtinere, vel negotium optatum conficere, vel ſtudia proſequi poſſe; aut idcirco omnem in Deo ſpem me abijcere, quia humanis & honeſtis medijs vtor? Quis huiuſmodi cauillatorem è roſtris, è tribunalibus, è ſcholis non exſibilet? Huiuſmodi tamen, & non alia, ſunt contra religionem Catholicam ipſius Caluini argumenta, qui cæteris acutior, callidior, diligentior, non ſine cauſa habetur.

Merita Sanctorũ Dei bonitatem gratuitã non obſcurãt.

Sed habet adhuc alia quæ nobis obijciat cauillator iſte ſtrenuus. *Omitto* (inquit) *quòd Sanctorum merita extollendo, gratuitam Dei bonitatem obſcurant.* Putidum quoque & iſtud. An quum Scriptura de Dauide dicit, *Inueni Dauid virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*; aut Lucas quum de Zacharia atque Elizabetha diceret, *Ambo erant iuſti coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela*; aut Paulus quum de ſe ipſo ita ſcriberet, *Bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, curſum conſummaui; reposita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die*

Act. 13.

Luc. 1.

2. Tim. 4.

illa die iustus Iudex; aut denique Propheta quum in persona Dei diceret, *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum*; omnibus istis in locis quia merita Sanctorum prædicantur, ideo Scripturæ, illa extollendo, gratuitam Dei bonitatem obscurant? Quis, nisi profanus, impius, & atheus quispiam, Sanctorum virorum meritis Dei gratuitã bonitatem obscurari dixerit? Quis nõ potiùs Dei gloriã & gratuitam bonitatem illis maximè illustrari dixerit? Meminisse Caluinus debuit quod in Euãgelio Christus dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*. Merita Sanctorum Deum glorificant, eius gratuitam bonitatem illustrant, non obscurant. Sanè quia omnia Sanctorum merita, omnia iustorum bona opera à gratuita Dei bonitate, ab eius gratia præueniente, adiuuante, & perpetuò cooperante ortum suum, progressum, & perseuerantiam accipiunt. Sed impius Caluinus, cæterique Caluinistę omnes, nullam aliam gratuitam Dei bonitatẽ agnoscunt quàm in sola remissione peccatorum, & hanc per Sanctorum merita obscurari volunt. Quasi verò gratuita Dei bonitas, seu (vt Paulus) *gratia Saluatoris nostri Dei apparuisset hominibus* ad solam remissionem peccatorum, ac non multò magis ad totius vitæ

Esaiæ 37.

Matth. 5.

Gratuita Dei bonitas non in sola remissione peccatorum consistit.

Tit. 2.

nouam sanctitatem ac puritatem instituendam, de qua mox subiungit: *Erudiens nos, vt abnegantes omnem impietatem & secularia desideria* (idque non voto tantùm, studio & conatu inani, per quam rimam effugere vult Caluinista, sed de facto) *sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Viuamus de facto; veram de facto sobrietatem, iustitiam, pietatem colamus. Ad hoc *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus.* Hæc est gratuita Dei bonitas, vt facta remissione peccatorum, facta veteris vitæ depositione, facta omnis impietatis abnegatione, bonis operibus insudemus, sobriè, iustè, ac piè viuendo. Hæc gratuitam Dei bonitatem non obscurant, sed illustrant. Hæc quò magis extolluntur, prædicantur, & à Deo remunerantur, eò magis gratuita Dei bonitas, omniũ illorũ radix, fomentũ, incrementũ, extollitur & illustratur. Catholicorum igitur circa Sanctos inuocandos, aut eorum patrocinia, pietatem tota hæc Caluini cauillatio non sustulit; sed cauillatoris variam vanitatem magis ac magis aperuit.

CAP.

CAP. XXVIII.

11. *Nauigauimus in naui Alexandrina, cui erat insigne Castor & Pollux.*

NE nihil in hoc vltimo capite, vnde Catholicam religionem infestet, diceret Caluinus, ex huius nauis insigni causam arripit; & gentilitiam superstitionem Catholicis Christianis impingit. *Superstitio*, inquit, *inter nautas Gentiles inualuit, exhalationes igneas, quæ in tempestatibus se ostendunt, Castorem hunc & Pollucem esse. Itaque dij marini olim creditisunt & inuocati: sicut hodie Nicolaus, & Clemens, & similes. Imò, vt in Papatu, mutatis tantùm nominibus, retenti sunt vetusti errores; hodie exhalationes illas sub nomine S. Hermis vel S. Ermi adorant.* Hæc ille hoc loco. Hoc eius in hunc librum Apostolicum postremum toxicum est. Quod quia vulgare Protestantum hodie iaculum est, quo Catholicos petunt, dum ad gentilitiam superstitionem speciale hoc Sanctorũ patrocinium magno apud suos applausu referant, eius ineptiam ac futilitatem paucis docebo. Ad Caluini igitur putidam hoc loco cauillationem quod attinet, nec vlli Sancti veluti dij marini aut dij terrestres à Catholicis coluntur (purum putum mendacium hoc est) nec huiusmodi exhalationes (vt adhuc impudentiùs mentitur) à Catholicis adoran-

Caluini putida mẽdacia.

adorantur. Catholicorum, inquam, doctrina aut Ecclesiæ Catholicæ religio hoc non habet: quæ nisi à priuata cuiusque superstitione distinguatur, nulla erit in orbe Ecclesia, nullus piorum cœtus, qui variæ superstitionis, stultitiæ, ac dementiæ redargui non possit. His igitur putidis mendacijs prætermissis, expendamus quod in genere homo nefarius toti Ecclesiæ Catholicæ impingit. *In Papatu*, inquit, *mutatis tantùm nominibus, retenti sunt vetusti errores*: gentilitij videlicet, vt pro Castore & Polluce Nicolaus & Clemens veluti dij tutelares marini in Papatu colantur; itemque ad alios vsus alij Sancti. Putidum hoc est Protestantum hodie omnium contra Christianam religionem cauillum: esse Christianos gentilitiæ superstitionis æmulos, in vario peneque toto externo cultu. Sed illud cauillum si quam vim haberet, omnem nobis religionem idem è manibus excuteret. Istud enim si quicquam valet, igitur nec beatitudo cælestis nec pœnæ infernales absque superstitione credũtur, quia gentilis superstitio Elysios sibi campos & tartara confinxit. Nec vel aquæ baptismalis vel panis ac vini Sacramenta, nec festa, nec ieiunia, nec martyres, nec virgines Ecclesia Christi habere debet, quia gentilis superstitio non Sacerdotes modò ac sacrificia, templa & altaria (quibus se commodè carere posse arbitrantur Protestantes) sed & suam panis oblationem, suum baptismum, sua festa & ieiunia, suas

Gentilitię superstitionis æmula Catholica Ecclesia non est.

Gentilis superstitio totius veræ religionis æmula.

suas Vestales, suos Decios ac Scæuolas habuerunt. Audiantur antiquissimi Patres: *Diabolus res Sacramentorum in idolorum mysterijs æmulatur. Tingit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos. Signat in frontibus milites suos. Celebrat panis oblationem. Habet & virgines, habet & continentes. Denique in Romanis illis sacerdotalibus officijs, insignibus, & priuilegijs, morositatem illam Iudææ imitatus est.* Hæc ibi. Adhuc alio in loco: *Omnia aduersus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem spiritibus erroris. Ab ijs adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ exorta, ab ijs quædam etiam fabulæ immissæ, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis. Itaque & ridemur Deum prædicantes iudicaturum. Sic enim & Pœtæ & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, perinde decachinnamur. Sic enim & Perephlegeton apud inferos amnis est. Et si paradisum nominemus, Elysij campi fidem occupauerunt.* Legi huiusmodi plura possunt apud Eusebium Pamphili in Præparatione Euangelica, apud Hieronymum contra Iouinianum lib. 2. & apud Iustinum martyrem in Apologia 2. & apud S. Augustinum de Ciuit. Dei, & contra Faustum. Atqui (vt appositè scribit Damascenus) *Non oportet, propter absurdum Gentium morem, pium Ecclesiæ institutum auferre. Sicut veræ virginitati* (ait B. Hieronymus) *non præiudicat imitatio virginum diabolicarum, nec veris ieiunijs Cossorum Isidis & Cybeles; & sicut signa quæ faciebat Moyses, imitabantur signa Ægyptio-*

Tertul. in lib. de præscript.

In Apologet. c. 47.

Lib. 4. c. 7

Lib. 10. c. 4.

Lib. 20. c. 21.

Orat. 2. de Imaginibus. Loco citato.

Ægyptiorum, sed non erant in veritate: sic per omnia quæ in æmulationem Dei facit diabolus, non religionis nostræ superstitio, sed nostra arguitur negligentia, id facere nolentium, quod bonum esse etiam seculi homines non ignorant. Nempe (vt alibi scribit Tertullianus) *Quantum Deo sanctitas placet, cùm illam inimicus affectet! Non vtique vt alicuius boni affinis, sed vt Dei Domini placita cũ contumelia affectans.* Vnde & B. Augustinus: *Qui Christianas*, inquit, *literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templum, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quòd hæc idolis & dæmonibus exhibent.* Et paulò pòst: *Cùm hæc exhibentur Deo, secundùm eius inspirationem atque doctrinam, vera religio est: quum autem dæmonibus, secundùm eorum impiam superbiam, noxia superstitio est.* Totum igitur hoc arguendi genus; Gentilitius error hoc tenuit, ergo in Christiana religione recipiendum non est; firmum ac certum non est, sed diligenti distinctione opus habet. Quod vt in re præsenti faciamus, speciale istud patrocinium Sanctorum & certæ procurationes tribus modis Sanctis in cælo regnantibus assignari possunt. Vno modo, tanquam illius patrocinij aut illorum beneficiorum proprijs authoribus, & quasi per se ac virtute propria subuenientibus. Hoc modo Ethnici Deos suos tutelares sibi finxerunt; ideoque vt Deos venerabantur, non solùm superstitiosè, sed etiam idololatricè. Alio modo, quòd

Lib. 1. ad vxorem.

Epist. 49.

Sanctor. speciale patrocinium & certę procurationes explicantur.

Triplex superstitio in SS. cultu speciali cauenda.

quòd sic sunt speciales patroni vel certi loci, vel ad certum effectum, vt nec alio loco nec ad alium effectum iuuare possint. Hoc quoque ad ethnicam superstitionem pertinet, vt describit Augustinus de Ciuitate Dei. *Si duas* (inquit) *nutrices qui squa adhiberet infanti, quarũ vna nil nisi escam, altera nil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhibuerunt Deas, Educam & Potinam; nonne planè despere & aliquid mimo simile agere in domo sua videretur?* Hæc ille. Tertio modo, assignando Sanctis procurationes viles, & circa-meterè temporalia, vt curare equos, seruare anseres, tueri canes, segetes aut alios fructus conseruare: quod etiam ad superstitionem gentilitiam pertinet, *qui numinum suorum officia viliter minutatimque concisa habebant*, vt ibidem ait Augustinus; *quum interea nullos Deos haberent, à quibus vita æterna poscenda esset.* At nihil horum in Sanctorum specialibus patrocinijs locum habet. Nam non vt authores beneficiorum, sed vt intercessores, idque per Christum, in patronos assumuntur; nec ita certo vel loco vel effectui designantur, vt ei soli vacent: vnde S. Ambrosius de S. Nazario martyre: *Licet hic Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, tamen omnium est communione suffragij. Neque enim istius vrbis charitas prostua aut fides auara tantum huic martyri derogauerit, dum sibi arrogat vt solùm erga mœnia sua patrocinij illius beneficia affutura esse crediderit.* Hæc ille. Idem habet serm. 77. Nec vllus Catholicus

Libro 8. cap. 3.

Serm. vlt.

tholicus vel populus vel priuatus eo sensu Sanctum patronum colit, vt vel sibi soli, vel ad vnicum effectum, eum vacare existimet. Nec postremò ad vilia officia, sed tantùm ad spiritualia beneficia, vel ad temporalia inquantum ad spiritualia ordinantur, vt sanitatem & rerum necessariarum subsidia, vt tantò vel liberiùs vel faciliùs Deo inseruiatur, Sanctos sibi in patronos Catholici assumunt. Si secus alius faciat, ab Ecclesia Catholica improbatur, & à superstitioso cultu diligenter abducitur, si tamen officium Pastor aut Episcopus facit. Alio adhuc modo speciales istæ & certæ procurationes specialibus Sanctis assignari possunt (remota triplici superstitione prædicta) iusta aliqua & graui mediante causa, etiam ex priuata cuiuslibet fidelis in certum Sanctum deuotione: quæ videlicet oriatur vel ex aliqua illius Sancti singulari virtute quam imitari desiderat, vel ex similitudine vitæ & vocationis quam in terris ille Sanctus agebat. Ex qua consideratione S. Augustin. Nebridium amicum doctum recenter defunctum, & Gregorius Nazanzenus S. Basilium familiarem suum & coëpiscopum receter etiam defunctum, veluti speciales patronos absq; vlla superstitione inuocauerunt. Oriri quoque illa deuotio potest, vel propter miracula & opitulationes varias à tali Sancto in hoc vel illo genere factas, vel propter ipsorum

Patrocinij specialis Sanctorū vera ratio.

August. Confess. lib. 9. c. 5.

Nazanz. in Monodia.

rum Sanctorum corpora aut alias reliquias tali loco seruatas. Sic B. Augustinus docet, *defunctorum animas Sanctis Martyribus quasi patronis commendari, in quorum templis sepeliuntur.* Libro de cura pro mort. ger. cap. 4. Sic S. Basilius de 40. martyribus Cæsareensibus, quorum ille Episcopus fuit: *Hi sunt qui nostram obtinētes regionem, quasi quædam turres contra aduersariorum incursum refugium habent.* In Orat. de 40. martyribus. Sic de S. Felice Nolano Presbytero & martyre B. Augustinus libro citato scribit: *S. Felix confessor Nolanæ ciuitatis, suis Nolanis, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, non solùm beneficijs, quæ multa eis conferebat, sed etiam conspectui eorum se obijciens, veluti defensor eorum & propugnator adstitit.* Cap. 16. Vnde & Sanctus Paulinus, Nolanus Episcopus, eum veluti suum patronum atque custodem multis versibus celebrat, & in sermone 3. de Natali eius. Sic SS. Iuuentium & Maximum martyres Antiochiæ sepultos Sanctus Chrysostomus, Presbyter tum Antiochenus, vocat *illius loci columnas, scopulos, & turres, & candelabra*, propter singulare eorum patrocinium. Serm. in eosdem. tom. 3. Sic S. Ambrosius *peculiares Mediolani patronos priuilegio sepulturæ* vocat SS. Geruasiũ & Protasiũ martyres, quorũ corpora ipse per reuelationem inuenit. Serm. vlt. & epist. lib. 10 ep. 85. Peculiares igitur patronos, certos in cœlo Sanctos sibi ascisce re, nec gentilis error nec popularis superstitio est, sed à sanctissimis ac doctissimis Ecclesiæ Patribus approbata & vsitata religio. Tota

autem Caluini cauillatio partim ex maledicentiæ spiritu, partim ex gentilitiæ & Satanicæ affectationis antedictæ ignoratione, profecta est. Cui istud breue Antidotum opposuisse, huic loco & instituto sufficere posse videtur.

Fuit in suis ad Acta Apostolorum commentarijs valde prolixus, accuratus, & Catholicæ Ecclesiæ maledicendi auidissimus Caluinus: quò à nobis eum & prolixiùs & operosiùs refutari necesse fuit. Nec laboris iam exacti pœnitebit, si ad veritatis orthodoxæ puritatem à tam varijs & fœdis corruptelis vindicandam aliquid ex eo vel lucis vel roboris accesserit. Quod tametsi bene confido, eius tamen rei iudicium viris pijs & doctis, atque inprimis Ecclesiæ Catholicæ Magistris ac Pastoribus, relinquo.

Laus Deo, qui dedit velle, & dedit perficere.

TEXTVS ACTORVM APOSTOLICORVM,

qui in his Antidotis contra venena hæretica explicantur & tractantur.

Cap. 1. 15. EXurgens *Petrus in medio fratrum, dixit.*

Cap. 2. 1. *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.*

23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.*

27. *Non derelinques animam meam in inferno.*

37. *His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt: Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*

Cap. 3. 1. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

12. *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?*

19. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*

21. *Quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium.*

22. *Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me. Ipsum audietis iuxta omnia quæ loquutus fuerit vobis.*

23. *Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.*

Cap. 4. 4. *Factus est numerus virorum quinque millia.*

12. *Non enim est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

19. *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate.*

20. *Non enim possumus quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.*

32. *Erant illis omnia communia.*

Cap. 5. 15. *Vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & sanarentur omnes à languoribus suis.*

29. *Oportet obedire Deo magis quàm hominibus.*

38. *Discedite ab hominibus istis, & sinite illos.*

Cap. 6. 3. *Considerate, fratres, viros ex vobis, &c. quos constituamus super hoc opus.*

Cap. 7. 6. *Seruituti eos subijcient, & malè tractabunt annis 400.*

22. *Eruditus est Moyses in omni sapientia Ægyptiorum.*

Et susci-

43. *Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare eas.*

48. *Sed non excelsus in manufactis habitat.*

51. *Dura ceruice, & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui S. restitistis, sicut & patres vestri.*

Cap. 8. 13. *Tunc Simon & ipse credidit, & baptizatus fuit, & adhærebat Philippo. Videns etiam signa & maximas virtutes fieri, stupens admirabatur.*

14. *Miserunt ad eos Petrum & Ioannem.*

15. *Qui cùm venissent, (Petrus & Ioannes) orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum S.*

16. *Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine*

17. *Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.*

20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri.*

22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

37. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.*

Cap. 9. 6. *Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?*

12. *Et vidit virum Ananiam nomine introëuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat.*

17. *Imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus mi-*

nus misit me Iesus, &c. vt videas, & implearis Spiritu Sancto.

32. Factum est autem vt Petrus, dum transiret vniuersos, deueniret ad sanctos qui sunt Lyddæ.

37. Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cœnaculo.

Cap.10. 4. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

34. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

37. Post baptismum quod prædicauit Ioannes.

43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.

44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus S. super omnes qui audiebant verbum.

Cap.11. 3. Quare introisti ad viros præputium habentes,

4. & manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem.

26. Vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.

Cap.12. 3. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum.

15. At illi dicebant: Angelus eius est.

23. Confestim autem percussit eum Dominus, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.

Cap.13. 2. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus, &c.

2. Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod

3. *ad quod assumpsi eos. Tunc orantes & ieiunantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos.*

11. *Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus.*

12. *Tunc Proconsul, quum vidisset quod factum est, credidit, admirãs super doctrina Domini.*

15. *Post lectionem Legis & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo ad exhortationem, dicite.*

22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

27. *Qui habitabant Hierusalem, & Principes eius, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.*

38. *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.*

39. *In hoc omnis qui credit, iustificatur.*

48. *Et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.*

Cap. 14. 12. *Sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas offerens, cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt*

13. *Apostoli, Paulus & Barnabas, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes:*

14. *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.*

15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas.*

22. *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.*

Cap. 15. 1. *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari.*

6. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.*

10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?*

11. *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad eum, sed scribere vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine.*

24. *Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.*

27. *Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.*

28. *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis.*

28. *Nihil vltrà vobis oneris imponere, quàm hæc necessaria.*

29. *Vt abstineatis vos ab immolatitijs simulachrorum, &*

rum, & à ſuffocato & ſanguine.
30. Congregata multitudine, tradiderunt epiſtolam.
Cap.16. 3. Aſſumptum Timotheum circuncidit Paulus, propter Iudæos qui erant in illis locis.
4. Cùm pertranſirent (Paulus & Barnabas) ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & Presbyteris qui erant Hieroſolymis.
17. Puella quædam habens ſpiritum Pythonem, ſubſecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annũciant vobis viam ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui, dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea.
20. Et offerentes eos Magiſtratibus dixerunt: Hi omnes conturbant ciuitatem noſtram, cùm ſint Iudæi.
21. Et annũtiant morem quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere, cùm ſimus Romani.
31. Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris tu, &
32. domus tua. Et locuti ſunt verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius.
Cap.17. 2. Per ſabbata tria diſſerebat eis de Scripturis.
11. Qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes Scripturas ſi hæc ita ſe haberent.
29. Genus cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile.

Cap.18. 18. *Qui sibi totonderat in Cenchræis caput: habebat enim votum.*

Cap.19. 5. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

13. *Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Iesu.*

18. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.*

23. *Facta est illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Diana, præstabat artificibus non modicũ quæstum.*

Cap.20.21. *Testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*

26. *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.*

28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

Cap.22.14. *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius.*

16. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu.*

Cap.23. 4. *Qui astabant, dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis?*

6. *Sciens Paulus quia vna pars erat Sadducæorum,*

rum, altera Phariſæorum, exclamauit in Concilio.

Cap. 24. 14. *Confiteor hoc tibi, quòd ſecundùm ſectam quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio patrio Deo, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt.*

Cap. 26. 6. *Et nunc in ſpe quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto iudicio ſubiectus.*

7. *In quã duodecim tribus noſtræ nocte & die deſeruientes ſperant deuenire.*

Cap. 27. 24. *Ecce, donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.*

Cap. 28. 11. *Nauigauimus in naui Alexandrina, cui erat inſigne Caſtor & Pollux.*

FINIS.

INDEX MATERIARVM QVÆ IN ANTIDOTIS *ad Acta Apostolica tractantur.*

A.

ABraham cur ante circũcisionem iustificatus. 188.

Acceptio personarum quæ non cadit in Deum. 168.

Angelorum peculiaris custodia 204.

Angelorum custodia generalis non præiudicat particulari. 206.

Anglo-Caluinistę cur ita dicti. 624.

Antiquitatis Ecclesiasticæ præscriptio defenditur. 448.

Antitrinitarij contra Caluinum Ecclesiæ consensum despiciunt. 289.

Apostoli præceptum promulgant, non hortantur tantùm. 324.

Apostoli aliquot annis Hierosolymis hæserant. 138.

Apostolorum decretum circa idolothyta Paulus non rescidit. 400.

Augustini querimonia contra leges Ecclesiæ nulla. 429.

Augu-

Augustini disputatio ab ipso Caluino prolata figmentum Caluini refutat. 497.

B.

BAptismi efficacia defenditur. 603. & seqq.
Christi sanguini non derogat. 603.
Baptismi institutio & mandatorum obseruatio simul à Christo coniuncta. 251.
Baptismi efficaciæ Cornelij priuilegium nil derogat. 187.
Baptismũ esse nudũ signũ verbo negat, re fatetur Caluinus. 612. signum etiam fallax. 612.
Baptismus in nomine Christi. 27.
Baptismum cum Christo habere communem nemini licet. 530.
Barnabam Pauli socium ordinatum fuisse non Lucam. 305.
Beneficia Ecclesiastica cur vendi nequeant. 100
Bezæ futilis cauillatio. 5.
Bezæ impietas Caluinianæ conformis. 12.
Beza facit Deum authorem peccati. 12.
Beza textus sacri corruptor. 16. 40. 207. 303. 434
Beza Græci sermonis proprietates dissimulat, quum pro veritate orthodoxa faciunt. 43. 214. 550.
Bezæ blasphema & ridicula disputatio refellitur. 216.
Beza Apostolicam χειροτονιαν pro tyrannide habet. 307.
Beza Caluinum corrigit. 308. 524.
Bezæ vocatio nulla. 308. & seqq.

Bezæ stolida deprauatio refutatur. 526.
Bezæ arrogantia. 529.
Bezæ selecta ex multis certissimis ratio, mera dementia. 530.
Bezæ manifestum maleficium. 540.
Brentij inepta cauillatio. 180. Putida calumnia. 184.
Bullingeri fœda corruptela. 172. Futilis collectio. 232.

C.

COEna Caluinistica sacrilega & pestifera. 416.
Caluinus sacri textus corruptor. 4. 16. 24. 141. 238. 301. 334. 335. 338. 423. 456. 521. 609. 615. 616.
Caluini calumniæ in Catholicos, & doctrinam eorum. 30. 34. 96. 100. 143. 146. 179. 184. 199. 226. 232. 248. 279. 280. 412. 427. 444. 515. 516. 562. 574. 598. 601. 621. 645. 646. 651. 652.
Caluinus ex seipso refutatur. 70. 73. 114. 115. 153. bis. 157. 186. 246. 340. 388. 390. 439. 442 486. 546. 607. 611. 612. 616. 617.
Caluini stolidæ disputationes. 115. 133. 141. 192. 199. 232. 279. 280. 283. 293. 341. 391. 394. 412. 453. 462. 544. 601. 629. 630. 635. 636. 647. 648.
Caluini astutia & vafricies varia. 11. 50. 175. 178 259. 267. 313. 365. 404. 418. 492. 500. 515. 522. 554. 607. 646.
Caluini effugium duplex circa Deum peccata decernente. 9. & 10. Blasphemia in Deũ. 10.

Astu-

Astuta euasio reijcitur. 11. 85. Putidum mendacium. 26. 200. 258. 467.
Caluinus pœnitẽtiam duplicem confundit. 25. B. Stephano contradicit. 71.
Caluini Iudaismus 47. Superbia Luciferiana. 349. Incredulitas. 53. Pruritus. 100. 102. Duplex mendacium. 141. Tyrãnis. 196. 212. Antitheses dissolutæ. 514.
Caluinus non sophista, sed apertè impudẽs. 77.
Caluinus in disputando principium petit. 85. Sacræ Scripturę apertè cõtradicit. 499. 507.
Caluini olla fictilis circa fidei virtutem comminuitur. 119.
Caluini insciti a circa gratiã & liberũ arbitriũ refutatur. 129. Odium in primatũ Petri. 136. Crassa inscitia historica. 376.
Caluinianæ electionis sigillum. 274.
Caluinus suis repugnantijs lectorem ludificat. 164. 165. 166.
Caluinus suas proprias nequitias designat. 583. & seqq.
Caluini blasphemia in baptismi formã à Christo institutam 179. Item in baptismi effectum 184. In Christi Ecclesiã. 283. & seq. In Christi gratiam ad legem implendam. 345. 346.
Caluini in Rom. Pontificem fœdæ & putidæ calumniæ absterſæ. 30. 193. & seqq. 477. 544.
Caluinus Scripturis se non submittit, sed eas inter se committit. 205. pugnantia docet. 302. 390.
Caluinus in Herode suam plagam ac mortem descri-

describit.209. Lutheranos de reiecta Ecclesia accusat.287. Ecclesię perpetuitatem contra Seruetum tuetur.295. De vocatione Ministrorum orthodoxam sententiam confitetur.299. Quæstionem in Concilio Apostolico tractatam penitus inuertit. 312. Illa inuersio refutatur.314.
Caluinus & Pelagius comparantur.344.
Caluini resolutio circa legis iugum carni suauissima.358.
Caluinistæ Iudaicã adhuc seruitutem seruiunt. 369. & legum Ecclesiasticarum contemptores rectè accusantur.419.
Caluinistica secta seditiosa.445.
Caluini larua detrahitur.449.
Caluinus veneficus artificiosus.452.
Caluini triumphus à puero ridendus. 464. inexplebilis virulentia.464.
Caluino nullum mẽdacium satis crassum.467.
Caluinus primis Protestantibus subtilior esse volens, fit nequior.509.
Caluinus verba textus corruptelæ suæ aduersantia non tractat, sed dissimulat.523.
Caluini pulchra ratio à Beza sic adamata quàm fœdum errorem secum trahit.513.
Caluini in clerum calumnia in omnes Christianos cadit 546.
Caluini declamatio cõtra clerum Catholicum in Caluinistas reiorta.226.
Caluini verbis bonis venena porriguntur pessima.570.571.577.

Caluini

Caluini verba in sensu apparenti inhærentem iustitiam probant, imputatiuã tollunt. 580.
Caluini variæ artes variis exemplis ad oculum ostensæ. 583. 584. 585. 586. 587. 588.
Caluini ridicula accusatio. 595.
Caluinus Episcopi vocabulum non ferens, possessiones ambiuit. 595.
Caluinus instar leporis agitati varia diuerticula casso labore quæritat. 610. & seqq.
Caluinus contra apertam Scripturam sua somnia obtrudit. 614.
Caluini scurrilis debacchatio retunditur. 621.
Caluini ars crimen in alios deuoluere, cuius ipse sibi conscius. 624.
Caluinus Lutheranos de reiecta Ecclesia accusat. 287.
Caluinus nihil probat, rixatur tantùm. 406. Eius maledicentia. Ibidem.
Calumnia in Papam diluitur. 30. Alia in Catholicos omnes. 34.
Cantus Ecclesiasticus Scripturarum in Ecclesia tractationem non excluſit. 233.
Catholicum cognomen. 198.
Ceremoniæ in Ecclesia Christiana. 243.
Ceremoniæ legales ad religionem Christianam translatæ. 29. 517.
Ceremoniæ legales non omnes abolendæ. 144.
Certitudo gratiæ Caluiniana euertitur. 105.
Charitas imperfecta non secus iustificat quàm fides imperfecta. 118.
Charitatis & fidei collatio. 173.

Chemnitius examinis sui arrogantiam tuetur. 379.
Christianæ religionis vetustas à veteris Testamenti Patribus non est petenda. 601.
Christianismum tollit Caluini disputatio. 285.
Christiani presbyteri Antiochiæ sacrificarunt. 215.
Christianos Iudæis ridendos Caluinus propina. 51. 543.
Christianos Paganis cæciores Caluinus facit. 281.
Christianorum hostis Caluinus. 143. 543. 546.
Christianorum nuncupatio vnde & qualis. 197.
Christi institutio, non actio, ad imitationē nos obligat. 531.
Christi mortem sola fide non tenemus. 257.
Christi vita non fit per fidem nostra. 272.
Christus in cœlo & in Sacramento. 40.
Christus Prophetā à Mose prædictus. 42.
Christus solus quomodo salutis causa. 54. 570. 571.
Cibos lege vetitos quomodo Christianis permittit Paulus. 422.
Collegia seniorum Caluiniana, & Cōsistorium Geneuense. 596.
Commentarij Caluini quid lectori porrigant. 155.
Concilia veterum Episcoporum hæretici hodie ad placitum admittunt. 317.
Concilia vetera Patrum vestigijs rectè insistebant. 284.

Concilij

Concilij Apostolici decretum per se & ex se validum & irrefragabile.380.
Confessionem publicam priuata præcessit.560.
Confessionis Sacramentalis testes ex tota antiquitate.548.
Confessionis priuatæ testimonia.561.
Confessio peccatorum in prima Ecclesia.547.
Confirmationis Sacramentum latè astruitur & defenditur.88.
Confitendi necessitas ex peccatis oritur & lege Christi, non ex lege Papæ.558.
Conscientiæ Catholicorum non relinquuntur in suspenso.163.
Controuersiæ de fide in Concilijs Episcoporum terminandæ.316.
Controuersiarum de religione quæstiones hodie quales.97.145.247.337.394.449.
Cornelij opera ante baptismum qualia.148.
Cornelius quum ab Angelo visitaretur, Christi fide imbutus non erat.151.
Cornelius cur ante baptismum Spiritum S. accepit.188.

D.

DAuid quomodo fecit voluntatem Dei peccans in multis. 235.
Decreti Apostolici author Spiritus S.382.
Decreti Apostolici stricta obseruatio.397.
Definitio Apostolica absque scripto Dei verbo facta.381.
Dei consilio quomodo Christus traditus.14.

Dei decretũ circa peccatum duo absurda consequuntur.9.
Dei dona fiunt virtutes nostræ.156.
Dei electio (iuxta Caluinum) Ecclesiæ electionem debet præcedere.221.
Dei electio qualis sit iuxta Caluinum.222.
Dei potentiæ Caluini doctrina derogat.351
Dei vocationi Ecclesiæ segregatio, ordinatio, missio necessariò coniungenda.223. Dei verbum vocant hæretici proprias verbi corruptelas.450.
Dei voluntas permittit mala.6. Et in bonum finem ordinat.7.
Deo iniquitatem Caluinus tribuit, ne potentiæ derogare videatur.353.
Deo nec impossibilitas nec iniquitas tribuenda.352.
Deo prima tribuuntur, vt Ecclesiæ secunda negentur.220.
Descensus Christi ad inferos probatur.16.
Deum ex toto corde diligi, Caluini doctrina demonstrat.313.
Deum in suis simulachris Gentes non coluisse, ex Scripturis probatur.504.
Deus docet per Doctores Ecclesiæ.439.
Deus propinquus rectis corde.440.
Deus peccata nec operatur nec decernit.6.
Deus vult homines tota vita peccare iuxta Caluinum.347.
Diaconorum officium.64. 65.

Dilectio Dei ex toto corde ex Caluini doctrina probatur.115.
Dispositio recta ad recipiendum Euangelium requiritur.261.

E.

ECclesia per suas leges nō dominatur in animas.427.
Ecclesia potest aliqua præcipere extra Scripturas.403.
Ecclesiæ leges non sunt humana commẽta.427.
Ecclesiæ præcepta non omnia ad Dei cultum præcisè ordinantur.426.
Ecclesiæ leges cur hodie multæ.428.
Ecclesiæ vniuersalis testimoniū quale,& quantum valet.181.182.
Ecclesiæ totius contemptum docet Caluinus.243.
Ecclesiæ vocem in Scripturis exponendis audiendam.244.
Ecclesiæ vniuersalis interitum probare contendit Caluinus.283. Affirmant alij.290.
Ecclesiæ authoritas hæreticos hodie variè torsit.286.287.
Ecclesiæ cōseruationem contra Seruetum tuetur Caluinus.295.
Ecclesiæ Christianæ politia.297.
Ecclesiæ Pastores decreti Apostolici authores.385.
Ecclesiæ ministerium à Caluino defensum.391.
Ecclesiæ authoritas populo necessaria & vtilis.410.

Ecclesiæ doctrina cum Dei veritate arctissimo vinculo coniuncta. 472.
Ecclesiæ determinationi cur Catholici deferunt. 475.
Ecclesiæ vniuersalem interitum docens Caluinus, docere se negat. 398. Sed quod id doceat, inuictè probatur. Ibidem.
Ecclesiæ vere argumenta propria. 401.
Ecclesiam nũquam interituram probatur. 293.
Ecclesiasticæ authoritatis contemptus ad Mahometismum ducit. 292.
Ecclesiastica traditio & interpretatio. 465.
Ecclesiasticæ vnitatis probandæ ratio Caluiniana euertitur. 407. Eiusdem vera ratio docetur. Ibidem & seqq.
Efficacis gratiæ in sensu Caluini refutatio. 79.
Electio in hac vita incognita. 270.
Electionis certitudo Caluiniana euertitur. 266.
Electorum vnica fides refutatur. 82.
Episcopi à Presbytero distinctio. 594.
Erasmi Sarcerij glossa ridicula. 383.
Euangelicorum dissipationem ominatur Caluinus 397.
Euangelij in fide fundati adhuc obnoxij erroribus esse possunt. 440.
Exhomologesis confessio sacramentalis tam Latinis quàm Græcis Patribus. 397. 549.
Exorcistarum ordinem Græca & Africana Ecclesia agnoscit, non Rom. tantùm. 543.

Fidei

F.

Fidei adminiculum in baptismo à Caluino positum alia eius doctrina refellit. 612.
Fidei elogia à Caluino asserta Scripturis incognita. 270.
Fidei profectus differt à iudicio de fide. 490.
Fidei solius iustificantis origo. 321.
Fides ac pietas aliqua miraculi causa. 31.
Fides apprehendens, spectrum hæreticorũ hodie. 160.
Fides apprehendens non omnia mutuatur à Christo quæ nobis desunt. 160.
Fides Christi iustitiam recipiens, Caluini figmentum. 258.
Fides electorum vnica refutatur. 82.
Fides Deo & Ecclesiæ data non laceratur. 388.
Fides ex operibus magis æstimatur quam opera ex fide. 159.
Fides implicita quæ & qualis. 458.
Fides in adeundo Deo prælucet. 111.
Fides non est exhibitæ gratiæ receptio. 569.
Fides nominis Christi cur sola à Petro prædicata. 12. 32. 33.
Fides quomodo & quatenus quærenda. 442.
Fides quomodo testis gratuitæ adoptionis. 271.
Fides quomodo coniungit nos Christo. 272.
Fides quomodo cor purificat. 324.
Fides recipiens Christum non est fides iustificans. 120. Est vanum figmentum. 120.
Fides sola non iustificaret, rametsi ex ea opera æstimarentur. 161.

Fides veniam operibus non impetrat. 158. Nec precium operibus adfert. Ibidem.

G.

GAmalielis consilium quale. 62.
GGentilium superstitio. 493.
Gentilium idololatriam crassissimã extenuat Caluinus, vt eam ad imaginum cultum Catholic. transferat. 495.
Gentilitiæ superstitionis æmula Catholica Ecclesia non est. 412.
Gentilis superstitio totius veræ religionis æmula. 413. & seqq.
Gentium varia idololatria ab Augustino descripta. 501.
Gratiæ Dei & liberi arbitrij cooperatio docetur. 122. & seqq.
Gratiæ augmentum cadit sub merito. 153.
Gratiæ paritas cum effectu non pari. 264.
Gratiæ adiutorium ad legem implendam quomodo eludit Caluinus. 340.
Gratiæ adiutoriũ ad totam legẽ implendã. 342.
Gratiæ adiuuantis efficaciam qua arte eludit Caluinus. 345.
Gratia Paulum conuertens qualis. 125.
Gratia sola operatur vt velimus, sed non ipsum velle. 126.
Gratia præueniens voluntatem non determinat. 131.
Gratuita Dei bonitas non consistit in sola remissione peccatorum. 411.

Hæreses

H.

HÆreſes hodiernæ ad atheiſmum ducunt. 285.
Hæreſis indoles propria.378.
Hæreſis fons & cauſa.378.
Hæreſis electio eſt ex proprio iudicio.483.
Hæreſis crimen deteſtabile.400.
Hæreſum laqueis cur multi capiantur.435.
Hæreſum laqueos declinandi remedium Caluinianum refutatur.436.
Hæreſum hodie dogmata carnalia.229.
Hæreſum hodie progreſſus nullum eſt miraculum ad eas confirmandas.229.
Hæreſum hodie progreſſus.282.
Hæreſum omnium fundamentum à Caluino poſitum euertitur.480.
Hæretici hodie Chriſtum ita Redemptorem volunt, vt magiſtrum nolint.253.
Hæretici hodie ingrati & audaces.272.
Hæretici hodie illam arrogantiam exercent, cuius Papam inſimulant.320.
Hæretici hodie ex affectu, non ex iudicio, Scripturas exponunt.372.
Hæretici religionem Chriſtianã ad altercationes inextricabiles adducunt.394.
Hæretici populares & factioſi.407.
Hæreticorũ hodie fraus impia admodum notanda.96.
Hæreticorum commentarij quanto cum periculo legantur.565.
Hæreticorum hodie aſtutia & nequitia.337.

Hæreticorum variæ corruptelæ circa vnum locum Actor. 19. v. 5. 520.
Homines potiùs quàm Deus non audiendi. 55.
Homines in sua natura relinquunt Caluinistæ, non Catholici. 575.

I.

IAcobi interlocutio in Concilio Apostolico qualis, & ob quem finem. 374.
Idololatriæ quinque gradus. 501. 502. 503.
Idolothytorum manducatio quomodo à Paulo permissa. 420.
Imaginum cultus ab idololatria differt. 75.
Impositio manuum ordinationis ceremonia. 298. & sequentibus.
Institutionis Caluini loca aut refutata, aut ad Caluinum refutãdum prolata. 12. 45. 74. 96. 104. 112. 115. ter. 117. 123. 130. 133. 144. 156. 164. bis. 165. 191. 195. 274. 301. 318. 374. 388. bis. 395. 414. 431. 439. 495. 504. 579. 582. 604. 611. 618.
Ioannis baptismum à Christi baptismo differre cur hæretici sustinent. 519.
Ioannis baptismum à Christi baptismo distingui, rebaptizatio Actor. 19. inuictè probat. 532.
Iudæi idololatræ nõ Deum in saxis, sed saxa colebant ipsa. 501.
Iudicium de fide non nisi penes doctos, & in scripturis exercitatos. 407.
Iudicium proprium veræ fidei repugnat. 481.

Iusti-

Iustificatio ex bonis operibus ex Caluini doctrina probatur.115.
Iustus in hac vita qualis.236.

L.

LAqueus conscientiæ obediendi necessitas quibus & quomodo.419.
Legem mandatorum imponendo Deus non tentatur.329.
Legem mandatorum posse seruari.338.
Legem impleri posse, ex fine datæ legis constat.354.
Leges Ecclesiasticæ fideles obligant.396.& seqq.
Legibus Ecclesiæ, Deitus ad homines nō transfertur.427.
Legi ceremoniali magis fauet Caluinus quàm morali.336.
Legis & Euangelij discrimen.4.
Legis corporalis ranùm obseruatio multò difficilior quàm spiritualis.331.
Legis Mosaicæ iugum quo sensu importabile.325.
Legis duplex vsus ac finis.354.
Legis iugum à Caluino confictum.355. Quot secum trahat hæreses.357.
Legis finem in Scripturis expressum Caluini doctrina penitus tollit.259.
Legis obligatio non secus quàm doctrina manet.360.
Legis rigor & maledictio quo tandem modo tollitur.360.

Legis

Legis doctrina & legis obseruãtia differũt. 364.
Legis obseruãtia est effectus gratię Christi, non est ei contraria. 366.
Legum Ecclesiasticarum obligationem iuxta Ecclesię intentionẽ infirmare Caluinus non potest. 400.
Legum Ecclesiasticarum obedientiam Paulus in visitatione Ecclesiarum docuit. 417.
Lex quomodo perfectum obsequiũ exigit. 356.
Liberi arbitrij doctrina orthodoxa. 8.
Liturgiæ vocabulũ metaphoricè multa, proprie sacrificium significat. 214.
Lutherani Caluinum authoritate Ecclesiæ premunt. 287.
Lutheri & Caluini vocatio pessundatur. 225.
Lutheri capitale dogma sola fides. 321.

M.

MAndatorum obseruatio baptizandis iuncta. 454.
Marlorati frigida suffusa effunditur. 239.
Medium inter fidem & simulationem à Caluino inuentum refutatur. 85.
Mercedem bonorum operum qua arte Caluinus eludat. 167.
Merces merito necessariò respondet. 165.
Merita Sanctorum gratuitam Dei bonitatem non obscurant. 410.
Meritis operum timor bene operandi nihil prę-iudicat. 163.
Meritum augmenti gratiæ contra Caluini disputationem defenditur. 155.

Modus

Modus determinatus fouendæ charitatis ad Ecclesiæ præcepta.405.
Monasticæ vitæ origo.57.

N.

NAturæ correctio ex fonte electionis non fluit.263.
Nouatores ab Apostolis duplici nomine reprehensi.378.

O.

OBedire Deoimagis quàm hominibus.61.
Olei inunctio ab Apostolis addita.79.
Opera bona, pars iustitiæ.369.
Opera in rationem venire debent circa salutis fiduciam.369.
Operantes iustitiam ad fidem vocari quo sensu verum.169.
Opera iustorum non sunt ita mutila aut vitiosa vt non mereantur.157.
Opera iustorum sine venia placent Deo.158.
Oratio ad alia vtilis quàm ad fouendam fidem.30.

P.

PÆnitentiæ doctrina.23.
Pœnitentiæ doctrina non tollit gratuitam remissionem peccatorum.249.
Pœnitentiæ & satisfactionis doctrina omnium Patrum doctrina.249.
Pœnitentiæ doctrinam quàm impio sensu doceat Caluinus.573.

Pœni-

Pœnitentiæ doctrina Catholic. hęreticis dupliciter displicet. 575.
Pœnitentiæ doctrina à Catholicis rectè traditur. 38.
Pœnitentia & fides salutis principia. 36.
Pœnitentiæ opera digna. 22.
Pœnitentiæ prȩcipua ratio dolor de Deo offenso. 569.
Pœnitentiam impij & iustorum quotidianam confundit Caluinus. 25.
Pœnitentia non secus salutis nostræ pars quàm fides. 571.
Pœnitentia post baptismum relapsis necessaria. 104.
Pœnitentia quando præcedit fidem. 581.
Papæ iudicium non vsurpatum nec temerarium. 477.
Papistarum nomine totam Antiquitatem crimina ur Caluinus. 95.
Pastorum Ecclesiæ personalis authoritas. 387.
Pastorum ordinatio & missio legitima latè astruitur. 219. & seqq.
Patrocinij specialis Sanctorum vera ratio. 415.
Pauli doctrinã à Dei veritate impiè distinguit Caluinus. 471.
Paulus à Deo vocatus cur ab Ecclesia ordinatur. 225.
Paulus votum religionis causa suscepit. 510. & seqq.
Peccatis leuioribus nemo caret, grauioribus omnes carere possunt. 350.

Pecca-

Peccatorum confessio non fit de olim remissis, sed de remittendis.405.556.
Peccatorum remissio pars iustitiæ.362.
Pelagij error circa acceptionem personarum in Deo.170.
Pelagius & Caluinus in duobus extremis.344.
Persecutio Anglicana.202.
Petri authoritas astruitur.191.
Petri primatus.1.
Petrus Concilij Apostolici Præses.372.
Petrus generalē Ecclesiarum visitationem solus fecit.139.
Petrus iuxta Sarcerium sua somnia in multis protulit.384.
Petrus quomodo ab alijs missus.87.
Petrus totius orbis caput.142.
Prædestinationem præcedit præscientia.265.
Prædestinationis Caluinianæ sigillum, semel credere.275.
Prædicator fidei legitimus ignotus doctor non est.481.
Præparationes ad iustificationem ex Dei gratia procedunt.148.
Præparationes ad primam iustificationem probantur.171.
Præpositorum Ecclesiæ officiū & potestas.591.
Presbyteri à Paulo constituti per impositionem manuum.304.
Prophetiæ Christo propriæ.52.
Proprietatis abnegatio.57.58.

Q.

QVærere vt inueniamus, quomodo iubet Christus.441.
Quæstionis in Concilio Apostolico status. 316.

R.

REconciliatio per Christū quomodo semper necessaria.248.
Reliquiarum veneratio.59.
Reliquiæ seruatæ propriam Christi Ecclesiam non constituunt.296.
Remissio peccatorum ex varijs causis.28.
Renouationem internam soli fidei apprehendenti tribuit Caluinus.578.579.
Rom. Pontific. authoritas suprema in primis Concil.generalibus.319.

S.

SAcerdotis in confessione excipienda præcipuum munus.554.
Sacramenta ex seipsis valent.619.
Sacramentis Dei gratia non alligatur.613.
Sacrificij Christi & veterum ceremoniarum analogia.256.
Sacrificium Christianorum astruitur.213.
Salutis causæ multæ ac variæ.54.
Sanctificamur imputatiuè iuxta Caluinū.274.
Sanctificationis gratia fide non recipitur. 273.
Sanctorū pietati miracula rectè tribuuntur.34.
Sanctorū pro nobis intercessio defenditur.409.

Sanctorũ ſpeciale patrocinium & certæ procurationes explicantur.278. & ſeq.654. & ſeq.
Satisfactionis doctrina non Papiſtarum commẽtum, ſed vetuſtiſsimorum Patrum doctrina.250.252.
Schiſmatum hodie propria cauſa.643.
Scripturæ deprauandæ artem Caluinus docet.334.
Scripturæ ab hæreticis corruptæ memorabile exemplum.520.
Scripturæ conciliatio.68.
Scripturæ Paulinæ deprauatio per Caluinum admodum fœda.338.
Scripturæ S. & impij Caluini antitheſis.499.
Scripturæ textum euidentem ex mera coniectura inuertit Caluinus.334.
Scripturam à ſingulis legi oportere, Theſſalonicenſium exemplum non probat.478.
Scripturarum lectionem vanè iactant hæretici.240.
Scripturarum lectionis fructus proprius.489.
Scripturarum lectio quatenus capeſſenda.243.
Scripturarũ mille teſtimonijs proprium ſuum commentum adæquat Caluinus.349.
Scripturarum priuata lectio futiliter à Caluino probata.232.
Scripturarum priuata indagatio non eſt certa inueniendæ veritatis regula.438.
Scriptura non eſt ſola docendi & diſcendi regula.463.
Scriptura quomodo lucerna ardens.441.

Scripturarum sensum vt hæretici corrumpant. 208.
Scripturis non credunt Protestantes sicut Paulus credebat. 634.
Securitatem Caluinianam Caluini solutio tollit. 109.
Silas Pauli comes nec diu, nec ordinatus ab Ecclesijs. 306.
Sola fides à Caluino stolidè defensa. 453.
Spiritui S. mentitur Caluinus. 347.
Spiritui S. resistere quid importat. 80.
Spiritus S. assistētia Ecclesiæ coniuncta eius authoritatem non minuit. 393.
Spiritus S. dona visibilia cum inuisibili gratia coniuncta fuerunt. 91. 92.
Spiritus S. dona visibilia à baptismo diuersa. 523.
Spiritus S. cur in die Pentecostes datus. 3.

T.

TEstificandi potestas in Ecclesia perpetuò residet. 568.
Testificandi verbum Ecclesiæ attributum. 566.
Testis veritatis sacræ idoneus quilibet non est. 432.
Thessalonicenses ante scrutinium ex Scripturis Paulo crediderunt. 485.
Thessalonicensium scrutiniū in Scripturis post Pauli prædicationem quale & quorsum fuerit. 471. & seqq.
Timor seruilis iugum legis. 355.

Tonsura

Tonsura clericalis ineptè à Caluino taxata.516.
Toxicum hæreticorum fundamentale.479.

V.

VEniæ incertitudo in Petri verbis ponitur. 108. Illa incertitudo qualis sit.109.
Verbum Dei quomodo gladius Spiritus. 440.
Veritatis studium bonis & malis cõmune.480.
Violentia in Pauli conuersione qualis.124.
Virtutem ac pietatem suam quomodo Petrus negauit.31.
Vocatio arcana Caluini ministerium.592.
Vocatio legitima Caluinum vertigine percussit.220.
Vocationem suam & suorum defendere Beza non potest.309.
Vocationis Caluinianæ fundamentum euertitur.223.
Voluntas Dei permittit mala, bona operatur.6.
Voluntas Dei absoluta duplex.7.
Voluntas Dei ordinat mala in bonum finem.7.
Voluntates in Deo contrarias Caluinus ponit. 346.
Votum Pauli religionis causa assumptum.510. & sequentibus.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

Ad detegendas & subuertendas Caluini inprimis, aliorúmque nostri æui hæreticorum fraudes; qui librum Actorum Apostolicorum deprauauerunt; hæc eximij M. N. Thomæ Stapletoni Antidota maximo cũ fructu in lucem edi posse censeo.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius ac Regius librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

REgiæ Cathol. Maiest. binis literis concessum est M. Thomæ Stapletono Anglo, S. Theolog. Doctori, & in Academia Louanienſi Professori Regio, vt *Antidota Apostolica contra horũ temporum hæreses in Acta Apostolica, & in Epistolam ad Romanos*, cui velit iurato infra Belgiũ Typographo tradat imprimenda ac distrahenda; alijs simul omnibus seu Typographis seu Bibliopolis interdicendo, ne dicta Antidota Apostolicæ absque consensu eiusdem Thomæ Stapletoni vel imprimant, vel alibi impressa diuendant, vsque ad sexennium à data earundem literarum exactum, sub pœna cõfiscationis librorum, & alia respectiuè, vt in literis Regijs latiùs cõtinetur, datis Bruxellæ, mensis Maij die 8. & mensis Iunij die 10. Anno 1595.

Signatis


Grimaldi. De Berti.


Collegij Societ. Jesu Paderborn.

Author dictum Priuilegium pro annis 1595. & 1596. concessit Ioanni Keerbergio, Typographo Antuerpiensi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN